

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

[P.-A 949]
Leibn. Marg. 141

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg.:

1an: S. 53
S. 81
S. 143
S. 231
S. 233

2an: S. 15
S. 17
S. 133

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

DIA
EME
LIB

IN QVORV
uentur præcip
præcipue Ari
sententijs, &
ta, & Deum

PRÆTERE
plex controuersia
logicis quibusdam
rum friuolis quib
stratione Ari
rum soli

ANDRE

IS

Cum gratia &
FRA
Excudebat I
P

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [4] - -
PUBLIC DOMAIN

DIALECTICÆ EMENDATAE LIBRI DVO

IN QVORVM HOC PRIORE CONTINENTUR praecepta Dialectica ex optimorum autorum, praecipuè Aristotelis, P. Rami, & Ph. Melanchthonis sententijs, & suâ rationis eruta, congesta, itaq; exposita, vt & hiuis discentibus possint esse & sui.

PRÆTEREA ADIECTVM EST TRIplex controuersiarum logicarum iudicium; vnum de logicis quibusdam P. Rami erratis; aliud de antiramæorum friuolis quibusdam obiectis; & tertium de demonstratione Aristotelæa quæ contra P. Rami impetum solidè defenditur & explicatur;

studio

ANDREÆ LIBAVII MED. D: & Poëta Cæs.



1595.

9/24

Cum gratia & priuil. Cæs. Maiest. speciał. ad decen.

FRANCOFVRTI,

Excudebat Ioannes Saurius, impensis Petri Kopffij.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

AMPL
DIGNIT
MATIONE
conſpicuis viri
natoribus ci

ANDRE
M.D.P

dæmoniorum
quit) πλήσιον
καὶ κοινῇ πάντων,
duplici nomi
eſſe, tum quo
de puerorum
tum quod id
ſumtibus. Qu
hoc vnum ex

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

AMPLITVDINE DIGNITATIS, EXISTIMATIONE, ET PRVDENTIA conſpicuis viris & D.D. Conſulibus & Senatoribus ciuitatis Coburgenſis, fautoribus ſuis

ANDREAS LIBAVIVS
M.D.P. ſalutem plurimam.

IAVDAT perſpicaciſſimus philoſophorum Ariſtoteles, Conſules ampliſſimi, Senatores conſulti, in politicis Lacedæmoniorum inſtitutum: καὶ δὴ (inquit) πολέσιν ποιοῦνται σπουδὴν περὶ παιδείας, καὶ κοινὴν ταύτην, quibus verbis indicat duplici nomine prædicandos ipſos eſſe, tum quod accuratè admodum de puerorum inſtitutione ſanxerint, tum quod id ipſum publica cura & ſumtibus. Quid ni verò laudet? Eſt hoc vnum ex firmiſſimis benè & cõ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [7] - 3
PUBLIC DOMAIN

ſtituendæ & conſeruandę Reipublicę fundamentis. Hoc ipſo conſulitur non vni tantũ ciuitati, ſed & vniuerſę hominum, qui inter ſe naturæ & cõſuetudinis legibus deuincti, mutua exercent cõmercia, & emolumenta quęrunt publica, ſocietati. Sed cùm varia ſint pro diuerſitate finiũ exercitia iuuentutis: Quędã enim corporis valetudinẽ & ſtatum procurant, tuẽturq; & firmitatem quãdam ei ad labores agreſtes & militares alioſq; ſuſtinendos conciliant, quod ſtudium Gymnaſia à veteribus eſt nũcupatũ: Quædam animum erudiunt, profligataq; inſcitia inertiáq; pluribus informant ſcientiis, tum liberalibus ad virtutẽ perfectam ſecundum rectum rationis vſum, tum ſeruilibus, quę ad corpus & ſordida negotia magis ſpectantes animum implicant, prægrauant, & ad ſublimiter ſapiẽdum reddunt difficiliorem: Hæc verò genera porrò conciſius in alias multas dirimuntur: Gymnaſticis antecellunt pædotribica, & in his præſtantiora

ſunt,

sunt, quæ scientia ingenua ad virtutes sapienter discendas exercendásque prudenter illustrant mẽtem. Lacedæmonij ab Aristotele laudẽ merentur ipso studio magis, quam electione educationis vtilioris præclarioríſq;. Pueritiam enim suã corporis potius laboribus idq; intẽpestiuè fatigabãt, quam animi exornatam dotibus reddebant, quod ipsum spectari aliquando etiã Romæ solitum est, vbi exactis philosophis & mathematicis sat fuit literas qualescunque aut potius picturas arripuisse: Cœtera dabantur exercitiis campestribus & natationi, quanquã necessitas postea coëgerit studia eloquẽtiæ, & iuris ciuilis disciplinã amplecti. Ita de barbarorum in Turcia & Ægypto moribus referũt historiæ, quod gymnasiæ tribuant plurimum, cuius cum aliquando legato Turcico specimen edere vellet Campso Gauricus Ægypti Sultanus: in arenam produxit stupendæ agilitatis industriæq; in equitando & iaculãdo adolescentum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [9] - 5
PUBLIC DOMAIN

turmas. Sed quãtæ poſſunt eſſe eiuſmodi mẽbrorũ agilitates, & athleticę habitudines ad ſapientię ſtudia, animorũq; culturã? Cum ad bellũ ventũ eſt, aliquid momenti afferunt, ſed ad fugam potius, quàm ad cõſtantiam & tolerantiam periculorum, aut ſapiẽtem rerũ exercitusq; gubernationẽ. Cùm Selymus Campſonis iſtius funderet exercitum, & Ægyptum occuparet, quid proderant geſticulatores illi? Itaq; multo eminentiorem merentur gloriam illæ ciuitates, quæ publica opera ad hoc cõtendunt, vt ſapientiæ acroateriis apertis iuuentus euadat animi bonis p̃ſtantiſſimis quã exercitatiſſima. Barbaram exercitus Perſici multitudinem totis viribus in Greciam effuſam compeſcuerunt quidem cõiuncti Athenienſibus ſociiſq; Lacones; ſed non tam corporum firmitudine, quam animi conſtantia, & conſiliorum certiſſimorum preſentia. Quid enim ſine Themiſtoclis prudentia vniuerſitas Grecorum valuiſſet? Quomodo impetum

tum totius Barbariæ ſuſtinuiſſent corpora hominum vel ad volatum vſque agilia, quem nec montes nec maria nec firmiſſimæ oppidorum munitiones inhibuerunt? Nil ſanè aduerſus Tamerlanem profecit Baiazethes, cùm nõ tam conſilium opponeret impetui, quàm armorum põdera, cùm cõtra Scanderbeius, & Leonidas aliíq; pauca ſtipati manu maximos ſuſtinuerint exercitº. Præclarè Cicero ſapientiæ ſtudiis, & domeſtico conſilio plus tribuit quã externo armorum exercitio, qđ ſi quid aſſecutum eſt vnquam laudabile, ſapientię & virtutis auſpiciis effecit, cũ q; temeritas imprudẽs obtinuit, etiã pœnis plærunq; à magnis Imperatoribus ſit affectũ, ne dum nõ laudatũ. Animi ſagacitas & ſapientia barbariẽ eradicat lõgè fidelius vllis armis. Arma multis gẽtibus & ciuitatibus barbariam aut etiã internecionẽ attulerunt, paucas verò imò dixerim nullas à ſolitudine vindicarũt ſola. Nec ſtabile poteſt eſſe qđ vi ſola coërcetur.

Valuit olim belli gloria Ægyptus. Sed quanto vberiorẽ obtinuit laudẽ, quantóq; vtiliorẽ præstitit humano generi operã, cùm sacerdotes humanorum diuinorúmq; scientia aluit instructissimos, à quibus discere vel totus contendit orbis? Sed & emissi illinc sine exercitibus sapientes plurimas instituerũt politias. Periit Ægytiorum bellicosa fama; sapientiæ reA.M.3685. liqæ adhuc extant. Cum Ptolemæus Philadelphus è conuenticulis sacerdotũ in cõmune protraheret literas, & sapientię auditoria publicè Alexãdriæ extrueret, conquisitis vndique tum professoribus eruditissimis, tum cõmentariis ingeniosissimis, qua occasione & instructissima nata est Bibliotheca & lumen verę de Deo doctrinę à Iosephi funere & Israëlitarũ discessu restinctum per trãslationem bibliorũ in sermonẽ græcum, iterum accensum est gentibus, quãtum toti cõsultum fuit mundo? Potuítne vllus exercitus, aut vlla gymnasia Laconica rẽ tam præclarã conari? Imo arma dele-

deleuerũt Ægypti ſapientiam illo in regno, barbariémq; induxerũt; reparare vero artes nõ potuerũt. Aperuit poſtea in eadem Ægypti vrbe ſcholam Chriſtianam Pantænus, & eccleſia pulcerrima inſtituta veram propagauit ſapientiam. Hoc ipſo victa barbaries quam efficaciſſime eſt, atq; etiam impietas ethnica ita animis excuſſa, vt nulla imperatorum arma, nullæ copiæ, ſimile quid ne ſperare quidem potuerint nedum audere. Non enim eſt armorum, & corporis exercitiorum iſtud opus, ſed pacis, ſed animi ſapientis. Illa in Ægypto, quin toto Oriente & meridie ad profanitatẽ & ſolitudinem profecerunt, adeo vt hodiernis temporibus inter Saracenos hi æſtimentur Sancti ſintque in admiratione & veneratione maxima, qui profligatiſſimam vitam pœnitentiæ ſceleratæ ſimulatione commutarunt, ſeque nihilominus ſtupris nefandis, & horrenda pecorum conuerſatione contaminant totos. Adrianus imperator

An. Ch. 183.

Sancti Saracenorum.

An. Ch. 134. Athenis instituta Bibliotheca nomẽ sibi parauit magnũ, & annalib. mundi dignum. Quib. p̃sidiis nisi sapiẽtię? Nõ tm̃ valebant Caligulę aut alterius tyrãni arma ad obtrudendas Iudæis statuas suas. Georg. Castriotus, Ioan. Hunniades, Matthias Coruinus & alii meritis p̃coniis decantati heroes, & ꝓpugnatores libertatis, Christianas ꝓuincias à validissimis Amurathis, Mahometis secundi & aliorũ tyrãnorũ exercitib. atq; adeo extrema vastatiõe ꝓhibuerunt. Sed internam barbariã quo militię robore potuisset excutere, atq; turpissimũ ignorãtię & impietatis iugũ à ceruicib. nostris depellere? Quo gladio tm̃ ꝓfecissent, quãtũ Carol. 4. excitata Pragæ ad exẽplum Parisianũ schola, quæ tenebrarũ põtificiarum discussorem vnum, Ioan. nempe Hussiũ, magno cum salutis mortalium emoluméto p̃buit? Ille ipse ẽt Galeaceo ad extruendam Ticini academiã autor fuisse dicitur, q; & ipsum armis vix obtinere potuisset. Horrendum inuentum

est

est tormentorum muralium, & sclopetorum. Tribue horum numerum satis magnũ Friderico 3. Imperatori. Nam 60. annis antè sunt monstrata Europæ, quanq̃ Africa dicitur prior ea vsurpasse. Putasne illum tm̃ consecuturũ fuisse eorũ, quantũ plurimæ academiæ ipso imperante extructæ? Sæuiebat tunc in Germaniã Mahometes Turcus. Sed neglecto à musis huius impetu, conditæ sunt Friburgẽsis Brisgojæ: Basilea Heluetiorum, Ingolstadiana Bauariæ, Tubingensis in agro VVirtembergico & Moguntina Dithero episcopo procurante. Felix certè fuit istius Cæsaris imperium sapientia magis q̃ armis. Nec minus inseruitum est commodis humanis sub VVenceslao erectis Colonienſi, & è ruinis Pragensibus Erfurdica Thuringiæ, è quibus surrexit item Lipsica sub Ruberti Imperio. Multum profuit etiam Viennensis ab Alberto duce fundata. Delectatus est literis plurimum Maximilianus imperator. Itaq; tantum exemplo

An. C. 1380.

An. C. 1463.
1465.
1471.
1477. vel 74.
An. C. 1482.

An. C. 1388.

An. C. 1392.

1409.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [15] - 11
PUBLIC DOMAIN

plo ſolo valuit, quãtum nullus hoſtis acie infeſta. Auſpiciis enim Friderici, non bellicoſi illius, ſed ſapientis
An. C. 1502. extructa eſt in morem Tubingenſis VVitembergica, cui quantũ debeat pietas ſyncera Germaniæ, in aperta eſt luce. Eodem feruore incitatus Ioachimus Elector Brandeburgicus
1506. Francofurti ad viadrũ quadriennio poſt lyceum condidit. Ita Carolo quinto rerum potito Marpurgica à
1526. Philippo Landgrauio Haſſiæ; & Ferdinando dominante Ienenſis à Io-
1558. hanne Friderico Saxoniæ duce confirmata eſt, poſteritate etiam nunc feliciter eas conſeruante, & omnis generis doctoribus exquiſitæ eruditionis procurãte. Taceo Tigurinam, Iuliam, Regiomontanam, &c. Gymnaſia item illuſtria Miſenũ, Grimmenſe, Neopyrgicum, Ilauianum, Argentoratenſe, Altorpianum & alia. Tantis itaque bonis in Germania fiducia ſapientiæ togatæ literariæq; excitatis, quis nõ Imperatores, Principes & Reſpublicas noſtras præ Lacedæ-

cedæmoniis commendet? Quis non cum Cicerone clamet iure

Cedant arma togæ; cõcedat laurea linguæ?

Cum Pariſiis & Papiæ ſub Carolo Magno in Gallia perſonarent Muſæ, fructum earum quendam cepit & Germania noſtra. Cum item in Anglia Oxoniæ ab Alfredo, & Cantabrigiæ auſpiciis Sigberti Angliæ Orientalis regis conſtituerentur pietatis & liberalium artium Prytannea: cum Bononia Paduam peruenirent ſtudia: In Scotia ſchola S. Andreæ exurgeret; In Polonia Cracouiæ publicè profiterentur docti, quos loco aliquando pulſos reſtituit Iagello, & academicam cõſuetudinem recreauit; Imo cum Romæ primo ex ærario ſtipendio doceret Quintilianus, quis neget prouincias illas ex regna ſummis affecta beneficiis? Parantur armis regna; ſed magis ſapientia, cui inſuper etiam maxima pars conſeruationis debetur. Mater ſtudiorum nominatur Bononia. Fridericus inde armorum metu fugauit Muſas, ſed

An. Ch. 791.

895.

630.

1242.

1411.

1364.

1400.

An. Ch. 89.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [17] - 13
PUBLIC DOMAIN

sed armis restituere non potuit. Floruit eximiè Græcia non tam bellico studio, q̃ literarum & sapientiæ diuinæ humanæq́; possessione. Quid reposuit Baiazethes cum Mahomete? Barbariam & tenebras plus quã cimmerias. Itaq; & laus Græciæ est pessundata, & lumen extinctũ. At familia Medicea & Itali duces cum exulãtes exciperẽt musas, Græcasq; literas iam à septingentis annis in Italia tacitas, in vsum reuocarent, quanta lux non Italia tm̃ sed & finitimis regnis est exorta? Iactat se Homero Græcia, deque eius stirpe antiquitus septẽ certarunt vrbes. Glorietur sane illa suo partu. Italia vero etiam externis hominib. fuit celebrata. Quãti enim fuerunt illi viri, Chrysoloras, Trapezuntius, Gaza, Argyropylus, Chalcõdyles, & cum aliis multis Lascares, legatus ille nobilis ad Baiazeten ꝓ conquirendis ex omni Græcia literarum monumentis? Tãti fuit res illa vt cum vniuersa Græcia à nullo recuperari quæreretur, libri in abiectissi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [18] - 14
PUBLIC DOMAIN

ctiſſimis habiti, deſideratiſſimè peterentur, & in Italia ſpeciem triumphi agerent, quaſi teſtarentur facto muſæ omnib. aliis victis perditisq; ſe vinci & perire nõ potuiſſe. Cum miſertus patriæ noſtræ DEVS lucẽ verbi incorrupti vellet immittere, ſcholas quidẽ ille p̃mittebat, ſed antiquo in errore verſari neutiquam ſinebat. Excitato. n. ſpiritu Magnanimi Lutheri & aliorũ fideliter adiuuantium id præſtabat, quod nullus imperator vllis vnquam potuit armis, pontifice Romano etiam bellicoſiſſimorum ducum collis inſultante. Fremebant aduerſus pietatem omnes machinæ infernales & fulminibus anathematum, proſcriptionum & tormentorum omnia minabantur dira. Facile erat prouincias perdidiſſe & potentiam mundanam: ſolidæ fidei & literarum conſtantiam non erat. Deus enim non ſinebat gremio ſuo excuti per oſcitantiam, eccleſiæ deſiderium, ſicut ignauus ille Iupiter à viliſſi-

viliſſima penè beſtiarum oua aquilina. Viſum tunc fuit non arma literis præſtare ſalutem, ſed literas armis inter media arma hoſtica paſſim circumlata. Si quis vnquã fuit imperator, aut dux belli, qui in literas quoq; ſæuiit, vt Iulianus, &c. is tum eo crudelior habitus fuit, tum triumphorum ſuorum famam cuſtodiuit minus. Marcellus certè capſis ſyracuſis lõgè nobiliorẽ relaturus erat triumphum ſeruato Archymide, quam p imprudentiam interfecto, quæ res etiam laudem attulit illi qui in obſidione vrbis hoſtilis egreſſo ad medicamenta congerenda pepercit medico, quod ſibi negaret bellum cum diſciplinis eſſe.

Quæ cũ ita ſint, Viri conſulti, non paruam vos cum aliis præclarè conſtitutis rebuſpubl. emeriti eſtis laudem, dum non in corporis exercendi campo, ſed pietatis ſapiẽtiæq; prytannæo publico ſumtu & loco erudiendã tam intra pomerium quam foris proliberalitate veſtra curatis iuen-

uentutem, in qua legenda, prouehendaque non parum collocat operæ Vir reuerendus & multiplici rerũ experiẽtia doctrinaq; instructus IOHANNES DINCKELIVS M. præses ecclesiæ vestræ & prouinciæ Coburgicę Superintendens, quẽ vobis scio in oculis & admiratione esse. Incredibile est quanta is dexteritate studia adolescentium ꝓmoueat, caueatq; diligenter ne pro syncerorum ꝓceptorum limpidis vndis lacunarum sese ꝓluant cœno. Is quantopere delectetur vero Dialecticæ emendatæ vsu, tum verbis sentẽtiaq; mihi, tum aliis itẽ scripto pridem aperuit. Huius viri studia, vt præclarè facitis, sic amare & magnifacere ꝓgite. Ornamẽto est vobis singulari. Ego certe cum vestro stipendio scholæ aliquando præessem vestræ, expertus sum istius viri geniũ & merita. Itaq; neq; nunc cesso ipsum & admirari, & reuerenter colere. Is fecit vt & vobis mea placerent tunc studia, id quod non obscuris patefeciſtis argumen-

tis munificentiam in me probando nõ vulgarem, cuius beneficii memoriam deponere me haud vnquam oportet. Itaq; cum nup ad adolescentiam in rationis rectæ vsu informandam libellum conscripsissem Dialecticum, eumq; in pubblicum edere multa persuaderent: placuit hoc dignitatis & beneficiorum vestrorum monumentum ponere, vestroq; nomine inscribere. Vt itaq; pateat me gratum vobis semper fore, dedico hunc amplitudini vestræ offeroque submisse, id vnicum rogans, vt sat dignum animi erga vos mei argumentum sinatis esse. Percepisse me fructum operæ arbitrabor, si consilium vobis meum probatum intellexero. Contestabitur hoc ipsum etiam, tantum à vestra repub. abesse barbariam contemptumq; literarum, quanto impensius studiorum liberalium adiuuatis cursum. Valete; & me vestræ dignitati cõmendatum habete. Calend. Septemb. Anno 1595. Rotemb. ad Tubarim.

OMNEM

OMNEM ARTIFICEM EX ARTIS SVÆ PRÆceptis scientem esse ODE.

OPtamus artes quilibet haud malo
Creti parentum degenerum satu.
Ad publicum iubemur artes
Ferre, vt opus Dei eat perite.
Sed nulla constans absq; scientia est.
Nil elaboratur nisi conscijs.
Quis tam maligni sit pudoris,
Ni sciat, vt sibi fingat artem?
Scire ergo quæras, quisquis amas bonæ
Fructus Minervæ, & Dædalei ingenI
Famam experiri. Scire, ad artem
Fons, via, principium, caputq; est.
Sed ni magistra ritè auidum irrigans
Exerceas pectus sapientia:
Ten' scire confidas vel vnguis
Nubila, vel leuius quod vsquam est?
Sperare firmam desine Palladis
Et gratiam & vim, dogmatũ egens probûm.
Decreta ni cognosse cures
Quæ sapiens tulit ordo, iners sis.
Consulta patrum sed sapientium
Tun' posse hiantem ludere inaniter
Coruum arbitreris? Quicquid istis
Est positum, sibi semper idem est.

Artes discẽdæ.

Artes non sine scientia.

Scientia discenda.

Scientia cõstat præceptis.

Neq; enim sine illis est.

Præceptæ scientificæ perpetuæ.

Fortuitorũ nõ est scientia.

Agnouit heros hoc stagyreius,
Et soldam ad artes ingeniis viam
Strauit, recidens fors ferat quæ,
Mobiliumq; inopina rerum.

Sed æternorum.

Quæ vero clauo diua necessitas
Fixit trabali, veraq; perpetim
Æternat, irrefixa mundo,
Hæc probat, hæc stabili manentis
Scientiæ donat catus oppido.
Discenda sunt hæc, si cupis artium
Audire sollers, si magistram
Vis capiti properare laurum.

Repudiãda sententia, quæ artes facit fortuitas.

Omitte mentem aduertere pessumis
Vulgi loquellis, quæ pereuntium
Consulta tradunt quæstionum,
Artibus inq; gerunt caduca.
Ten' pœnitendas discere voculas?

Ne opifices quidem præcipiunt fortuita.

Delirat ecquis tam miserum oppifex
Vt sauciat fluxum axioma
Quod titubet, varietq; in horas?

And. Lib. Poëta.

DE

DE CATEGORIIS.

Quid est categoria (prædicamentum)?

EST descriptio Entium in vniuersitate rerum per genera summa speciesque deinceps collocatas.

Prǽmittuntur Dialecticæ vt innotescat discenti rerum amplitudo, in qua spectet exerceatque præcepta logica: Deinde vt artium subiecta cognoscat, videatq; à quo dimanent fonte; insuper artium constituendarum genera & species, pro definitione & diuisione facilius inueniat, & in grauibus disputationibus, veterum, qui vsi fuerunt prædicamentis, doctrinam intelligere possit rectius.

Quotuplices sunt categoriæ?

Duplices: substantiæ, & accidentia.

Vtriusque vt vera sunt exempla in natura rerum; ita & fingi possunt, & ita etiam fingi, vt nusquam extet figmenti typus, nisi in phãtasia, vt Harpyiæ, Chymæra, Hippocentaurus, solis currus, &c.

Quid est substantia?

Est categoria entium quæ vi suæ essentiæ per se subsistũt: vt homo, equus, aquila, substantia quanquam potissimum formam designet, & totum effectum ex ma-

teria & forma; tamen & materiam ſolam ſignat. Itaq; in logicis potiſſimum genera & ſpecies, & formalem cauſſam attinet. Vnde illa ſunt appellata ſubſtantiæ ſecundæ, cum ſint res mentis, ſeu ἔννοιαι & notiones intellectus, quibus opponuntur ſubſtantiæ primæ, quæ ſunt exiſtentes in rerum vniuerſitate.

Quotuplex ſubſtantia?

Duplex: exiſtens primum id eſt in ſe, à ſe, & per ſe.

Et: exiſtens per illam. Vnde illa vocatur increata ſeu creator, vt Deus; hæc creata, ſeu creatura.

Quid creatura?

Eſt ſubſtantia per Deum Creatorem exiſtens. Huic accidentia ſua dicuntur (non genita ſed) ingenita partim, partim acquiſita.

Quotuplex creatura?

Duplex: Genius & natura.

Quid Genius?

Creatura incorporea ſeparatim ſubſiſtens: vt Angelus, & Diabolus: quorum ille bonus, hic malus vocatur genius.

Quid natura?

Eſt creatura exiſtens cum materia generatione facta.

Atque

Atque generationis motus in principio à Deo ſimpliciter fuit, ex nihilo etiam materia facta; Nunc autem procedit etiam ſuo inſtinctu, intus agitato. Atque ita natura eſt ſymbolum materiæ & formæ naturalis, quarum tamen vtrique iſtud nomen etiam ſeorſim tribuitur, quanquam materiæ competat magis. Formæ enim potius innaſcuntur, vel connaſcuntur. Ad eam & ab ea quod factum eſt, naturale dicitur.

Quotuplex eſt natura?

Duplex: ſimplex, & compoſita.

Quid ſimplex?

Cuius inſtinctus ad motum ſimplex & vniformis: vt cœlum, & elementa.

Quid compoſita?

Cuius inſtinctus ad motum varium.

Quotuplex compoſita?

Duplex: confuſa & miſta.

Quid confuſa?

Cuius motus inordinatus interruptusque; vt imperfectè miſta, quę meteora vocantur.

Quid miſta?

Cuius motus ordinatus in materia miſta.

Quotuplex miſta?

Duplex: viuens & non viuens; ſeu: mineralis & animata. Mineralis, vt arenæ,

lapides, ſucci. Inter lapides ſunt gemmæ & metallica; Inter arenas, colores, &c. Animata vt plantæ, & animalia, quæ duorum ſunt generum, beſtia & homo.

Itaque videre eſt circa ſubſtantiam potiſſimas exerceri artes; Theologiã & Phyſicã, & huius partes, Elementarẽ, Meteorologicam, Aſtronomicam, mineralẽ, botanicã, animalẽ, de beſtiis, de homine, &c. Adhuc de ſubſtantia.

Quid eſt accidens?

Categoria rerum quæ accidunt ſubſtantiis, (ſeu quibus pro ſubiecto eſt ſubſtantia.)

Et accidentium quædam ſunt mutabilia ſeu ſeparabilia; quædam inſeparabilia; quædam communia; quædam propria; vt vulgo diſtingui ſolent. Et proprium accidentium eſt non per ſe ſubſiſtere, nec ſubſtantiæ vim habere, ſed ineſſe ſubſtantiis.

Quotuplex eſt accidens?

Duplex: ſimplex, & relatum.

Quid ſimplex?

Quod in ſe ſimpliciter conſideratur: eſtque vel inhærens vel aſſiſtens.

Quid eſt accidens ſimplex inhærens?

Eſt quod in re inexiſtit: Eſtq; vel quantitas & qualitas; vel actio & paſſio.

Quid

Quid Quantitas?

Eſt accidens inhærens, quo res dicuntur quantæ. Eſtque duplex: magnitudo, & numerus.

Quid magnitudo?

Quantitas menſurabilis. Eſtq; duplex; Punctus & dimenſio. Punctus eſt magnitudo menſurabilis ſeipſo. Dimenſio eſt magnitudo metienda punctis, eſtque longitudo, latitudo & profunditas.

Quid numerus?

Quantitas numerabilis: Eſtque duplex; vnitas & multitudo. Vnitas eſt numerus ſeipſo numerabilis. Multitudo eſt numerus numerabilis vnitatibus; vt ſunt ſimplices, veluti digiti & articuli; compoſitique ex illis.

Itaque ex categoria quantitatis exurgunt artes mathematicæ, Geometria ſcilicet & Arithmetica.

Adhuc de quantitate.

Quid eſt qualitas?

Eſt accidens inhærens quo res dicuntur quales: (ſeu categoria Entiũ qua qualia dicuntur; aut affectionum qualium.)

Qualitatum diſtinctiones in vſu illuſtres, ſunt hæ potiſſimum.

Qualitatum quædã ſunt occultæ; quędam manifeſtæ.

Occultæ ſunt quæ ſenſu per ſe & im-

mediate non possunt deprehendi: quales sunt quæ formales appellantur, & totius substantię seu craseos: quę experientia effectus innotescunt.

Manifestæ sunt quę in sensus incurrunt, vt quæ primæ & secundæ vocantur, quas & materiales aliqui appellant.

Secunda distinctio.

Qualitas postea distribuitur in potentiam & habitum; Et, Affectus & figuram.

Quid est potentia?

Est qualitas facultatis & procliuitatis ad aliquid: (agendum vel patiendum)

Negatio huius ἀδυναμία dicitur.

Quid est habitus?

Qualitas acquisita & firmata rerum vsu. Emergit hæc ex actione & passione. Itaque & ordine se sequuntur, potentia, actio vel passio, & habitus.

(Aristotelespræmittit διάθεσιν, quæest disposition vel actio & passio breuis non tracta in assuetudinem.)

Quotuplex est habitus?

Distinguitur subiectis principalibus: nempe corpore & animo. Vnde alius habitus corporis, alius animi; quanquam neutrius sit tantum: sed totius vterque.

Consequens ex his est, habitum non esse nisi animatis: & si ex potentia per vsum

ſum rerum eſt ; tantum eſſe materiatorum, vt animalium, quę aſſuefieri poſſunt. In diuinis meri ſunt actus.

Quid habitus corporis eſt?

Corporis exercitio acquiſita & firmata in illo ipſo qualitas : vt agilitas, &c. Hic habitus communis eſt homini cum beſtiis, præſtantur tamen in illo.

Quid eſt animi habitus?

Qualitas animi operibus exercitis acquiſita in illa & firmata.

Quotuplex habitus animi eſt?

Duplex : Quidam ſolius eſt intellectus: & ſunt virtutes rationis, quas logicas vocant ; vt ordo , veritas , opinio , ſcientia, ſapientia, prudentia, &c. Quidam intellectus & paſſionum corporearum : & ſunt virtutes ethicæ ; quarum fons eſt duplex; primus cum conſtante naturæ motu gubernante ratione exiſtunt officia recta virtutum ; ſecundus, cum exæſtuanti animo per rationem frenum iniicitur , fitque motuum contemperatio ad mediocritatem. Contraria appellantur vitia. Hos alij vocant habitus voluntatis ; ſed voluntas & notio potius ſunt facultates naturales & affectiones, quam habitus. Apparet ex dictis quod in qualitatum categoria ſit fundamentum artium

tium plurimarum. Tota enim officina est corporeorum habituum cum musica instrumentali. Habitus autem animi vendicãt sibi Iurisprudentiam, Medicinam nobiliorem,& ex parte Theologiam,&c. Ita Dialecticam, Rhetoricamque ex parte. Grammatica potius est habitus corporei. Imò omnes artes ratione Theorematum, sunt mentis, &c. Ratione praxeos, sunt corporeorum habituum potius.

Quid est affectus?

Qualitas ex animi passione nata. Animus autem est communis vis corporis & animæ, subordinata dominanti animę virtuti.

(Stoici vocarunt πάθη animi ægritudines, seu turbidos & contra rationem concitatos motus. Nostro seculo, vox affectus, ambiguè comprehendit & rationi cõformes & difformes motus, quanquã rectius dicendum erat, qualitates motu factas vel cum motu existentes, motu ad actionis & passionis categorias pertinente.)

Consequens definitioni est, posse affectus etiam bestiis tribui, cùm & in illis sit aliqua princeps facultas, æstimatiua scilicet, quæ gubernare quodammodo impetum animi potest.

(Quidam similes potius affectiones illis asscribunt.)

Quotu-

Quotuplex est affectus?

Duplex: Simplex, & compositus: Ille, vt libido & lætitia, &c. hic; vt amor, ira, odium, &c. Ibi mouetur animus simpliciter; hîc variè.

Affectibus subiecta est qualitas passibilis; quæ est, quæ passionem in sensu facit, vt sensilia; color, odor, sapor, sonus, & tactiles qualitates primæ & secundæ. Hinc affectus exordium sumunt primum. Secundario etiam ex phantasia & memoria promuntur.

Quid est figura?

Qualitas corporum ex positura partiũ existens; vt rectitudo, curuitas, asperitas, triangularis dispositio, &c.

Hæc de qualitate.

Quid est actio?

Categoria accidentium inhærentium, qua operatur agens. (vel est effectionum agentis categoria.)

Discerni solet modis efficientium. Agit enim aliud natura, aliud arte seu consilio; aliud fortuito. Item actionum quædã naturalis est, quædam violenta. Huius fundamentum est potentia effectiua: & refertur ad formam.

Quid passio?

Categoria accidentium inhærentium quibus res patitur (categoria motuum in

mate-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [33] - 29
PUBLIC DOMAIN

materia: vel prædicamentum accidentiũ quibus pati & affici res dicitur.)

Distinguitur passiõ sex motibus: Generatione, corruptione, alteratione, increatione, decretione & motu locali. Itẽ quædam perfectiua vocatur, quædam destructiua. Et dicitur passio materiæ esse propria. Vnde regula; quod etiam agentium actus sint patientis. Nam nisi patiatur res; agens vim suam & nomen non assequitur. Fons passionis est potentia passiua.

Quod est accidens assistens?

Quod substantiæ adiacet & circumstat foris. Estque vbi, & quando: Situs & habitus.

Quid est Vbi?

Est categoria accidentium quæ locum signant. Locus autem est spacium locati: Distinguitur differentiis medij & extremi; Item sursum deorsum, dextrorsum sinistrorsum, ante & retro.

Dicuntur in loco propriè esse corporea. Incorporea ex similitudine loco affinguntur. Vnde dicunt Deum in loco esse repletiuè; mentes seu genios definitiuè, corpora circumscriptiuè.

Quid est Quando?

Circumstantia temporis: seu categoria entium tempus denotantium. Tempus est duratio rerum. Et Deo quidem omnia

sunt

sunt præsentia, seu eiusdē temporis; creatis verò & ad creata quędā sunt præsentis, quædam præteriti, quædam futuri temporis. Vnde distinctio temporis sumitur.

Quid est Situs?

Circumstantia posituræ corporum, vt gibbum, cauum, curuum, &c.

Quid est habitus?

Circumstantia vestituræ; seu categoria entium armaturam significantium; vt ocreatus, cataphractus.

Tantum de accidentibus simplicibus.

Quid est accidens relatum?

Categoria relationis. Relatio est duorum ad se mutuo relatorū affectio. Duorum illorum alterum dicitur relatum, alterum correlatum: Sed de his in logica inuentione.

Adhuc de Categoriis.

DIALE-

DIALECTICÆ LIBER PRIMVS DE Inuentione.

Quid est Dialectica?

DIALECTICA est ars benè secundum optimum rationis vsum omnino, disserendi. Est autem benè differere, ratione optima inuenire & iudicare. Itaque Dialectica generalissimum est instrumentum omnium artium & operum quæ rationis vsu artificioso cõstant. Dialecticę magisterio & præceptis omnes artes rectæ rationis debent inueniri & iudicari; methodo formam dante, reliquis materiam concinnantibus. Vnde & logica dicta est. Quicquid rationis vsui perito aduersatur, id alogon & Dialecticæ inimicum cẽsendum. Sunt & res logicæ principaliter & per se mentis seu intellectus, quanquam voce & sermone repræsententur.

Quot sunt partes Dialecticæ?

Duæ: Inuentio, & iudicium.

Quid est inuentio?

Est prior pars Dialecticæ de inueniendis argumentis. Hæc aliâs vocatur topice, à nomine argumenti alio.

Inuenire verò est agnoscere & discernere notiones rerum simplices, earumq; constituendarum certã tenere rationem.

Eius

Eius principium versus singularia, seu quo ad nos, vt loquitur Aristoteles, est sensus. Itaq; homo ratione vsurus sensu carere nō potest. Sed nec memoria. Nam huius beneficio inuenta colligit & seruat. Hinc postea extat experientia, artium omnium cōstans magistra. Itaq; cum duplex sit notitia; Sensualis & intellectualis; illa huius in homine est primordium; hæc verò logicam vim omnem complectitur; vt sint pro eodem, Dialectica, & intellectus vsu rationis generalissimæ excultus.

Quid est argumentum?

Quod ad aliquid arguendum est affectum. Tales sunt notiones nudæ & indispositæ, quas & conceptus rationesque simplices vocant. Arguere autem est quouis modo rationis nudæ explicare, docere, illustrare, fidemque facere. Itaque & amplificationes fiunt per argumenta, & epitheta. Affectum esse significat natura sua dispositum, aptum, commodum, aut habile esse ad arguendum; ita vt vicissim argui idem à suo affecto possit. Intelligitur enim omne argumentum esse relatum ad aliquid à quo mutuo afficitur. Illud autem aliquid, vocatur nonnunquam res arguta; quæ in dispositione axiomatica præcedit; sequente actu argumento. Etsi autem omne argumentum perpetuam af-

fectionem habet ad ſuum correlatum, vt cauſa ſemper arguit effectum : tamen in exemplis vel affectio perpetua & conſtans eſt ; vel mutabilis ; conſtans eſt in omnibus propriè affectis , Item oppoſitis & aliquibus communibus quæ perpetua accidentia nominantur, generibus & ſpeciebus, &c. Mutabilis eſt in fortuitis, & variis.

Cùm item rationem ſequatur oratio; quæ affectionis naturâ eſt, ita eſt enunciandum argumentum. Quod cum aliquando vno nomine, aliquando pluribus, exprimatur , ſemper tamen vnam rationem indicat in re vna , quanquam vni rei inſint rationes plures. Mutata enunciatione, plerunque & affectio mutatur.

Additur argumento aliquando declaratio. Id vocant ſyncategorema. Nam argumentum & Categorema dicitur , ſeu prædicatum.

Adhibetur etiam vel vnum ſolummodo , vel multa ſimul coniunctione aliqua contexta, quæ admonitiones oſtendunt generalia enunciationum fundamenta.

Quotuplex eſt argumentum?

Duplex : Artificiale, & Inartificiale.

(Solet & diſtingui aliter. Nam quoddam vocatur nudum ; quoddam diſpoſitum,

ſitum, idque vel axiomate vel ſyllogiſmo. Eſt & primum, ſecundum, tertium, quo pacto extrema in ſyllogiſmo vocatur. Et tertium argumentum eſt medium ſeu medius terminus, quo arguuntur quæſtiones: primus eſt quæſtionis prior terminus, aliâs ſubiectũ, & minor; ſecũdus eſt quęſtionis poſterior terminus ſeu maior, & prædicatum.)

Quid eſt argumentum artificiale?

Eſt quod ex ſe arguit. Hoc autem eſt ſuæ naturæ vi, & propria efficacia arguere, non fiduciâ rei alienæ. Itaque & argumentum artificiale eo plus habet roboris, & fidei.

Quotuplex eſt argumentum artificiale?

Duplex: Primum; & è primo ortum.

Quid eſt primum?

Argumentum eſt originis ſuæ. Hoc autem eſt ſeipſo conſtare, & aliunde ortum non eſſe, ſed potius aliis originem præbere. Itaque & primam ratione originis, in arguendo habet efficaciam.

(Notetur vox, Primus, apud Ariſtotelem quod in demonſtratione ſignet id quod ſtatim ſequitur ſubſtantiam, ita vt poſita hac illud ponatur, ex quo eſt affectio perpetua, neceſſaria & conuertibilis, qua ratione etiam antecedit omnia alia quæ ſunt in re eadem.)

Quotuplex est argumentum primum?

Duplex. Simplex, & comparatum.

Quid est argumentum simplex?

Est argumentū artificiale primū, quod simpliciter consideratur citra alterius intuitum cum quo debeat conferri.

Quotuplex est simplex?

Duplex: Consentaneum; & dissentaneum. Et quidem in his consensus & dissensus spectatur per se, primum & simpliciter. In aliis nempe in comparatis, ortis & testimonio, est nota saltē eius, seu symbolum, aut etiam quiddam simile.

Quid est consentaneum?

Est quod cum re, quam arguit cōsentit. Id Aristoteli vocatur συζυγὲς; & continet cognationem, identitatem & conuenientiam primam simplicemque, adeo vt qui cognoscere velit, quomodo alterum alteri sit affine vel idem primùm & simpliciter, illum oporteat hinc instructum esse. Et cum consentire sit inesse veladesse alterum alteri, consensus est causa, cur alterum de altero prædicetur & affirmetur, quam vim habet & coniunctio ex officio co niungendi.

Quotuplex est consentaneum?

Duplex: Consentaneum absolutè, & cōsentaneum modo quodam: seu statim: quadruplex; causa, effectum, subiectum, adiun-

adiunctum; quæ quatuor tantam habent autoritatem, vt in omne argumentum inferius ius obtineant, neceſſeq; ſit, res tam diſſentaneas, quam cõparatas, cũ ortis & teſtimoniis aliquo modo ad illa pertinere. Totam enim rei naturam in ſe complent.

Quid eſt abſolutè conſentaneum?

Eſt quod cum re conſentit perfectè & ſolidè. Abſolutum enim hic ſignat perfectum & plenarium conſenſum ſecundum genera. (non ſecuudum quamlibet modorum diſtinctionem) Ariſtoteli dicitur ἁπλῶς συλλυές.

Quotuplex eſt abſolutè conſentaneum?

Duplex: Cauſa, & effectum.

Quid eſt cauſa?

Argumentum cuius vi res eſt. Et viciſſim arguitur effectu.

Cauſa fons primus eſt ſcientiæ. Nam ſciri id creditur cuius cauſa cognoſcitur; cauſa autem propria, & immota. Hinc Ariſtoteles petiuit demonſtrationis ſuę medium; & notat cauſam quæſtione διότι ſeu διὰ τί.

Quanquam autem cauſa viciſſim arguatur effectu; tamen ratione naturæ prior eſt.

Cum etiam cauſæ ſymbolum ſit in relatione, & conſequentia ordineque naturæ; euenit vt omnia argumenta inter ſe affecta

fecta à causa vim acquirant, vt & iudicium logicum, sintque posteriora causæ argumento.

Quotuplex est causa?

Quadruplex: Efficiēs, & materia: Forma, & finis.

In his materia & forma intrinsecæ & essentiales nominantur, quia essentiam rei constituunt. Itaque & hæ validissimè rem arguunt cum ei inexistant; & demonstrationis media sunt certissima. Ex iisdem item existunt insigniora argumenta, definitio scilicet perfecta, distributio integri in membra, quin & genera & species symbola harum causarum habent; & coniugata notationesque hinc sumuntur potissimæ. Enunciata illas causas cum suis effectis continentia, principia maximè solent appellari in omni scientia.

Efficiens autem & finalis nominantur causæ externæ, quia non ingrediuntur & sunt in rei substantia.

Quid est efficiens?

Est causa à qua res est. Huius enim agentis operantisque potentiâ mouetur res ad substantiam. Itaque & Aristoteli dicitur causa à qua motus est, & res mota, cùm ipsa interim maneat extra rei essentiam, nec eius pars fiat.

Quo-

Quomodo diuiditur efficiens?

Cùm genera ſpeciesque eius veræ non appareant, modi autem ſint illuſtres; diſtinguitur modis quibuſdam, qui tamen non rarò in vna re conueniunt, differunt-que ratione tantum.

Qui eſt primus modus efficientis?

Efficiens aut procreans eſt, aut cõſeruãs.

Quid procreans?

Eſt cauſa quæ efficit procreando. Procreare autem eſt quouis modo aliquid producere, vt gignendo, condendo, arte faciendo, &c.

Exempla procreantis nuda ſunt: Deus, qui mundum fecit; Parentes, qui procreant ſobolem; Architectus, qui ædificia extruit.

Exempla diſpoſita ſunt: vt, In principio creauit Deus cœlum & terram. Gen. 1.

Et: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum. Pſal. 33.

Item: *Otia vt ames faciunt.* Ouid.

Ita: Annus producit, non ager. ἔτος φέρει οὐχὶ ἡ ἄρουρα. Theophr.

Cic. de Sen. Defectio viriũ in ſenectute adoleſcentię vitiis efficitur ſępius quam ſenectutis.

Pro tertio argemento eſt in his: Verè liberi eſtis; quia nos filius liberauit.

Virg. in 9. Æneid.

Impastus ceu plena leo per ouilia turbans,
Suadet enim vesana fames, manditq; trahitq;
Molle pecus, mutumq; metu, fremit ore cruento.

Effecta leonis arguũtur causa procreante; perturbat leo ouilia, quia fames incitat.

„ Ita dicimus: Arte valet. Benè itaque o-
„ perabitur. Homo hominum consortio
„ gaudet; Naturâ enim ducitur ad socie-
„ tatem.

Plærumque aliquid concluditur de effectu per procreantis affectionem; veluti;

„ Cõiugium bonum; quia Deus (procreans
„ eius causa) bonus.

Apellis tabulæ precioſæ ſunt; Ipſe e-
„ nim autor multi eſt precij. Carum filio
„ munus: Pater enim qui dedit carus, &c.
„ Ita Terentius Eunuch. act. 3. ſcen. 1. Læ-
„ ta eſt non tam ipſo quidem dono, quam
„ abs te datum eſſe. Id verò ſeriò triumphat.

Quid eſt efficiens conſeruans?

Eſt quæ efficit conſeruando. Ita Deus
„ eſt qui mundum conſeruat: Nutrix geni-
„ tam ſobolem in ſtatu conſeruat.

Ouidio otia amorem quẽ fecere tuentur.

„ Cic. de Sen. Poteſt igitur exercitatio &
„ temperantia etiam in ſene tute conſerua-
„ re aliquid priſtini roboris.

Pro

Pro tertio argumento sic adhibetur : Erit ecclesia. Quia eam Deus seruabit & defendet etiam inter hostes.

Variè autem enunciatur causa conseruans. Cicero metum dicit esse malum diuturnitatis custodem: Alibi, notitia corporis sustentari valetudinem, & obseruatione earum rerũ quæ prosunt vel obsunt.

Interdum fomitem & nutrimentum, fundamentumque appellamus id quod conseruat.

Quis est secundus efficiendi modus?

Causa efficiens aut sola efficit; aut cum aliis. Et illa solitaria nominatur, hæc coniuncta. Huc pertinet distinctio in totalem & partialem: vniuersalẽ, & partialem, &c.

Quid est solitaria.

Est quæ vi sui solius efficit; vt: Deus est qui solus mundum fecit; solus futura nouit, solus percutit & sanat, &c.

Ad firmandum cor syncerum sola fides sufficit. In cantico veteri: vbi fides solitaria causa est confirmans animum, &c. Lucan. in 5. pharſ.

Sola tibi causa hæc est iusta timoris
Vectorem non nosse tuum, quem numina nunquam
Destituunt, &c.

Solitariam causam indicant & coniunctarum negationes: vt Cic. pro Marcello.

„ In armis militum virtus, locorum op-
„ portunitas, sociorum auxilia, classes, com-
„ meatus multum iuuant. Maximam vero
„ partem quasi iure suo fortuna sibi vendi-
„ cat, & quicquid est prospere gestum, id
„ penè omne ducit suũ. At vero huius glo-
„ riæ, Cæsar, quam es paulò antè adeptus,
„ socium habes neminem. Totum hoc
„ quantumcunq; est (quod certè maximum
„ est) tuum est.

„ Ita Adelph. act. 3. sc. 2. Hercle alius ne-
„ mo respicit nos; scil. præter Hegionẽ so-
„ lũ, vt sc. 4. loquitur, T E solũ habemus, &c.

„ Arguit & quæstiones: Pereunt impii;
„ quia sine Deo sunt, quia sola salutis cau-
„ sa est.

„ Dies est. Sol enim euectus supra hori-
„ zontem est. Ita ecclesiæ vox est: *Da pacẽ Domine in diebus nostris. Quia non est alius qui pugnet pro nobis, præter te, Deus noster.*

Quid est efficiens coniuncta?

Est quæ coniuncta vi aliorum efficit.

Vocatur socia. Et sæpe par est societas: sæpè vnà principalis est, reliquæ adiuuãt, & ministrant. Huius loci est distinctio efentis in principalem & minus principalem; Item in remotam & propinquam: in principalem & instrumentalem: in αὔπον, σωαύπον, ϗ σωέργον: In ϖεοηγύμενον, ϖεοκαταρκτικὸν ϗ σωεκτικόν: In mouentes, & mo-

& motas, seu motas & impulsiuas. In adiuuantibus & instrumenta habentur.

Exempla nuda sunt; vt, cum duo consules rempublicam vnà administrãt; cum pater & mater educandæ soboli curam impendunt; cum Vulcanus arma fabricat ministrantibus Bronte, Sterope, Pyracmone; atque idem tenaci forcipe ferrum prehendit, igni coquit, malleo tundit, brachiis tollit, ore loquitur, &c.

Disposita sunt, vt in illo Horatii:

Natura fieret laudabile carmen an arte
Quæsitum est. Ego nec studium sine diuite vena
Nec rude quid possit video ingenium. Sic
Altera poscit opem res & coniurat amicè.

Ita Roman. 11. *Corde creditur ad iustitiam; ore fit confessio ad salutem.*

In præcedente Ciceronis exemplo; in armis, &c. Causæ principalis cum ministrantibus & instrumẽtis mentio fit. Fortunæ enim summa tribuuntur.

Tertium argumentum est in his:

Lucan. *---An vos momenta putatis*
Vlla dedisse mihi? nunquã sic cura Deorũ
Se premit, vt vestræ morti, vestræq; saluti
Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta sequuntur.

Negat militem victoriæ in libellis causam, quia sit ducum principaliter.

Ita

Ita Velleius in 1. de nat. Deorum irridet Platonis ſententiam de mundo facto, vocatque miraculum philoſophorum non differentium ſed ſomniantium. Quibus
» enim (ait) oculis animi intueri potuit ve-
» ſter Plato fabricam illam tanti operis, qua
» conſtrui à Deo, atq; ædificari mundũ fa-
» cit? Quæ molitio, quę ferramenta, qui ve-
» ctes, quæ machinę, qui miniſtri tanti ope-
» ris fuerunt?

Negat mundum factum, argumentò abſurdarum adiuuantium, &c.

Ita in ſacris abſurdum colligitur de diis
» gentium: Os habent, & non loquuntur,
» manus & non apprehendunt, oculos nec
» vident, aures, nec audiunt, pedes nec am-
» bulant, &c. Vbi & peculiaris accommodatio eſt cum inſtrumenti facultate.

Eſt autem de coniunctis cauſis regula, quod in neceſſario coniunctis non ſequatur effectus, ſi ſint inſufficientes: Itẽ quod remota vna neceſſaria; vt principali vt plurimum, remoueatur effectus, veluti; vi-
» ctoria non eſt, vbi Deus abeſt etiam ſi tur-
» mæ militum, & tormenta ſint præſto.

Qui eſt tertius efficiendi modus?

Efficientium quædam per ſe efficiunt; quædam ex accidente.

Quæ per ſe efficiunt?

Quarum actionem effectus ſequitur primum

primum & proximè. Itaque per aliud efficere non dicuntur. Ita medicus medetur; Dialecticus disserit, Rhetor dicit; Grammaticus loquitur; Agricola arat, serit, &c. Homo ridet, &c.

Natura est causa naturalium; ars artificialium. Negat philosophus, rationem qua caro, aut os quid est, à frigore vel calore esse; quia sit à motu proficiscente ab eo quod genuit, quodq; actu est id, quod gignendum est potentia.

Ita ait: Ferrum durum aut molle efficitur calore vel frigore: At verò ensis à motu instrumentorum qui artis obtinet rationem. Vbi per se causa ensis dicitur esse certus artis motus.

Ita homo gignit hominẽ: bos bouem; Et omnino simile gignit simile in naturali & vniuoca generatione.

Consilium est per se causa eorum quæ consilio aguntur; voluntas voluntariorũ.

Vis autem per se efficientis tanta est, vt reciprocè quoque arguatur ab effecto. Quia enim medicus est, mederi potest; Et quia medetur, medicus est. Ita pistor pinsit, & pinsens pistor est.

Quid est efficiens ex accidente?

Quæ efficit facultate alterius. Idq; aut consequenter per aliud: aut permutata facultate: veluti calor indurat lutum per accidens

» cidens. Opus enim eius per se erat calefa-
» ceré ; cui accidit exiccatio dum humor
» resolutus exhalat.
» Sic sol gignit hominem, & plantas, ca-
» lorem fundendo, & temporum periodos
» dimetiendo. Senatus loquitur voce præ-
» conis: Oculus dolet, cuius functio per se
» erat videre.
» Alieniora sunt hæc: Albedo ædificat:
» curuitas claudicat; lapides loquuntur, &c.

In causis accidẽtariis & fortuna casusq; recensentur ; illa quidem in voluntariis, hic in aliis: quãquam non raro permutentur. Est autem fortuitum id cuius causa est cæca, quanquam non omnino nullam habeat, euenitq; præter finem quem agens
» rationale intendit; vt: qui feram percussu-
» rus, vxorem interfecit; Item qui interfe-
» cturus phæreum Iasonem, sanauit. Ita
» piscaturus extraxit fortuito aureum tri-
» podem.

Adhuc de Efficiente.

Quid est materia?

Est causa ex qua res est. Et hæc est prima causa essentialis, vt pote quæ vnà cum forma essentiam constituit, manetque in effecto aliter informata. Eius est potentia quam passiuam vocant; sæpeque intelligitur ex potentia tali materia. Est & præcipua pars generis. Vnde & genus pro mate-

materia interdum sumitur. Eadem quasi subiicitur formæ. Inde subiectum præsertim physicis appellatur interdum. Vt ita crebro pro eodem vsurpata inueniantur, genus, subiectum, materia, potentia; non raro etiam generatio, quæ ex potentia materiæ est.

Cum autem nota eius sit particula, Ex; non raro tamen hæc etiam efficientem & alia signat, vt tempus, præcedentia, &c. Generi autem causæ, coniuncta propriè indicat hoc argumentum.

Exempla nuda sunt; vt: aurum est materia poculi aurei: lapides, ligna, ferramenta, cæmenta, &c. materia ædiũ: lana materia panni lanei: corium materia calcei, &c.

Disponitur autẽ in his: *Deus ex vno sanguine fecit omne genus hominum:* Act. 17. (Id materiã esse declarat & philosophus cum dicit: *Sanguinem materiam corporum esse iam sæpè dictum est 7. 3. gen. an. 1.*)

In bicoloribus ouis pullus nascitur ex albumine; cibum capit ex luteo. (vbi materia generationis & nutritionis exprimitur)

Plato in Timæo animam facit ex elementis. Arist. in 1. de anima.

Fit tertium argumentum in his: Redibis in puluerẽ; quia ex terra es. Preciosum poculum est: quia è gemmis & auro est.

Ita

» Ita corpus noſtrum corruptibile eſt;
» quia ex elementis eſt. Et iſtud argumen-
tam indicatur etiam epithetis; vt aureus,
» terreus, cæleſtis, Non deflagrat ſol: quia
» ex natura ætherea, vel quia æthereus.

Quid eſt forma?

Eſt cauſa per quam res eſt id quod eſt.

Itaque & maximè ſcientificum hoc argumentum eſt; Et eſſentialis cauſa potiſſima: nec raro pro formali & ſpecifica eſt differentia, qua à cæteris rebus diſtinguitur. Ingeneratur etiam ipſa ſimul cum re; ita vt tunc & rationem & nomen habeat ſuũ cum forma eſt. Vnde & actus primus, ꝑfectioq́; illa nominatur quæ eſt intima.

Forma poſita, res ponitur; negata negatur. Forma ſubſtantialis ſpeciem principaliter conſtituit; & pro ea ponitur ſæpè numero.

Eſt tamen alia interna & per ſe ſubſtantialis; alia externa; eaque tam in naturæ quam artis operibus. Externa autem eſt quædam affectio, maxime ita dicta cum eſt propria.

Sunt & formæ ſeparabiles, quæ ſeorſim ſine materia exiſtunt: ſunt inſeparabiles, quæ nunquam ſunt ſine materia. Illæ vocantur nudæ & abſolutæ: hæ concretæ cum materia, quanquam cogitatione poſſint abſtrahi, at non re. Ita Genii, ſunt formæ

mæ nudæ; Ita Deus,&c. Albedo vero, & ferræ forma, nunquam sunt separatim.

Exempla nuda; vt: anima rationalis est « forma hominis: curuatura est forma li- « neæ curuæ: rotunditas est forma sphæræ: « Ita ædibus sua forma est; sua etiam portu- « bus, syluis, montibus, &c. In quibus dis- « positiones situs partium formam confi- « ciunt. Ita mensæ forma est ex partium le- « gitima inter se compage, quæ non potest « nominari nisi ineptè, mensæitas, &c. «

In aliquibus περιφράσει & ὑποτυπώσει seu descriptione artificiosa designanda est. Itaque sæpè subiecta, adiuncta, fines, effecta, coniugata, &c. pro forma ponuntur. Vnde dictum est definitionis alteram partem, quæ differentia nominatur, esse formam; Et in aliquibus integra definitio eam monstrat.

Poëtæ gaudent illustribus descriptionibus, qualis est famæ, somni, famis, &c. Ita Horatius monstrum fingit:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit & varias inducere plumas
Vndiq; collatis mẽbris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne, &c.

Monstrum cõflatur ex capite virgineo, « ceruice equina, thorace plumeo instar a- « uium, & posterioribus ad instar piscium. «

Ita Virg. de harpyis in 3. Æneid.

Triſtiꝰ haud illis monſtrũ, nec ſæuior vlla
Peſtis & ira Deũ ſtygiis ſeſe extulit vndis.
Virginei volucrũ vultus, fœdiſſima vẽtris
Proluuies, vncæq; manꝰ, & pallida ſemper
Ora fame.

Et ſic ẽt diſponunt exẽpla. Veluti: Trigonus trib. laterib. tres angulos includit: Sicilia inſula triquetra eſt. Menſa Pythagoræ angulis tribus conſtat. Circulus per orbem circumducta linea in ſe reuertitur. Oculus eſt per viſum; Auris per auditũ, (Nã hęc formæ appellantur philoſopho.)

Forma pro tertio argumẽto in Ariſtotelica demonſtratione adhibetur; & aliàs quoque. Et hęc potiſſimum exigitur, cum διὰ τί quæritur, licet & aliæ cauſæ & definitio ſatisfaciant. Propter quid loquitur homo? Quia animam habet rationis & orationis facultate inſtructam. Ita Plato ait: *Ignem penetrare, quia cõſtet pyramide angulorum acutiſſimorum.*

Serra ſecat. Dentata enim eſt viciſſim cum acumine & aſpredine.

Acinaces gladius eſt: Conſtat .n. capulo & acie producta recuruaq;. Sed rarius ſolam reſpondemus formam propter difficultatem. Sæpius mãteria, finisque imò definitio adducitur. Finis autem & forma nonnunquam re nihil diſtant.

Quid

Quid est finis?

Finis est causa cuius gratiâ res est.

Itaque licet finis post rem factam appareat illustrius, & tunc etiam actu possit esse, & vsum rei prętare: tamen qua ratione causa est cui destinatur aliquid, prior est opere. In ordinatis autem nihil fit temerè. Fit autem sæpè idem sui ipsius gratia, vt planta per naturam nascitur vt sit; « Inde finis & forma sæpènumero coincidunt: Sed nec raro gratia alterius; vt nascitur planta, vt alat animalia, vt Dei potentiam arguat. « «

Sunt & vnius rei fines plures, aliquando ordine quodam se consequentes; & alius est remotior, alius propinquior: alius principalior; alius minus principalis. Ita quæ natura fecerat sui causa: ea vertuntur ad hominum vtilitates ex consilio. Huius autem occasiones sunt ipsæ in naturalibus aptitudines & dispositiones.

Dicitur finis aliquando causa impulsiua, potissimum in voluntariis.

Quæ fiunt sine ratione finis, fortuita vel temeraria appellantur.

Notæ finis sunt tum quæ expressa est definitione scilicet, cuius gratia; tum aliæ, vt: ad, vt, gratia, causa, propter, & similes. Item Gerundia.

Exempla nuda sunt: Deus est finis o- «

„ mnium conditorum vltimus. Ad eum e-
„ nim omnia reuocantur à quo exierunt.
„ Artium omnium finis est ἐπιστήμη; quan-
„ quam aliqui sola notitia sint contenti.
„ Hominis gratia sunt omnia aspectabilia;
„ Homo est gratia Dei. Et quidem principa-
„ liter homini propositus est Deus, vt se ad
„ ipsius similitudinem componat; deinceps
„ vero est etiam hominum causa; vt illis ser-
„ uiat; Est agri colendi gratia, est discen-
„ di, &c. Ita magistratus est gubernationis
„ gratia, &c.

Disponuntur finis & res finita seu destinata ita: *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendũ in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, &c.* Vbi prior finis huic est subordinatus. 2. Tim. 3.

Omnia suffero propter electos, vt & ipsi salutem consequantur. 2. Tim. 2.

Horat. *Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones*

Te ipsum vt serues non expergisceris?

„ Qui aliis nocent vt in alios liberales
„ sint, in eadem sunt iniustitia vt si ipsi in
„ suam rem aliena conuertant. Cic. 1. Offic.

Vbi finis, vt in alios, &c. est syncategorema antecedentis.

„ Regulus missus est Romam de capti-
„ uis commutandis; Cic. vbi nota est D E.

Finis

Finis tertium argumentum est in his: Inanitates sermonum omitte; quia ad maiorem proficiunt impietatem.

Ita Saluator Ioan. 12. negat se iudicare, quia non venerit ad iudicandum, sed ad seruandum. Cic. 1. offic. Ex quib. illud intelligitur appetitus omnes contrahendos sedandosque esse, excitandamq; esse animaduersionem & diligentiam, vt ne quid temerè ac fortuitò, inconsideratè negligenterq; agamus. Neq; enim ita generati à natura sumus vt ad ludum, & jocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potius, & ad quædam studia grauiora atque maiora.

Tantum de causis.

Quid est effectum?

Effectum est quod è causis existit.

Itaq; effectũ causis posterius est: cumq; existat è causis; ad totum non sufficit causa vna; quanquam aliquando vna saltem arguatur. Hinc regula: *Ex insufficiente causarum enumeratione non sequitur effectus.* Est & hoc manifestum quod posito effecto ponatur causa, quanquam non semper omnis. Item quod causæ vis eluceat in effecto vt plurimum; vnde dici solet: *Qualis causa tale effectum.* Sicut autem vnius causæ possunt esse effectus plures, iique vel consequentes se mutuo; vel alius per se,

alius ex accidente: ita & idem effectus potest existere ex causis contrariis; quanquã per se contrariæ causæ contrarios edant effectus. Ad hoc genus argumenti refertur τὸ ὅτι, quod demonstrando concluditur per διότι seu per causam.

(Quamuis aliàs etiam respondeatur ad quæstionem εἰ ἔστι)

Dicitur autem effectum tum motio ipsa, quæ est vi agentis; tum res motu effecta. Itaque exempla quædam effectus sunt, quæ in categoria actionis & passionis recensentur, nimirum species motus; vt generatio, corruptio, motus localis, &c.

Sumit & effectum distinctionẽ quandam à causis quas sigillatim respicit, & cum quibus disponitur; vt: destinatum
» dicitur ratione finis; formatum: ratione
» formæ, materiatũ ratione materiæ; Effe-
» ctum propriè ob efficiẽtem, quod & pro-
» creatum dici potest.

Exempla nuda sunt: Mundus est effe-
» ctum Dei, vbi causa agens respicitur. Est
» effectum Dei, ex nihilo secundum Ideam
» in mente Dei formatam, ad gloriam Dei
» & humanum vsum, &c. Vbi causæ omnes
» adducuntur. Ita homo primus procrea-
» tus est à Deo ex limo terræ secundum
» corpus, spiraculo vitæ ad Deum colen-

dum

dum & homines adiuuandos, &c. Postea « verò procreatur à parentibus per semen « ex sanguine forma simili, seu specie eâdē, « ad officia priora. «

Ita ædificatio & ædificium sunt effe- « cta architecti. Medicatio & sanitas recu- « perata effecta medici. Tractio currus « solaris est effectum quatuor equorum « solis. Vectura est effectum equorum « ministrantium, & aurigæ principaliter « gubernantis. Nauigatio effectum Nau- « cleri, claui, remigum, venti, velorum, « remorum, &c. est: vbi primaria causa est « cùm adiuuantibus & instrumentis. E « crystallo est poculum crystallinum: E « præceptis & methodo constant artes: ex « corpore & anima rationali homo. «

Disponitur porro effectum cum causa ita:

Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Ioh. Epist.

Horat. *Fortes creantur fortibus.*

Et genus & formā regina pecunia donat.

Effectus est & in his symbolicis & syncategorematicis:

Vt: *Nate Dea quo fata trahūt retrahuntq; sequamur.*

Vbi Dea causa est, Natus effectum. Ita, Anchisiades, Pelides, Laërtiades, &c. «

Pro tertio argumento est, cum salua- «

„ tor disputat se à Deo esse, seu Deum, quia
„ opera diuina faciat: Item se missum salua-
„ torem, quia cæcos sanet, claudos restituat,
„ afflictis euangelium nunciet.

Hoc modo Horatius arguit Agamemnonem insaniæ. 2. serm. sat. 3.

Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam,
Ante aras spargisq́, mola caput improbe salsa
Rectum animi seruas?

Arguitur & effectum effecto illustraturq́; in hunc modum:

Quid non ebrietas designat? Operta recludit
Spes facit esse ratas, in prælia trudit inermem.
Solicitis animis onus eximit; addocet artes,
Facundi calices quem nõ fecere disertum?
Contracta quẽ non in paupertate solutum?

Vbi quæstio est: multa ebrietas committit; veluti arcana manifestat, &c. vel quia arcana reuelat, &c.

Ex effectis sumuntur laudes verissimæ; vt & probra ignominiosissima, cum illi ipsi qui laudantur aut vituperantur causæ
„ existant: veluti præclarus pictor Apelles
„ fuit; quia Venerem Coam pinxit elegan-
„ tissimè.

Sic

Sic Cicero laudandum Themiſtoclem « putat ob conſilium bello Perſico nauali « prælio decernendi, &c. Item Solonem, « quod conſilio eius Areopagus ſit conſti- « tutus ; Item ſibi multum laudis tribuit, « quod vrbano conſilio ſuo patriam libera- « uerit conſpiratione Catilinæ. 1. Offic. «

Conſilia ergo etiam in effectis ſunt, & ab iis laudes petuntur.

Inter effecta ſunt & dicta ſcriptaque, à quibus item laudamur aut vituperamur; veluti ſeptem Græciæ ſapientes laudantur « ſententiis præclaris editis; vt contrà vitu- « peratur ille qui dixit. Ita amare oportere, « vt aliquando ſis oſurus; id quod ad Bian- « tem referunt. Quo pacto & Sylla 2. Offic. « vituperatur quod haſta in foro poſita cum « bona ciuium venderet, dixiſſet prædam « ſuam ſe vendere, &c. «

Scriptis celebrantur Homerus, Ariſto- « teles, & alij. Cicero & dicendi arte com- « mendatur. «

Ita tribuuntur effecta virtutibus & artibus, ſicut dicitur, virtutis laus omnis in « actione conſiſtit. Inde item laudamur, ſic- « ut à vitiis & inertia culpamur: vt eſt in 2. « Offic. Contemnuntur ij qui nec ſibi nec « alteri proſunt, in quibus nullus labor, nul- « la induſtria, nulla cura eſt. «

In hũc modum Cicero iuſticiam com-

» mendat, quod vis eius tanta sit, vt etiam la-
» tronum opes firmet atque augeat, &c.
» Laudatur Regulus fide seruata: Pœni vi-
» tuperantur fracta. Fortitudo efficit res
» præclaras. Inde laudantur Scipio, Marcel-
lus, & alij. Eiusmodi effecta in sacris sunt
frequentia; quo de genere illud est: Af-
» flictio patientiam parit, patientia pro-
» bationem, probatio spem; spes non pude-
» facit, &c. Rom. 5.

Quin & priuationibus sua tribuuntur
» effecta; veluti cæcitas miseriam quandam
» affert: mors filij tristitiam parenti: sur-
» ditas defectum disciplinæ acroamaticæ,
&c.

DE SVBIECTO.

Ita fuerunt argumenta consentanea absolutè.

Quid sunt consentanea modo quodam?

Consentanea modo quodam sunt, quæ inter se consentiunt eô, quod vnum adiũgatur alteri.

Ea Aristoteles videtur nominasse συζυγῶν πῶν. Et cõtinent ea quæ sub stantiã seu rem effectam positamq; sequuntur vel comitantur, qualis est ratio vnde subiectum dicitur, & ratio vnde adiunctum. Itaque & imbecillior hic consensus est quam prior, quandoquidem ibi alterũ alteri erat causa existendi; hîc existenti in substantia sua rei accedit

accedit alterum. Ibi vis cauſæ in effecto eſt: hîc ſaltem acceſſus aut conſecutio, ſeu vi totius ſubſtantiæ qua poſita ponitur adiunctum, ſeu quorundam, quæ inſunt ratione, aut etiam externa acquiſitione.

Quotuplicia ſunt conſentanea modo quodam?

Duplicia: Subiectum & adiunctum.

Quid eſt ſubiectum?

Eſt cui aliquid adiungitur.

Itaque correlatum eius eſt adiunctum. Et cum ſit fundamentum ſeu ſuſtentaculũ adiunctorum; poſito eo ponuntur adiuncta, potiſſimum quæ propriè perpetuoq; aſſunt: Deſtructo vero, tum propria tum cõmunia tolluntur. Nihil enim poteſt eſſe reliquum, ſuppoſito deſtructo: Id quod vulgo de ſubſtantia & accidentibus tradunt.

Diſtingui poteſt quadrifariam. Eſt enim ſubiectum inhærentiæ, ſeu in ſe recipiens: Eſt aliud quod adhęrentiæ vel ad ſe recipiens vocant: Eſt comprehendens, & tandem occupans.

Quod eſt ſubiectum in ſe recipiens?

Eſt, cuius naturæ inſunt adiuncta, ita vt in eo recipiantur.

Exempla nuda ſunt: Anima hominis eſt « ſubiectum ſcientię, ignorantiæ, prudẽtię, « rationis, &c. quæ hæc eſſentiæ conſtitutæ « adiun-

adiunguntur. Vnde illa ſubiectum inhærentiæ nominatur.

» Sic morbis ſubiicitur corpus animatũ; » ſic affectionibus ſuis elementa, vt ignis » ſubiectum eſt caloris & ſiccitatis; terra » frigoris & ſiccitatis; aqua frigoris & humi- » ditatis, &c. Itẽ ignis ſubiectum eſt leuita- » tis ſummæ; terra grauitatis abſolutæ, &c.

Diſponitur hoc ſubiectum cum ſuo inhærente adiuncto ita:

» Opus legis ſcriptum in cordibus gen- » tium eſt. Paulus.

» Noſſe ſeipſum eſt animæ. Plato.

» Memoria cum ſenſibus incidens verba » quædam in anima quodammodo inſcri- bit: Vbi ſubiectum eſt anima; diſpoſitum » ſyncategorematicè. Sic Ariſtoteles virtu- » tem humanam dicit eſſe animæ: Ita affe- » ctus corporis & animæ ſimul, tum Plato » tum Ariſtoteles, volunt eſſe. Enunciatur » hoc etiam ita: Ratio pertinet vel ſpectat » ad intellectum: Pœna comitatur delictũ; » Gloria virtutem.

Eſt pro tertio argumento in his:

» Leue, calidũ, ſiccumq́; eſt, quia ignis.

» Loqui poteſt, quia homo eſt.

» Nec ratione nec oratione vti poteſt, » quia non eſt homo.

» Non eſt omnipotens, quia non eſt » Deus.

Quod

Quod est subiectum ad se recipiens?

Est cui adhæret adiunctum. Itaq; quæ circumstant, astant, aut extrinsecus comitantur, aut aliâs adordinantur vel adaptãtur, ita vt non sint in ipsa rei naturâ, hoc subiectum designant.

Exempla nuda: Homo est subiectum diuitiarum & paupertatis: Item vestitus, honoris, &c. Paries est subiectum adhærentis calcis, armorum, &c. Cutis subiectum est astantis cerussæ & purpurissi. Ita auriga insidet equo, tanquam subiecto, sicut idem equus est subiectum ephippij & onerum quæ portat. Currus subiectum est eorum quæ vehuntur; Et omnino quibus aliquid imponitur, ea subiecta sunt impositorum, &c.

Disponuntur hæc ita:

Virtutem incolumem odimus.

Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Virtus subiectum est, cui adhæret odium; non inhæret. Ita:

Domini est terra & plenitudo eius: Dominus subiectũ tale est, &c. cui adiungitur terra.

----*Equo vehitur sublimis in alto.*

Equus me portat. Lignũ aquæ innatat. Aër insistit aquæ; aqua terræ.

Tertij argumenti vim habet ita:

Non oportet nimium solicitum esse de vesti-

„ veſtimentis; quia ſunt corporis.
„ Mari incedendum eſt. Ergo eundum
„ naui.
(Eſt tamen hîc etiam affectio cauſæ inſtrumentariæ)
„ Confidendum eſt piis; quia ſiue viuant
„ ſiue moriantur, ſunt Domini.

Quod eſt ſubiectum comprehendens?

Eſt quo cõtinetur capiturq́; adiunctũ. Id vocant vno nomine locum, qui tametſi primùm eſt materiæ phyſicæ adiunctum; tamen logica cõſideratione fit ſubiectum & extenditur ad omnia in quibus aliquid poſitum locatúmve intelligitur. Vnde & Ariſtoteles inter genera generaliſſima recenſuit τὸ ποῦ, ſeu categorian Vbi, quæ de loco logico quærit, cui adiungitur res locata.

„ Exempla nuda: Cœlum eſt locus cor-
„ porum perpetuorũ. Terra eſt locus per-
„ fectè miſtorum quorundã. Aqua eſt locus
„ piſcium, &c. Templũ eſt locus officiorũ
„ ſacrorum: Curia eſt locus ſenatus conue-
„ nientis ad conſulendum publicè. Schola
„ locus eſt ſcholaſticæ diſciplinæ, compre-
„ hendens in ſe docentes, & diſcentes.
(Vide ne fines confundas cum adiunctis locatis)
„ Italia locus Italorum eſt. Ita regiones,
„ vrbes, ædificia, cellæ, cameræ, &c. loca

ſunt

ſunt rerum ſuarum. Ita locus ſuus affingi- «
tur Encelado; chymæræ, equis ſolaribus, «
&c. Ita vmbris campus Elyſius, Pyriphle- «
gethon, Styx, &c. Tribuunt & his locum «
quæ phyſicè locari non poſſunt; vt anima «
includitur cerebro, vel cordi; memoria, «
phantaſia & ſenſus communis cerebri re- «
gionibus diſcernuntur, &c. «

Diſponitur ſubiectum comprehendẽs cum locato ita:

Nullum ſimulachrum eſt in mundo. «
1. Corinth. 8.

(Notanda eſt ambiguitas particulæ In, quæ modo ſignum loci eſt, modo ſubiecti in ſe recipientis, modò ad ſe recipientis, modò alia notat argumenta, vt forma eſt in effecto formato ſubſtan- «
tialiter; In Chriſto eſt plenitudo diui- «
nitatis corporaliter item per vnionem «
membrorum ſubſtãtialium. Ita in cor- «
pore eſt manus; non vt in loco, ſed vt «
membrum in integro, &c.) «

Ita: Tiberis fluuius eſt in Italia: «

Lazarus eſt in ſinu Abrahæ, ſeu in loco «
beatorum. «

Speluncam Dido, dux & Troianus eandẽ
Deueniunt:
Deuenere locos lætos & amœna vireta.
I ſequere Italiam ventis; pete regna per vndas. Virg.

Diſcu-

Discubuere toris reges. Lucan.
Infudere epulas auro, gemmæq; capaces
Excepere merum. Idem.

Pro tertio argumento in his est: Ani-
» malia nutriuntur humido & sicco; quia
» tantum in terra & aqua viuunt.
» Voluptuosus est, quia Sybarita, hoc est,
» ex oppido & ciuitate illa.
(Nam interdum loca exprimuntur adiectiuè.)
» Agrestis est; quia in agro villaque inter
» rusticos educatus. Moratus est; quia in ci-
» uitate vixit.
» Ita apud Horatium quidam ciues di-
» cunt beatos, quia in oppido habitant; cõ-
» trà ciues rusticos, quia agunt ruri.
» Ita physici quod sit in cœlo vel terra a-
» spectabile, corpus esse arguunt.
» Iudęi Saluatorem negant Prophetam,
» quia è Galilæa sit, & Nazaretho oriundus:
» Et quia Christus venturus Bethlehemo
» erat.
» Plato vult coli astra; quia loco excellẽ-
» tissimo posita.
» Aristoteles negat cometam esse plane-
» tam, quia extra Zodiacum fiat; & potissi-
» mum in regione elementari.

Quid est subiectum occupans?

Est circa quod versatur occupaturque adiunctum.

Sic

Sic ſenſilia ſunt ſubiecta ſuorũ ſenſuũ, color ſcilicet viſus, ſapor guſtus, ſonus auditus, odor olfactus; qualitates tactiles tactus, quia circa ea vnuſquiſque ſuorum ſenſuum occupatur.

Res item propoſitæ virtutibus & vitiis, ſunt horum ſubiecta; veluti fortitudo occupatur in periculis; temperantia circa cibum, potum & eiuſmodi res eſt; iuſtitia circa id quod cuique debetur, &c. Sic & ſcientiæ occupantur in ſuis; vt, inuentio logica tractat de argumentis; Grammatica eſt in vocibus: Numerus eſt ſubiectum Arithmeticæ. Ferrum ſubiectũ fabri eſt; Lignum ſubiectum fabri materiarij; coquus tractat ignes cibosque. Pincerna vinum & eiuſmodi potulenta, &c.

Diſpoſitio ſubiecti occupantis eſt cum adiuncto occupato in hunc modum.

Quod medicorum eſt promittunt medici; *Tractant fabrilia fabri.* Horat.

Circa metus eſt fortitudo. Ariſtot.

Item: Virtus eſt circa ægritudines & voluptates. ----*Famulas ad lumina longo*
Exercet penſo. vel:
Data penſa trahebant. Virg.
Ferrum exercebãt vaſto Cyclopes in antro.
Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerũ, verſantq; tenaci forcipe maſſam, &c.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [69] - 65
PUBLIC DOMAIN

Est & hoc pro tertio argumento:

» Gens habitãs ad catadupa Nili sensu au-
» diendi caret propter magnitudinem soni-
» tus; seu quia sonus est magnus, &c.
» Inter campanos nulla est cõtentio, quia
» nullus honor.
» Non discit, quia in libris non est fre-
» quens: vel, quia tractat ludicra.
» Geometra est, quia magnitudines me-
» titur.
» Arithmeticus est. Tractat.n.numeros.
» Aduersa fert, & ardua intrepidus ag-
» greditur. Fortis ergo.
» Cibos parcè attingit. Tẽperãs ergo est.
» Colores pcipit. Visu ergo præditus est.
» Cęcus est talpa, quia colores nõ sentit.
» Arma bellica tractat. Miles ergo est.

Quid est adiunctum?

Argumentum cui aliquid subiicitur.

Itaq; ab hoc ad subiectum arguendi af-
fectio est; etsi autem subiecto leuius est,
attamen copiosius & frequentius. Vnde
copia plurimũ potest. Esse autẽ leuius in-
de patet, quia adiuncto sublato non statim
tollitur subiectum, nisi omne negetur.

Cõcursus verò pluriũ adiunctorũ sub-
iectũ determinat certius. Vnde in descri-
ptionibus prolixis valet. Vocatur & for-
ma externa, & affectio: vulgus accidens
plęrũq; nominat, quãquã sit ea vox latior.

Adiun-

Adiunctum distinguitur in proprium & commune.

Quid est adiunctum proprium?

Est q̃ vni tantũ ineſt, per ſe & primum. Itaq; &c cũ ſpecie ſubiecta ponitur & deſtruit viciſſim. Nã arguũt ſe reciprocè. Et ꝓpriũ modò notat vnica voce ꝓpria; modò multis q̃ ſingulę ſunt cõmunes, at coniunctę fiunt ꝓprię: modo etiã demonſtrãdo indicatur. Ita proprium etiam differentia quædam eſt. Itaque & diſtinctiones penè formales aſſequitur virtute.

Tale proprium Ariſtoteli nominatur in demonſtratione ἴδιον πάθος, quod ſubiecto ineſſe demonſtrat per cauſam, & axioma ſcientificum facit.

Extendit hinc ſe ꝓprietas in omne penè argumentũ. Affert. n. illi qualitatẽ quandã, vnde propriũ vocatur; Ita propria cauſa, propriũ effectũ, ꝓpria notatio, &c. quę ita affecta ſunt, vt primũ & per ſe arguant mutuo, citra alienationem.

Exempla proprietatis talis ſunt; vt: Homini propria eſt loquela, ꝓprius riſus, &c. « Item capere diſciplinã, diſcere artes, &c. « Oculi propriũ eſt videre, pulmonis reſpirare, pedũ ambulare, &c. Equi ꝓpriũ eſt « hinnire, canis latrare, lupi vlulare, corui « crocitare, ranæ coaxare, ſerpentũ ſibilare, « agnorũ balare, boũ mugiri, turturũ gemere, &c. «

Disponuntur ita:

----Campos implent balatibus agni.
Nec gemere aëria cessabit turtur ab vlmo. Virg.
Tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa, &c. Horat.

In primis hominis est propria veri inquisitio atque inuestigatio. Cic.

Idē: Vnū hoc animal sentit qd sit ordo, qd deceat in factis, dictisq; qui sit modus.

Flebile sæui latrauêre canes. Lucan.

Tertium argumentum crebro fiūt ita: Homo cernit consequentia; quia est particeps rationis. 1. Offic.

Non vlla in re lōgius absumus à natura ferarum, in quibus inesse fortitudinē sępe dicimus, vt in equis, in leonibus: iusticiā, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis & orationis expertes.

Ita dicimus; Numerat, loquitur, ridet, intelligit, lachrymatur, &c. Ergo homo est. Et hæc vicissim.

Quid est adiunctum commune?

Commune adiunctū est, quod inest simul multis. Itaq; nō potest reciprocè argui cum subiecto suo, & æqualiter. Sed cum conuertitur, secundum quid & particulariter arguit.

Et communium quędam sunt constantia; quædam mutabilia.

Exem-

Exempla constantium; vt: Bipedē esse cōstat in hominibus & auibus: Ita quadrupedē esse in leone, asino, vulpe & reliquis. Octipes est cancer, &c. In arboribus constans est, sursum erigi & ad cœlū ramis cōtendere: Idē est in fruticibus, & herbis. In talpa cōstans est cæcitas; In vespertilione nocturnus volatus, q est & in noctuis, &c.

Hinc concludimus: Quadrupes est; quoddam ergo animal est. Sin congeras plura; vt: Quadrupes est, & robore præcellit animositateq; exuperat alias bestias, & rugitum tollit: Leo ergo. Vbi plura assequuntur vim proprij. Ita in viola; cui semper quidem suus color est, vt martiæ, cæruleus; at inde non arguitur viola, ita vt ponatur posito colore; sed alia addi necesse est, qualia forēt; colore est cæruleo, martio apparet, suauiter olet instar radicis Iridis Florentinæ, humi nascitur, cor roborandi refrigerandiq́ue potentia habet, &c. viola ergo est.

Fortuitorum exempla sunt passim obuia: veluti albedo in cane, in pariete, in pānis, &c. rectitudo in baculis, doctrina in homine hoc vel illo; mendaciū in Æthiope, &c. Et hęc agnoscuntur quod esse possint subiecta horum integra, & illabefacta, etiamsi ista non sint; veluti lignum est, etiamsi nō sit curuum. De his dictum est;

quod possint adesse & abesse citra subiecti corruptionẽ. Nominarunt accidẽtia mutabilia; quæ subiectũ non arguũt firmiter.

Quæ est præterea distinctio adiuncti?

Quadrupliciter distingui potest, vt subiectũ. Aliud enim dicitur inhærens, quod connatũ est ipsi substantię & penitus inolitum. Aliud adhærens, quod acquisitum foris est; & intelligitur mutabilitate, aut, si mutari iam nõ potest, certè aliquando extra rei naturam fuit; vt: vitiligo in cute, nigredo in dente: Talia tamen nonnunquã etiam dicuntur inhærentia.

Aliud porrò est comprehensum, estq; res loco concluſa; Aliud occupatũ, quod detinetur circa suum subiectum.

In adiunctis adhærentiæ plurimæ sunt circumstantiæ, vt: vestitus, comitatus, situs, tempus, &c.

Neq; tamen tẽpus semper in adiunctis est. Nam & subiectum fit; veluti Bachanalibus bibitur, & furitur; Calendis Ianuarij annus nouus inchoatur, &c.

Exempla horum vicissim se habent, ac in subiectis. Inde peti possunt.

Ita est consentaneorum categoria.

DE ARGVMENTIS DISSENTANEIS.

Quid est dissentaneum?

Est

Est quod à re quam arguit dissentit.

Dissentire autem est abesse, seu non inesse, non competere, non prędicari. Vnde dissensus est fundamentũ negationis, spectaturque hìc in suis primis & simplicibus locis, è quibus vis se extendit etiam in comparata imparia, dissimilia, & quęcunque negatè disponuntur.

Omnis quoq; differẽtia, quocunq; sanè modo alterũ ab altero distinctũ aut aliud esse potest, ad hos fontes ꝓprios primosq; reuocatur: (quanquã aliquando in loquẽdo cõmittatur ἀκυρολογία, & κατὰ συμβεβηκὸς, dicatur res à re differre specificè & formaliter, quod est differre dissensu disparato, vel aduerso, &c. Itẽ differre genere & specie, q̃ relata differentia est; differre numero vel indiuiduo, qđ itẽ est aduersè vel disparatè distare, gradu tamen inferiore)

Sũt porrò dissentanea ęquè inter se manifesta. Nã cum dissentaneũ arguat dissentaneo, necesse est constare alterũ quod arguit, æquè dissentaneũ esse ac alterũ quod arguitur. Hinc etiã ęqualiter arguit alterũ alterũ. Nã sicut dico, Leo nõ est bos, ita vicissim, Bos nõ est leo: Et scio vtrũq, æquè. «

Quanquã autẽ & æquè sint nota, & æqualiter se arguãt mutuo, tamen cũ accõmodãtur mutuo, dissensionis vi clarius eluceſcũt, veluti, noui bouẽ, noui & leonẽ,

scioq; hunc esse alium ab illo, sicut ille vicissim est alius ab hoc: at cum alterum ad alterum adhibetur, spectaturque; clarior existit cognitio. (vt sic illa sit confusa potius, hæc verò determinata)

Quotuplicia sunt Dissentanea?

Duplicia: Diuersa, & oppositа.

Quid sunt diuersa?

Sunt dissentanea, quæ cum in vno consentiãt, ratione tamẽ dissentiũt. Itaq; hinc petitur discrimen rationis, quod est cũ res aliquô vnæ, distinguuntur tantum modo quodã; veluti efficiens modo diuerso efficiẽdi discernit; vel respectu diuerso; veluti cum idẽ baculus lõgus est respectu breuioris; breuis, respectu longioris: Eadem aqua leuis est ad terrã, ad aërẽ grauis. Differũt & tempore, locisq;, veluti idẽ mons apparet grãdis propè; paruus remotè: Idẽ homo ruffus est & canus diuersis temporibus. Ita de partibus: Idem Æthiops est albus & niger; illud dentes, hoc cutem externam, &c. Hinc euenit, vt, cum aliquid cognationis habeant ratione vnius quo conueniunt, possintq; simul inesse, aut etiam non inesse, enuncientur & affirmatè, & negatè. Et est in eis vis oppositionis, si illa inter se considerentur, absque vno in quo conueniunt.

Notis plerumque aliquibus agnoscuntur;

tur;quales ſunt: Non hoc ſed illud:quanquam, etſi quamuis, quibus reſpondet Tamen; quæ etiam præcipuam vim in diſpoſitis habet.

Euenit vero vt ſeu antecedēs diſſimuletur ſeu conſequens,hoc eſt,vox,Etſi,interdum omittitur:interdum vox: Tamen. Interdum & nota nulla eſt. Sunt autem notæ relatæ: nec ſemper diuerſa ſignant: ſed interdum etiam oppoſita.

Exempla nuda ſunt:Grauitas,& leuitas eſt in vno aëre diuerſo reſpectu: Facundia & deformitas in vno Vlyſſe eſt,ſed partib. diuerſis. Veritas & mendacium in vno eſt Platone,ſed circa res diuerſas. Idem Apelles eſt pictor & homo;ratione diuerſa. Ita omne oppoſitum poteſt fieri diuerſum, veluti Herodes eſt homo & vulpes diuerſis diſpoſitionibus: Idem Vlyſſes eſt pater & filius: Eadem aqua eſt calida & frigida: Idem Dion ſedet & non ſedet: Iidem Iudæi cæci ſunt & vident. Nam & tropi diuerſitatem gignunt: Ita gradus, veluti aqua tepida eſt frigida & calida; ſic δύναμις & ἐνέργεια ſeu potentia & actus: vt tritici ſemen planta eſt & non eſt: Hoc actu,illud potentia. Sic res fiunt diuerſæ diuerſarum artium tractatione: vt homo Theologiæ eſt, phyſicæ eſt, arithmeticæ eſt & aliarum artium rationibus diſcre-

„ pantibus; Et idem est Theologus, physi-
„ cus, Ethicus, paterfamilias; mortalis, im-
mortalis &c. Cætera diuersis conditionibus. Inde existunt tam copiosæ & non raro etiam friuolæ distinctiones, quas vitabit is qui meminerit diuersitatem ex rerum natura petendam esse, & artificis intentione.

Disponitur diuersum cum diuerso ita:

Rom. 1. *Gentes quanquam Deum cognouerunt, non tamen vt Deum glorificauerunt.* (poterat autem hoc vtrunque in iis esse)

Virg. *Hìc Priamus quanquam in media iam morte tenetur*
Non tamen abstinuit---

„ Cic. Quanquã sensu corporis iudican-
„ tur, ad animum referuntur tamen.

(In affirmatis videtur permutatio fieri & ellipsis. Nam sensus est: Etsi sensu corporis iudicantur: non tamen sunt sensus, sed ad animum referuntur, Ita:

„ Quanquam Plato philosophus fuit
„ summus, errauit tamen, pro, non tamen sine errore fuit. Eiusmodi enim opposita negata & affirmata permutantur: Et semper respiciendum est ad id quod inesse natura debebat, nõ au-
„ tẽ inest; veluti, magnus orator est Ci-
„ cero, at nõ omnes causas euicit, q; tamen videbatur consentaneum esse)

Est

Est & in hoc exemplo diuersitas, quod Terétius posuit in Eun. Si ego contumelia hac digna sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen. Vbi idem factum respectu diuersarum personarum dignum & indignum æstimatur: Sicut edere in foro turpe est principi, non turpe scurræ. Alius modus est eius quod Cicero p Ligario dixit. Scelus tu istud vocas Tubero? Cur isthoc autem nomine illa adhuc causa caruit? Alii enim errorem appellant, alii timorem, qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciã; qui grauissimè temeritatem. Scelus præter te adhuc nemo.

Hic vnâ causa diuersis nominibus appellatur: & notæ desunt, pro eo quod fuerat; quanquam error sit, &c. non tamen scelus est.

Ita: qui tollendum Cæsarem scripsit, occidendum non exaltandum voluit. Et eiusmodi sunt homonymorum, & amphibolorum declarationes.

Notarum altera dissimulatur in hoc de M. Crasso & Q. Hortensio in 3. offic. Cic. Satin' hoc est vt non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur, quanquam alterum amaui viuum, alterum non odi mortuum.

Errare quidem fœdum est; humanum tamen. Est alienum à grauitate sapientis joca-

» jocari;interdum tamen non illicitum,nec
» intempestiuum.Itaque nec culpandum.
» Adeo impotenti esse animo vt præter
» ciuium morem,atque legem & sui volun-
» tatem patris, tamen hanc habere studeat
» cum summo probro. Ter.in And.

Diuersa pro tertio argumẽto ad fidem faciendam non valent, nisi mutata diuersitate in oppositionem. Ad soluenda vero sophismata & captiones plurimum afferunt momenti,quandoquidem è mala distinctione plæræque oriuntur.

DE OPPOSITIS.

Quid sunt Opposita?

SVnt argumenta dissentanea quæ & re & ratione dissentiunt.

Itaque eidem attribui secundum idem, & ad idem eodemque tempore non possunt. Nam cum id fit; non amplius sunt oppositæ res, sed fiunt diuersæ. Ita albus
» & niger sunt opposita,si considerentur in
» vno in quo simul esse non possunt;cõside-
» rentur item secundum idem membrum,
» vel eandem partem, ratione tandem seu
» respectu eodem, & eodem tempore: In
» quibus omnibus fieri non potest vt sint
» simul. Quod si simul aliqua ratione esse
» possunt, veluti si æthiops dicatur niger
» cutem,albus vero dentes;non sunt oppo-
sita

sita amplius. Ita cum Herodes dicitur vulpes & homo: quia diuerso respectu & significatu dicuntur non sunt opposita: si vero eadem ratione secundum naturam scilicet accipiantur; fieri nõ potest vt Herodes sit vulpes simul & homo.

Quanquã autem eidem ita attribui nequeant: tamen genere conuenire possunt; sicut dicitur: Opposita genere conueniunt, licet non semper propinquo; vt virtus & vitium sunt habitus, fortitudo virtus est, timiditas vitium, vtrumque tandem habitus.

(Addi solet admonitio de biblicis locutionibus, quas Inusitatas vocant, & de tropicis seu irregularib. Sed modificati sermones per rhetoricam declarantur, cumque dicantur ratione diuersa, explicantur per diuersitatem. Inusitatæ prædicationes in ecclesia de filio Dei, non quidem sunt instar vulgarium; attamen non alienæ à legibus. Vt enim vnaquæque est, ita eam Dialectica suo præcepto explicat aut etiam iudicat. Itaque cum dicitur in doctrina incarnationis filii Dei, Deus est homo, non sunt hæc accẽsenda dissentaneis, cum in Christo consentiant essentialiter. Vna enim persona constituitur ex diuina, & hu-

„ & humana natura, tãquam membris
„ vnius integri. Quod si extra Christum
„ ea dicãtur; manifestum est, quod dis-
„ sentiunt, nec possit simpliciter dici
„ quod homo sit Deus, nisi diuersa ra-
„ tione.

Porro oppositorum vno affirmato, ne-
„ gatur alterum. Si enim homo est Socra-
„ tes, lapis non est.

Quæ ex distributione per disiũctiones enunciantur, affirmantur quidem vtraq; parte, sed disiunctio ipsa tacitam comple-
„ ctitur negationẽ: Vt; aut homo est leo, aut
„ bestia, si animal est. Sensus est; si bestia sit,
„ hominem esse non posse, ex vi regulæ
„ paulo antè positæ.

Quotuplicia sunt opposita?

Duplicia: Disparata & Contraria.

Quid sunt disparata?

Disparata sunt opposita quorum vnum opponitur multis pariter.

Itaque agnoscuntur disparata ex affectione quam non habent ad vnum tantum, sed ad plura simul à quibus dissentiunt vi pari; quanquam ex hypothesi ita tractari possint, vt etiam duo sint tantum, sed manente affectione disparata, & potentia qua poterant multis simul opponi.

Et

Et disparatorum quidem vno affirmato, negantur reliqua omnia, sed non negato vno affirmatur quoduis ex illis, verum aliquod saltem idque indeterminatum. Ex omnibus tamen aliis simul negatis, affirmatur reliquum, si quidem vnum esse necesse est.

Exempla disparationis nuda sunt: Homo, lignum, lapis, leo, sol, aqua, &c. Et vnaquælibet species in multitudine, etiãsi genera tandem sint bina. Ita disparantur, Liberalitas, fortitudo, iustitia, temperantia: Ita causa efficiens, materia, forma, finis &c. stare, sedere, cubare, currere, &c.

Huc pertinent contraria mediata, si cum ipsis mediis adhibentur, vt colores albus, purpureus, viridis, puniceus, flauus, violaceus, cæruleus, niger, &c.

Disponitur disparatum cum disparato.

Iohan. 1. *Ego non sum Christus, nec Propheta, nec Elias, &c.*

Horat. *Virtutem verba putas vt lucum ligna?*

Virtus nõ est verba: Lucus nõ est ligna.

In luctu non est vtendum lamentis sed remedio.

Non est in parietibus respublica; est in aris & focis.

Est deinde pro tertio argumento quo arguitur in quæstione disparatum, vt:

O quam

O quam te memorem virgo? Namq; haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat. O Dea certè.

2. Off. ratione ℞eitum duo genera ponuntur, ℞num Deorũ; alterum hominum.

Non es homo: quia vox non est humana. Ergo es Dea. Vbi negato vno disparato affirmatur aliud, quod quidem signis præsentibus colligebatur; quasi è disiuncto & hypothesi processisset; aut homo es aut Dea, &c. Hæc autem disparantur.

„ Ita dicimus: Non scribit Socrates, ne-
„ que loquitur; quia dormit.

Item ab omnibus aliis negatis: Cæru-
„ leum est cœlum, quia nec flauum, nec al-
„ bum, nec viride, &c. vel compendio; quia
„ reliquorum colorum nullus apparet.
„ Amarum est absynthium, quia nec dul-
„ ce, nec pingue, nec austerum, nec acer-
„ bum, nec acre, nec acidum, nec salsum,
„ neque etiam hæc simul.

DE CONTRARIIS.

Quid sunt contraria.

COntraria sunt oppositа quorũ vnum vni opponitur tantum.

Itaque affectio contraria ad vnum oppositum secundum naturam, nota est cõtrarii, quanquam alia ratione eadem res possit esse disparata, &c.

Con-

Contrariorum vno affirmato negatur alterum, & contrà. Æquiualent autem penè contraria; estque contrarium contrarii consequens, sed non ratione generica. Nam tunc contrariorum eadem est disciplina, vt: qua arte iudicantur virtutes, eadem vitia. Et si virtutes sunt laudandæ, vitia vituperanda: sique mentiri virtus non est, vitium erit; si non est vitium vera dicere; virtus erit, quandoquidem alterutrum esse positum est: Id quod non semper fit, cum sint quædam quæ nec virtutes nec vitia dici possint, vt bos, &c.

Contraria genere conueniũt, specie differũt.

Inde discrimen extitit: Contrariorum quædam sunt mediata, vt: album & nigrum; dulce, amarum: Quædam immediata, vt: est, non est. Itaque & quædam omnia comprehendunt; quædam saltem aliqua certa genera. In mediatis, & certo generi addictis, non licet adeo absolutè contra concludere, quanquam & media contrarii participent naturam.

Quædam sua natura disparata, tractationis vsu contrarietatem adipiscuntur; vt: Deus & Diabolus, lex & euangelium, opera & fides in doctrina ecclesiæ de iustificatione.

Quotuplicia ſunt contraria?

Duplicia: Ajentia, & negantia.

Quid ſunt Aientia?

Sunt contraria quorum vtrumque affirmatur, & poſitum intelligitur. Arguit autem & arguitur contrarium contrario.

Quotuplicia ſunt aientia?

Duplicia: Relata & aduerſa.

Quid ſunt relata?

Sunt contraria affirmantia quorum alterum conſtat è mutua alterius affectione: (quod eſt: quorum alterum inde eſt & nominatur quia alterũ eſt afficiturq́; natura ſua ad alterũ ita vt eſſe inde accipiat, detq́; viciſſim. Vnde dictum vetus: Relata ſunt quorum eſſe eſt, alterius eſſe)

Affectio autem relatorum mutua vocatur relatio. Et quod afficitur à relato, etiam correlatum dicitur. Et nomen relatorum inde eſt quia alterum ita refertur ad alterum, vt inde habeat ſuum eſſe.

Itaque ob hanc mutuam relationis cauſam dicuntur ſimul eſſe natura, vt qui vnum perfectè norit, norit & alterum, poſſitq́ue alterum ex altero definire. Hinc Relato poſito ponitur correlatum; deſtructo deſtruitur, idque propter ſymbolum conſenſus quod habent, vt

vt in definitione dictum est. Nam illis inest mutua causa & effectum. Alterum enim facit vt sit alterum.

Qua vero ratione sunt contraria, in quibus alterum inesse necesse est, posito relato negatur correlatum; negato ponitur: Et hic duplex vsus diligenter est attendendus. Contrarii enim nihil habent nisi cum oppositè explicantur.

Exempla nuda sunt: Pater, filius: dominus seruus: præceptor discipulus: magistratus subditus: maritus vxor: creator creatura: substantia accidens: causa effectum: auus nepos: proauus pronepos, &c.

In quibusdam binæ species pro vno genere innominato habentur; vt frater oppositus est fratribus & sororibus. Ita mater dicitur ad filiam & filium: pater item ad filiam & filium. Socer est generi & nurus; ita & socrus. Hæc autem cum non sumuntur pro vno; fiunt disparata.

In patronymicis vtrunque relatum vnica voce effertur, vt: Laërtiades pro Vlysses filius Laërtis patris, &c. Item in his: Hospes, Hostis, &c.

Disponitur relatum cum correlato pro duplici affectione dupliciter:

Pater & mater deseruerunt me, Dominus autem suscepit. Prius axioma habet argu-

menta relata. Ita:

Viuitur ex rapto non hoſpes ab hoſpite tutus

Non ſocer à genero; fratrum quoque gratia rara eſt.

Imminet exitio vir coniugis: illa mariti
Lurida terribiles miſcet aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos, &c.

Plærunque relata ſunt in ſyncategorematis; quorum patres aut maiores aliqua gloria præſtiterunt, eorum plærique in hoc genere laudis ſtudẽt excellere; vt: Q. » Mutius P. filius in iure ciuili: Pauli filius » Africanus in re militari, &c. Vbi exemplum ſingulari declaratur relato. Et ſic eſt diſpoſitio affirmata ex conſenſu.

Negata vero ita:

» Alexander nõ eſt filius Iouis Hammo- » nis, ſed Philippi regis Macedonũ; Et filius » Philippi eſt Alexander, non pater.

» Chriſtus non eſt filius Joſephi. Crea- » tura eſt Diabolus, non creator.

Simplicius autem:

» Filius non eſt pater: Socer non eſt ge- » ner, &c.

Coincidunt autem etiã alię affectiones in quibuſdam, &c.

Pro tertio argumẽto non tantum ſimpliciter vſurpatur, ſed & concludendo aliquid

liquid de vno, quia idem pariter vel consequenter ineſt & alteri. Inde, quia contraria contrariorum conſequentia; oſtendimus contrarium vnum eſſe filii, quia alterum patris, vt:

Tu ſeruum ſcis te genitum blandeq́ fateris
Cum dicis dominum, Soſibiane, patrem.

Vbi ſophiſmate vexatur Soſibianus, quia vocet patrem Dominum. Si pater eſt dominus filii; filius erit ſeruus patris.

Paria vero ita: Cic. pro Marc.

Ex quo profecto intelligis quanta in dato beneficio ſit laus cũ in accepto tanta ſit gloria. Vbi paria tribuuntur correlatis. Item,

Quintil. lib. 5. Si portorium rhodiis collocare honeſtum eſt, & Hermacreonti conducere.

Licet vẽdere, ergo & emere (ſed in eiuſmodi perſonarum dignitas reſpicienda eſt & alia)

Ita ſimplicius: pater tuus ſum: Non ergo filius tuus. Item pater tuus ſum: Habeo ergo tibi mandandi autoritatem.

Filius es. Debes ergo parere patri.

Cicero ex inuerſa relatorum naturâ abſurdum collígit. Iam illa (inquit) matura, vxor generi, nouerca filii, filiæ pellex. Aliâs vxor mariti eſt, ſocrus vel ſoceri gener, filius patris, nouerca priuigni, filia

» matris, pellex mœchi & vxoris, &c. Qui fi-
» liam duxit ſtuprata prius matre, & filiæ
» defunctæ matrem induxit, inuertit eam
» naturam.

Benè autem dicitur præſupponendam eſſe neceſſitatem alterutrius relatorum.
» Non enim conſequens erit; Alexander
» nõ eſt filius Iouis: Ergo eius eſt pater: vel,
» magnes non eſt mas, quia fœmina, &c.

Quid ſunt aduerſa?

Aduerſa ſunt contraria affirmantia, quæ inter ſe è regione perpetuo aduerſantur.

Itaque hæc extrema vocantur contraria, & vi contrarietatis ſuæ inimicitiam habent acerrimam, haud vnquam ad conſenſum reuocabilem, quod tamen fiebat in relatis. Inde petuntur differentiæ exactiſſimæ & dichotomiæ optimæ. Neque ſolum qualitates aduerſantur ſibi, ſed & ſpecies quædam.

» Exẽpla nuda ſunt: bonum, malum: vir-
» tus vitium: veritas mendacium: Homo
» beſtia; bellũ pax: laudare, vituperare: laus
» vituperium.

Aduerſum cum aduerſo diſponitur axiomaticè ita:
» Virtus non eſt vitiũ: Ma-
» lum quod eſt, bonum eſſe nequit. Vbi æ-
» quitas valet, fraudi locus eſſe non poteſt.
» Non & friget & calet ſimul aër idem.

Si

Si falso scripsit Plato mundum esse animal, verè idem non scripsit.

Deposito mendacio loquimini veritatem. Eph. 4.

Si bonus es, acceptus es, sin malus, reprobus. Quæ forma est dilemmatis.

Alio modo adhibentur in hoc: Momentanea leuitas afflictionis, æternum pondus gloriæ parit. Enunciatio est causalis & effectiua. Sed oritur inde quia aduersa quorum alterum inesse necesse est, se mutuo consequuntur.

Aduersè tractantur quædam ex hypothesi; veluti: aut ex fide est iustitia, aut ex operibus. Si ex fide, non ex operibus. vel: Non per legem promissio contigit Abrahamo, & semini eius illum hæredem fore mundi, sed per iustitiam fidei.

Aduersa porro pro tertio argumento vsurpantur:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. Pacem poscimus: quia bello non est salus.

Iustitia est ex fide; quia operibus legis non iustificabitur omnis caro.

Gloria virtuti debetur; quia vitio turpitudo: vel quia vitium turpe est. Vbi contraria aduersa aduersis consectaria sunt.

Tantum de contrariis affirmantibus.

Quæ sunt contraria negantia?

Contraria negantia sunt, quorum alterum ait, alterum negat idem.

Atque hîc negatio topica intelligitur, quæ rem non ponit, sed non esse insinuat, & intelligendum est id quod topicè negatur. Solent positiuum nominare aliquid, negatiuum vero nihil. Diuisiones ex his non probantur : vt indicat philosophus lib.1.part.an.cap.3. quia differentiam vniuersalem species positiuas habere necesse est. Species autem non habet, quod non est, &c.

Quotuplicia sunt negantia?

Duplicia: Contradicentia, & priuantia. Et hinc est Nihil aliud negatiuum, aliud priuatiuum.

Quid sunt contradicentia?

Contradicentia sunt contraria negantia quorum alterum vbique & simpliciter negat.

Itaq; hinc est contradictio topica quæ intelligitur in notionibus tantum seu argumentis, non in vinculo. Et vis eius est ostendere vnum esse simpliciter vbicunque sit locorum ; alterum simpliciter non esse, neque hîc neque alibi.

Hinc definitur Nihil contradicens seu negatiuum, q̃ simpliciter neget esse, ita vt nec subiectum sit, nec subiecti affectio, seu

seu neget vbiuis; veluti: Idolum in mundo nihil est, quod simpliciter non existit, itaque nec adiuncta habere potest; & tantummodo est figmentum.

Exempla contradictionis topicæ nuda sunt: Doctus, non doctus: Scriptus, non scriptus: Homo, non homo. Sedet, non sedet. "

Huc pertinent nomina ἀόριστα dicta seu indefinita. Nam cum dicitur; Non homo, nihil indicatur certi, cum possit intelligi vel planta vel lapis, vel simile quid: de quo in 2. lib. περὶ ἑρμ. apud Aristot. cap. 1. "

Quanquam autem diuisiones ex negatibus non latis probentur; tamen vti aliquibus necessitas cogit, & vsus.

Axiomaticè disponitur cõtradicens topicum aiens, cum contradicente negante in hunc modum:

Lex aut scripta est aut non scripta. "
Quod scriptum est non est non scriptũ. "
Factum nõ est non factum (vel infectũ) "
Ephes. 4. Qui furatus est, non furetur amplius. "

Martialis:

Bella es, nouimus & puella. Verum est.
Sed dum te nimium Fabulla laudas:
Nec diues neque bella nec puella es.

Vbi contradictio expeditur diuersis axiomatis:

Fabulla est bella,
Fabulla est non bella.

„ Ita 1.Ioh.3. Translati sumus de morte in
„ vitam quia fratres diligimus. Qui non di-
„ ligit fratrem, manet in morte.

In quo exemplo contrarium illatum
„ contrario est. Diligere fratrem sequitur
„ vita; Non diligere, mors. Ita & in præce-
dente exemplo ex non laudando nimium
iudicatur Fabulla bella; ex laudando ni-
mium, non bella.

Cicero pro Muræna:

„ Nihil ignoueris. Imò aliquid, non o-
„ mnia. Nihil gratiæ causa feceris. Imò
„ ne resistito gratiæ cum officium & fi-
„ des postulat. Misericordia commotus ne
„ sis. Etiam in dissoluenda seueritate? Sed
„ tamen est aliqua laus humanitatis. In sen-
„ tentia permaneto. Enimuero nisi alia sen-
„ tentia sit melior.

In his sensus etiam particularis est; quia nihil & omnis sunt signa generalia; generi verò detrahitur per speciem, negaturque idem oppositio producto; vt Omnis, nullus: Nihil, omne; omnis, non omnis seu aliquid (nam contrà distinguit hoc) nihil, aliquid.

Ita est & in his; semper, nunquam, aliquando, alicubi, nusquam, vbique, &c.

Vsurpamus contradicentia etiam pro argu-

argumentis tertiis ad arguendas quæstiones; veluti:

Mortuus est Plato:
Non enim non mortuus est.
Factus est mundus:
Non enim non factus.
Non est nihil ignoscendum:
Aliqua enim debetur venia humanæ imbecillitati.
Non sunt reprehendenda omnia Platonis: Aliqua enim scripsit verè.

In eiusmodi locutionibus sæpè transponitur negatio à nomine ad verbum. Sæpè etiam felicius per compositionem cum voce In, enunciatur, vt:

Iustus est Aristides; quia non est non iustus, seu iniustus.

Iniquus est Agamemnon; quia non est æquus, vel quia est non æquus. Et talia sunt aduersis affinia: sicut: iusticia, iniusticia: æquitas, iniquitas: amicitia, inimicitia: vbi tamen aduersa vox est, Odium.

Quid sunt priuantia?

Priuantia sunt contraria negantia quorum alterum negat in eo tantum subiecto in quo affirmatum sua natura inest.

Itaque priuatio opponitur naturali inexistentiæ, estq; cuiusdam formę absentia, quæ tamen naturaliter adesse poterat.

Hinc

Hinc & affirmatum dicitur actus & habitus seu positio & positiuum; licet nomẽ argumenti sit à negante. Priuatio & potentia negans est. Inde nihil priuatiuum est, quod formam aut affectionem tollit, remanente subiecto vel materia : In quibus discrimen est. Nam si priuatio essentiam attinet, restat materia essentiali forma ablata ; sin affectiones ; quod restat subiectum est, quanquam diuersa ratione
» aliquando vni insit vtrumque; vt: Visio est
» actus seu habitus oculi ; tanquam forma
» oculi; vbi itaque periit, cæcitas adest, quæ est priuatio. Sed & adiunctiuè consideratur visio.

Porrò quanquam priuatio in nullo sit, nisi in quo habitus per naturæ potentiam
» erat; veluti, lapis cæcus non est, quia ei vi-
» sio per naturam non ineſt : tamen vsus
» interdum significationem ampliat. Itaque
» irrationalis dicitur bestia, quanquam illi
» nunquam data est ratio, cuius priuatio est
» τὸ ἄλογον. Ita, lapis negatur sentire, etsi sensus tantum sit animalis. Ratio autem huius attributionis aliunde pendet, nempe ex aduersis, vel diuersis, vel disparatis, &c. Non enim semper priuantia tractãtur pri-
» uanter. Priuatio item interdum mera est
» vacuitas seu absentia habitus ; interdum
» absentia habitus cum præsentia formæ

contra-

contrariæ. Itaque & aduersa non raro priuantibus apponuntur.

Exempla nuda sunt: Cæcitas, visio: vita, mors: Auditio, surditas: Loquens, mutus: Sobrius, ebrius: Taceo, loquor: Lux, tenebræ: Stultitia, sapientia: Iusticia, iniusticia.

Disponitur priuatio cum habitu: (materia cum forma: potentia cum actu: quæ non raro apud philosophum permutantur, sicut & generatio & substantia, quarum illa potentiam & motum signat, hæc habitum & formam seu perfectionem)

Tacens non loquitur (quorum vtrumque intelligendum est non de impotẽtia & actu primo, sed de secundo seu operatione)

Mutus non loquitur (quæ de impotentia)

Ita: Si animal est, aut videt aut cæcum est: audit, aut surdum est, &c.

Est & pro tertio argumento: vt,

Semper eris pauper si pauper es Æmiliane
Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

Infertur & contrarium. vt:

Iohan. 9. Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc cum dicitis; Videmus: peccatum vestrum manet.

Cic. Huius mortis sedetis vltores, cuius vitã si putetis per vos restitui posse, nolitis.

Absur-

Absurdum colligit: q. d. Non est vlciscenda mors Clodij; quia vitam eius improbatis ipsi; prosyllogismo, quia si possetis eam restituere, nolletis.

Ita est argumentum simplex consentaneum & dissentaneum. Sequitur comparatum.

DE COMPARATIS.

Quid sunt argumenta comparata?

COmparata sunt argumenta quæ inter se comparantur.

Est autem comparare, rerum rationes conferre, & quomodo habeant alteræ ad alteras considerare.

Itaq; non res, sed rerũ rationes sunt argumenta cõparata; cumq; res possint esse plures, rationes tamen non sunt nisi duæ tantum in vna comparatione.

Comparata ipsa natura comparationis æquè sunt nota: alicui tamen alterum altero notius esse potest & illustrius. (veluti: Ouum ouo simile; hîc vtrumq; notum est vi comparationis quæ facit vt si vnum noueris quale sit, noueris & alterum, tametsi alterum non videris)

Et est comparatio ipsa comparati ad cõparatum affectio, & habitudo, veluti in similibus similitudo, &c.

Sæpè etiam comparata notis indicantur.

tur. Aliquando notas habent nullas.

Enunciantur itē modò breuius, modò plenius partibus distinctis; vnde illa dicitur breuis comparatio, hæc plena.

Plenę cōparationis partes sunt protasis & apodosis; quę & propositio & redditio.

Protasis est plenæ comparationis pars prior. Apodosis est plenę comparationis pars posterior: illaque sensu logico argumentum habet, hæc rem argutam. Redditio dissimulari solet aliquando.

Est autem hæc comparatorū natura vt etiam ficta arguere, & in aliquibus etiam fidem facere possint, non tantum vera.

Quotuplicia sunt comparata?

Duplicia: Quædam comparantur in quanto; quædam in quali.

Sunt enim duæ duntaxat affectiones rerum secundum quas comparari possunt; quantitas scilicet & qualitas, quæ simpliciter consideratæ adiunctis accensentur.

Quid est comparatum quanto?

Comparatum quanto est argumentum rationis in comparando quantæ.

Quando enim rerum distinctarū quantitas consideratur in conferendo; comparatio existit in quanto; fiuntque rationes duæ, quarū altera est argumentū in quāto, altera res arguta comparato quanto.

Quan-

Quanquam autem omni quantitati adhæret comparatio: Nam omne quantum ad aliud quantum dicitur; tamẽ non semper tractatur comparatè. Itaq; huius loci non est quantitas simplex.

Quotuplex est Comparatum quanto?

Duplex: Parium, & imparium.

Quæ sunt comparata paria?

Comparata paria sunt, quorum quantitas est vna. Itaque paris argumentum est, cum par explicatur à pari.

Paris quantitatis notæ breues, sicubi vsurpantur sunt: Par: æquale: æquare: æquus: æquè: æqualiter, &c. Item respondeo, &c. Et negationes imparium: Non impar, non inæquale; nec maius nec minus, non amplius, non angustius, &c. Vox respondeo, tamen interdum & similia notat, &c.

Relatæ quantitatis notæ sunt, quæ & formæ plenæ: Idem quod, tam quam, tantus quantus, tot quot, tantopere quantopere, toties quoties, sic vt, tam ac, æquè ac, & similes, quæ etsi linguis varient, mẽte tamen sunt perpetuæ.

Exemplа breuia sunt: Luc. 20. Æqua-
» les sunt angelis & filij Dei, cum sint filij
» resurrectionis. Vbi boni resurgentes &
» & angeli comparantur in quantitate æ-
» quali.

Rom.

Rom. 3. Non est distinctio : Omnes peccauerunt. Omnes deflexerunt simul « inutiles facti sunt. Homines hîc omnes « arguuntur pari delicto. «

Virg. *Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,*
Et cantare pares, & respondere parati.

Virg. in 6.
En huius nate auspiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit olympo.

Ita respondeo:
------Coniux vbi pristinus illi
Respondet curis, æquatq; Sichæus amorem.

Apud Lucanum:
---Quem metuis par huius erat.
(Non est metuendus, quia par huius)

Ita fictè: Si viueret Astyanax pubesce- « ret; quia æqualis æuo foret Iulo. «

Negatio maioris indicat par in hoc exemplo:
Quo melior seruo quo liberior sit auarus
Cum sese fixũ in triuiis demittat ob assem.
Non video.

Possunt autem hæc explicari : Solo æ- « quabunt Hierosolymã : quam altum solũ « est, tam altum facient oppidum; seu quam « humile, &c. Nota in his videtur omitti « cum dico : Bilibris conger; q. d. æqualis « ponderis cum duabus libris. Ita tricubi- « talis mensura: pollicaris crassities, spissitu- «

» do querna; ſoliditas adamantina. Virgo
» iuncea; Aſſequitur altitudinẽ montis, &c.

Exempla formæ plenæ, in qua propoſi-
» tio & redditio: Luc. 6. Qua metiemini
» menſura, eam reponent alij vobis.

Quantũ quiſq; ſua nũmorũ poſſidet arca,
Tantum habet & fidei.
Non minor eſt virtus quam quærere parta tueri.

» Tam non ſuccedit conatus, maiora vi-
» ribus audenti, quam non ſucceſſit Phaë-
» thonti gubernatio equorum ſolis.
» Tantus metus quantum inceſſit Deos
» cœlum expugnantibus gigantibus.

Tertiũ fit argumentũ in hoc: Magnus
» eſt equus Troianus, quia montis inſtar.
» Non eſt procerus pumilio; quia ſeſqui-
» pedalis: vel quia æquat ſeſquipedem.

Arguit ita & tota cõparatio; Multas ha-
» bet puellas Roma, quia tot quot cœlum
» ſtellas, &c.
» Sine nota ſunt: Si ſermonem meum
» ſeruarunt, & veſtrum. Ioh. 16.
» Si irritũ poteſt fieri pactum meũ cum
» die & nocte: Et pactum meum irritũ eſſe
» poterit cum Dauide ſeruo meo, &c. Ier. 33.
» Quando ego non curo tuum, Tũ non
» cura meum.

Huc pertinent conſectaria illa contra-
riorum, ex quibus pariter conſequuntur con-

contraria: Si pater est dominus filij; filius erit seruus patris. Par enim est ratio consecutionis. Apodosis est quæstio: Filius est seruus patris: Argumentum est protasis: quia pater dominus filij.

Martialis:

Tu seruum scis te genitũ blandeq́, fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrẽ.

Ita Ouidius:

In precio precium nunc est, dat census honores,
Census amicitias: pauper vbique iacet.

Pauper est contentus, quia diues honoratus.

Vitia faciunt miseros pariter ac virtus beatos. In 5. Tusc.

Interdum lacessiti quæstionem soluimus quæstione pari: vt Matth. 21. Quis tibi autoritatem ista faciendi dedit? Respondetur: At quis Ioanni autoritatem baptizandi? Ita Virgilius: Vbi patet cœlum non amplius tres vlnas? Respondetur: At vbi nascuntur flores in quibus scribuntur regum nomina? Quasi Christus innueret suam autoritatem à cœlo esse pari modo ac Ioannis: Menalcas verò ibi tantum patere cœlum ait, vbi nascuntur illi regij flores nempe in metallorum specubus. Ita si quæras; vbi balenæ quærẽdę? At vbi mare profundissimũ est?

„ Vbi dolor oculorum, vbi cephalalgiæ? At
„ vbi ebrietatis ſtudium & frequentia?

DE IMPARIBVS.

Quid eſt Impar?

COmparatum, cuius quantitas non eſt vna.

(Vel argumentum ab impari eſt, cui ratio quantitatis eſt impar)

Quotuplex eſt?

Duplex: Maius & minus.

Quid maius?

Cuius quãtitas eſt maior, (ſeu excedit) Et maius arguitur minori, ſicut viciſſim minus maiori. Diſtincta enim ſunt genera.

Notæ hîc plærumq; ſunt Grammatici cõparatiui, quibus mentis notio in altero maior indicatur. Suntq; hæ ſimplices. Relatæ verò; Non ſolũ, ſed etiam; malo hoc quã illud, plus quam, &c. Quanquam & hæ non perpetuo argumentum à maiore indicent, & ſæpe omittantur notæ.

Notandum autem Grammaticas comparationes hîc vbi ſimplex eſt adhibitio, in apodoſi q̃ habet rẽ argutã, minus quiddã
„ ſignare; veluti; Turris minor malo. Argui-
„ tur enim turris à maiore. Ita Iohannes mi-
„ nor Chriſto. Diſcipulus non ſupra præce-
„ ptorem eſt, id eſt, inferior præceptore.

Incertus exceſſus indicatur genere ſaltem,

tem;veluti: Nõ eſt par Cæſari Pompeius. "
Declaratur redditione,ſed inferior,&c. "

At in ſyllogiſtica diſpoſitione notę ſunt:
Excellentior,maior,&c.Cæſar vicit Pom- "
peium,quia celerior, feruentior, felicior, "
audacior,&c. "

Ita fictè: Non fies tanti,etiamſi te rupe- "
ris, ſeu,non adæquabis vitulam rana,quia "
ne ſi maior quidem fieres, & amplius te "
inflares,quam nunc,par fieres. "

Relata verò ſunt huiuſmodi: Rom.5. "
Gloriamur ſub ſpe glorię Dei: nec id ſolũ, "
verum etiã gloriamur afflictionibus. Hoc "
argumentum eſt à maiore.Nam maius eſt
gloriari cruce,quam gloriari ſpe.Et hîc ſe-
quitur quidẽ argumentum videturq; apo-
doſis eſſe maius. Sed ſenſus logicus negli-
git Grammaticam collocationem.

Iuuenalis: *Malo pater tibi ſit Therſites dũ*
modò tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas
Quã te Therſitæ ſimilẽ producat Achilles.

Ioan. 12. Principes Iudæorum dilexe- "
runt magis gloriam hominum,quam glo- "
riam Dei. "

Virg. Grauiora eſtis paſſi: Ergo in mi- "
noribus non debetis ſuccumbere. "

E plenis naſcitur gradatio quædam lo-
gica climaci rhetorico interdum coniun-
cta. Pro Milone. Neq; verò ſe populo "

» ſolum,ſed etiam Senatui tradidit, nec Se-
» natui modò, ſed etiam publicis præſidiis
» & armis; neque his tantum, verum etiam
» eius poteſtati, cui Senatus totam Rem-
» publicam omnem Italiæ pubem, cuncta
» populi Romani arma commiſerat.

In aliquibus nota nulla expreſſa eſt: Ci-
» cero pro Murena: Noli tam eſſe iniuſtus
» vt cum tui fontes vel inimicis pateant, no-
» ſtros riuulos amicis clauſos eſſe oporte-
» re putes.

(Noſtri riui non debent eſſe clauſi amicis; quæ eſt apodoſis & quæſtio: quia tui fontes patent inimicis. Hæc eſt protaſis & argumentum maius. Eſt & conſecutio contrariorum, intelligiturque non par, ſed maius, &c.)

» 1. Corinth. 6. Si per Sanctos iudica-
» tur mundus, indigni ſunt minoribus iu-
» diciis?

(Sancti minores controuerſias ſanctorum debent iudicare, quia mundum iudicabunt)

» Rom. 11. Si Deus naturalibus ramis non
» pepercit; nec tibi.

(Illud maius & protaſis: hoc minus & apodoſis)

» Fictum eſt hoc: Satrapas ſi ſiet amator
» nunquam ſufferre eius ſumtum queat, ne-
» dum tu poſſis.

Reddi-

Redditio dissimulatur hîc:

-----Non si mihi Iupiter autor
Spondeat, hoc sperē Italiam cōtingere cœlo.

(Pro nedum alio spondente vel nullo) «
Ierem. 15. Si steterint Moses & Samuel «
corā me, non auscultem populum istum. «
(Nedum sacerdotibus tam vitiosis coram me versantibus)

Quid est minus?

Comparatum impar cuius quātitas exceditur. Minus sæpè indicatur notis propriis: vt sunt simplices in adhibitione simplici, Grammatici cōparatiui, maior, grandior, sæuior, &c. In syllogistica verò, minor, inferior, leuior, &c. Interdum & parium negatio vtrobiq; est; sed sensus spectandus; cum hęc nota sit communis maioribus & paribus. Plenæ notæ sunt: Non solum (maius) sed ne, &c. (minus) potius hoc quam illud.

Hebr. 1. Tanto præstantior angelis fa- «
ctus filius, quanto excellentius præ illis «
sortitus est nomen. «
(Christus arguitur angelis minoribus, & eorum nomine inferiore. Additur autem ratio paris, &c.)

Inter natos mulierum non surrexit ma- «
ior Ioanne Baptista. «
(Ioannes arguitur reliquis hominibus minoribus)

Sæuior es tristi Busyride; sæuior illo
Qui falsum lento torruit igne bouem.

(Sæuissimus es, quia sæuior Busiride & Phalaride)

» Ficta sunt: Proteo inconstantior: Polyphemo voracior: Cyclopibus magis impius. Valent hîc hyperbolæ: Adria surdior: rigidior caute: Oculus sole maior.

» Plena exempla sunt: Nemo non modò Romæ (arguta res maior & apodosis) sed ne vllo in angulo totius Italiæ oppressus ære alieno fuit quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus asciuerit. (argumentum minus est, & protasis sensu logico)

» 1. Catil. Vt exul potius tentare (minus) quam consul vexare Rempub. possis (maius)

» Huc pertinent & illa: Qui è supernis est supra omnes est. Item: Quid dabit homo pro anima sua?

» Nota nulla est: Animam tuam pro me ponas?

» Non cantabit gallus, quin me ter negaueris.

» Si terrena dixi vobis & nõ creditis, quomodo si cœlestia dixero, crediturí sitis.

» Cicero pro Archia: Saxa & solitudines voci respondent; bestiæ sæpè immanes cantu

cantu flectuntur, atque consistunt: nos in- «
stituti rebus optimis non poëtarum voce «
moueamur? «

Dissimulatur redditio in talibus: Fra- «
ter non potest fratrem liberare: (nedum «
alius) Psal. 49. Item Centurio Matth. 8. «

Ego homo sum, & alterius subiectus «
potestati, & habeo sub me milites, & dico «
huic vade, & vadit, &c. (multo magis tibi «
Deo obœdient morbi) «

Negatio paris minus indicat in hoc ex- «
emplo: Phil. 9. Cic. Omnes ex omni ætate «
qui in hac ciuitate intelligentiam iuris ha- «
buerunt, si vnum in locum conferantur, «
cum Seruio Sulpitio non sunt cõferendi. «

Rom. 8. Reputo non esse pares affli- «
ctiones præsentis temporis ad gloriam «
quæ reuelabitur nobis. «

Est & gradatio à minoribus: 7. Verr. «
Cicer. «

Facinus est vincire ciuem Romanum, «
scelus verberare, prope parricidium ne- «
care, quid dicam in crucem tollere? (vo- «
cant hanc ἄυξυσιν) «

Finguntur minora: Psal. 55. Si inimicus «
meus maledixisset mihi, sustinuissem vti- «
que. Et si is qui odit me super me magna «
locutus fuisset, abscondissem me forte ab «
eo. Tu vero socius meus es, curator meus, «
& cognatus, &c. «

Ita Petri fiducia; Ne si moriendum mihi sit tecum, te abnegabo.

Num. 12. Si pater eius expuisset in faciem illius, nonne debuerat saltē septem diebus pudefieri? (Vbi redditio dissimulatur: Nedum cum me offenderit, puniri, verba sunt Dei)

Fictum minus. Maius amplificatum adiunctis.

„ 2. Philip. Cic. O rem nō modo visu fœdam, sed etiam auditu. Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu vero populi Romani negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis vinum redolentib. gremium suum & totum tribunal impleuit.

Huc pertinent & ἀδύνατα illa:

Ante leues ergo pascentur in æthere cerui
Et freta destituent nudos in littore pisces
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim
Quā nostro illius labatur pectore vultus.

(In his minus est ceruos volare, mare loco cedere, Ararim influere Parthiá & Tigrim Germaniam. His enim sibi præsumit maius poëta; nempe memoriam beneficiornm Augusti)

Simile videtur illud Theologicum:

„ Nunquid potest obliuisci mater filiorum,
„ vt nō misereatur filii vteri sui? Quod si illa
„ oblita fuerit, ego tamē non obliuiscar tui.

DE

DE COMPARATIS in qualitate.

Quid est comparatio in quali?

COmparatio in quali est, qua res comparatæ dicuntur quales (vel potius: in qua ratio comparationis sumitur ex habitudine qualitatis)

Quotuplicia sunt comparata qualia?

Duplicia: Similia, & dissimilia.

Quæ sunt similia?

Quorum qualitas est similis.

Similitudo itaque qualitatis vnitas est (dicente Boëtho) & argumenta similia vno comprehenduntur genere, cum & res affecta & argumentum afficiens alterum alteri simile sit.

Nominatur & similitudo, proportio, seu analogia, vnde ipsa similia vocantur proportionalia.

Similia vsurpantur item forma duplici, contracta nempe & explicata. Illa concluditur vel vno verbo; & notas habet: similis, effigies, more, instar, tanquam, velut, sicut, ceu, ritu, &c. Item negatio dissimilitudinis, vt non dissimile, non aliter, haud secus, &c.

1. Pet. 5. Sobrii estote, vigilate, quoniam " aduersarius vester Diabolus, tanquam leo " rugiens obambulat, quærēs quē deuoret. "

Ouid.

Ouid. *Prætereunt anni more fluentis aquæ.*

» Matth.17.Et ſplenduit facies Ieſu ſicut
» ſol. Veſtimenta autem eius facta ſunt can-
» dida, vt lumen.

Horat. *Cætera fluminis ritu feruntur. Od.penult.lib.3.*

Huc pertinent illa tranſlata: Niueum
» lac: mellea verba: vox Stentorea: Robur
» achilleum, &c. Horat.ſat.7.lib.1.

Solem Aſiæ Brutum appellat ſtellasq; ſalubres
Appellat comites excepto rege; canẽ illum
Inuiſum agricolis ſydus veniſſe.

Quorum explicatio eſt à ſimili.

» Lac albedine ſimile niui, &c. In quibuſ-
dam tamen etiam à pari eſt declaratio.

Ficta ſunt, cum apud Horatium Sar-
mentus & Meſſus Cicerrus concertant:

---Sarmentus equi te
Eſſe feri ſimilem dico: Et Meſſius:
Paſtorem ſaltaret vti cyclopa rogabat
Nil illi larua, aut tragicis opus eſſe co-
thurnis.
Depingit cyclopi ſimilem.

Ita initio artis, Tabulæ monſtroſæ à ſe
deſcriptæ librum perſimilem dicit, cuius
» velut ægri ſomnia vanæ fingentur ſpecies,
» vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ.

Videtur & tertii argumenti loco adhi-
beri

beri posse; vt cum dico: Non est ille men- " *Ioh.9.*
dicus; quia similis ei alius. Sed vis adiuncti "
concurrit, & debilis est affectio.

Similitudinis partes deinceps explicãtur, (quanquam & breuis explicari possit) & quidem disiunctè vel continuè.

Notæ hîc sunt: Tale quale; sicut ita; Quemadmodum ita, vel ad eum modum, cuiusmodi eiusmodi, &c.

Quid est similitudo disiuncta?

Est, quando termini quatuor re ipsa distinguuntur. Itaq; notandum est cũ similia non sint plura duobus; nam rationes spectantur potius: quatuor autem possint esse res, in quibus sunt rationes comparatæ: similia eiusmodi vsurpari sententiis duabus ad minimum, in quibus tamen tantum duo sunt argumenta; licet si diuellas, quælibet sententia suis pro se argumentis constet.

Eph. 5. Quemadmodum ecclesia sub- "
dita est Christo; sic vxores suis viris sint "
subditæ. "

Ecclesia Christus; Vxores Viri.
1. similis ratio 2. similis ratio.

Virg. Ecl. 5. *Tale tuum carnem nobis divine poeta*
Quale sopor fessis in gramine, &c.
Sopor fessus; Carmen Menalcas:

In

In his apodoſes ſunt: vxores viris ſint ſubditæ: Menalcæ tale carmen eſt; Protaſes vero & argumẽta: ſicut eccleſia Chriſto; & ſicut ſeu qualis, ſapor feſſo.

Eodem modo in fictis: ſicut Icarus imperitè volans periclitatus eſt caſu: Ita nauclerus temerè ventis nauem committens naufragii metu periclitatur.

Quo animo erga Vlyſſem Alcinous fuiſſe traditur ab Homero, eo Dido affecta erga Æneæ ſocios perhibetur.

Notæ hìc interdum omittuntur, vt: Pſal. 124. Montes in circuitu Ieruſalem; Et dominus in circuitu populi ſui.

(Vbi apodoſis: Ita Dominus circa populum; protaſis: ſicut montes circa Solymam)

Virgil. 2. ecl. *O formoſe puer nimium ne crede colori*
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

(Sicut albedo nõ prodeſt liguſtris quin cadant, Ita Alexi nil conferet forma quin ſit deſpectui. Explicatur autem protaſis argumẽto contrariorũ, &c.)

His vis quædam eſt tertii argumenti. Nam arguit Alexi parum profuturã formam, quia nec albedo ſeruet liguſtra.

Quæ eſt ſimilitudo continua?

Quando vt primus terminus ad ſecundum

dum est, sic secundus ad tertium (seu; quando tres sunt termini actu dispositi, in quorum medio ratio similis concurrit)

Ioh.13. Si ego laui pedes vestros Dominus & magister; vos quoque debetis inuicem aliorum alii pedes lauare (Hoc quidem maiore per se arguit; sed saluator explicat similiter, addens) Exemplum enim præbui vobis, vt quemadmodum ego feci vobis; ita & vos faciatis, &c.

Christus discipuli condiscipuli

Lauare pedes.

Cic.3.leg. Videtisne magistratus hanc esse vim, vt præsit, præscribatque recta & vtilia & coniuncta cum legibus. Vt enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus.

Hoc modo contractæ quædam similitudines possunt exponi; vt Cic.1. Off. Ira in omnibus rebus repudianda est, optandumque vt ii qui præsunt reip. legum similes sint, quæ ad puniẽdum non iracundia sed æquitate ducuntur.

Lex: punit æquitate; magistratus.

Peculiaris accommodatio est apud diuum Paulum, 1.Corinth.12.

Arguit enim sicut ridicula est membrorum

brorum ficta inter se contentio; ita absurdum esse in ecclesia contendere officiis, quæ Deus ordinauit. Corpus (inquit) nō est vnū mēbrum sed multa. (Ita ecclesia nō vnū officiū, &c.) si dicat pes non sum manus; nō sum de corpore, nū iccirco nō est de corpore? (Ita in ecclesia; nō sum episcopus; ergo non sum ecclesiæ mēbrum. Negat inde consequens esse, cum varia sint ecclesiæ officia, &c.) Porro ad declarandum potius, quam probandum adhibentur similia. Consideretur tamen tale exemplum: Princeps debet in subditos esse clemēs; quia est instar boni patris. Collatio & congruentia officiorum vim probandi habet.

Ita: Deus consolatur nos & cupit nobis benè; quia vt mater erga filios, ita erga nos ipse est affectus.

Quid sunt dissimilia?

Argumenta comparata quorum qualitas (seu ratio in quali) est dissimilis.

Itaque & hæc vno genere continētur, arguens nempe & argutum. Est enim alterutrum alterutri dissimile.

Dissimilium item forma breuis, & explicata est. Breuis formæ notæ sunt: Dissimilis, differēs, alius (quæ & dissentanea indicat) Impar interdū; secus; negatio similitudinis, non similis, non idem, non tanquam

quam, aliter, &c. Disto, differo, non respondeo, non congruo, non quadro, &c. Sed non tam dictiones Grammaticæ notandæ sunt, quam sensus & ratio logica.

Cic. Dissimilis est debitio pecuniæ & gratiæ.

Horat. *Nec tamen ignorat quid distent æra lupinis.*

1. Cor. 15. Alia caro hoim, alia pisciũ, &c.

Cicer. Non est philosophia similis reliquarum artium. Ita Christus similis nobis carne; peccato dissimilis: quod dicitur etiam ita: per omnia fratribus similis excepto peccato.

Occultatur interdum interrogatione; vt: Quis similis tui inter fortes Deus? Pro: nullus est similis.

Adhibetur pro tertio argumento: Imperator non sæuiat in subditos. Est enim dissimilis tyranni.

(Sed hic tota dissimilitudo potius vi adiuncti arguit)

Pastor tondeat oues nõ deglubat; Dissimilis enim lupo est: vel: distat eius ratio à lupi moribus.

Fingi possunt, vt: si amicus meus fores, non eo esses animo. Si lupus essem, dissimiliter hominis me gererem.

Explicatè tractantur dissimilia, in protasi & apodosi ita:

„ Non vt peccatum, ita & donum. Nam
„ si vnius delicto multi mortui sunt, multo
„ magis gratia Dei & donum per gratiã quæ
„ fuit vnius hominis Iesu Christi in multos
„ exuberauit.

(Protasis est, Non vt peccatum; & est argumentum: redditio est: Ita & donum, estque res quæ arguitur. Sequitur autem dissimilitudinis argumentũ à minore: peccatũ multos potuit perdere; at gratia lõge plures seruare.)

„ Luc. 22. Reges gentium dominantur,
„ vos autem non sic.

(Vos nõ dominamini ita vt reges: illud apodosis, hoc protasis seu argumentum est)

Sæpe in dissimilib. nota nulla est, & dissimilitudo plenius explicatur, vt:

Protasis. Ierem. 2. Nunquid obliuiscitur virgo
„ ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis
Apodosis. suæ? Populus verò meus oblitus est mei
„ diebus innumeris. Ita c. 8. Miluus in cœ-
„ lo cognouit tẽpus suum: turtur & hirun-
„ do & ciconia obseruarunt tẽpus aduen-
„ tus sui. Populus autem meus non cogno-
„ uit iudicium Domini.

Hor. lib. 2. *Nauem agere ignarus nauis timet; Abrotonum ægro*
Non audet nisi qui didicit dare. Quod medicorum est

Pro-

Promittunt medici: tractãt fabrilia fabri.
Scribimus indocti doctiq; poemata passim.

Catullus: *Soles occidere & redire possunt.*
Nobis cum semel occidit breuis lux
Nox est perpetuo vna dormienda.

Quintil. lib. 5. c. 11. Brutus occidit liberos proditionem molientes. Manlius virtutem filii morte multauit.

Tantum de argumentis primis: sequitur de ortis.

DE ARGVMENTIS ORTIS.

Quid est argumentum ortum?

ESt argumentum artificiale, ꝙ à primo oritur. Itaq; & vim primorũ à quibus cõficitur, habet; & est perinde ad id quod arguit, sicut prima vnde oritur. Oritur aũt modo ab vno, modo à pluribus conspirãtibus simul. Vnde binis generibus intellectis, quatuor sunt species; nempe: Cõiugata & notatio: Distributio & definitio.

Quæ sunt coniugata?

Argumenta orta, quæ ab eodem principio variè deducuntur. Quasi enim vno connecterentur iugo, coniugata dicta sunt. Et requiritur hic principium & fons deductionis, quod primitiuum nominãt, siue id omnium sit primum in eadem deductione, siue ad præsens primũ. Fonti

connectitur id quod inde dimanat, idque cum varium esse pro varietate casuum & terminationum possit; tamen in vsu sæpe vnum tantum adhibetur. Et coniugata è consentaneis oriuntur. Itaque & symbolum seu characterem habent consentaneorum; & inseruiunt commodè definitionibus.

» Simplicia sunt: iustitia, iustus, iustè, iu-
» stior, &c.
» Homo, humanus, humanitas, humanè:
» Colo, cultus, cultura, &c.
» Dispositа: 1. Cor. 15. primus homo de
» terra terrenus.

(Vbi terrenus arguitur coniugato significante materiam; de terra:)

» Sapi. 6. Potentes potenter tormenta
» pauentur:

(Potens arguitur coniugato ex adiuncto)

» Ita: iustus iustitia sua viuet. Iustitia iusti
» non liberabit eum in quacunque die pec-
» cauerit. Et si dixero iusto quod vita viuat,
» & confisus in iustitia sua fecerit iniqui-
» tatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tra-
» dentur: Et cum recesserit impius ab im-
» pietate sua, feceritque iudicium & iusti-
» tiam, viuet illis. Ezech. 33.

(Cõiugatum effecti, declaratur causa; iustus iustitia; impius impietate)

Et

Et eiusmodi coniugata sigillatim nominantur concreta, & abstracta: Concreta quidem, quæ aliàs etiam affecta vocantur, continent subiectum cum ratione eius, vt iustus, cuius ratio & causa; vnde est iustus, nominatur iustitia. Abstracta vero sunt quæ essentiam & speciem rationis signant solam, & causam notant, vt iustitia. Ita in his: custos custodia: Deus Deitas vel diuina natura; Homo humanitas, vel humana natura. *Concreta.* *Abstracta.*

Est & vsus coniugatorum in probando, pro argumen. tertio Propert. lib. 2.

Libertas quoniam nulli iam restat amãti:
Nullus liber erit, quisquis amare velit:
(Amator non est liber; quia libertatem amisit: Arguit vi causæ)

Ter. Homo sum; Humani (ergo) nihil à me alienum puto. (Humanus adiungitur homini: cum dicitur cum homines sumus humanitatem colamus: è subiecto est)

Cic. 2. phil. Non tractabo vt consulem; ne ille quidem me vt consularem (quia me non tractat vt consularem: argumentum è coniugato signante adiunctum)

Coniugatorum alterum interdum significat habitum; alterum actionem seu dispositionem tantum. Inde nascitur ambiguitas; veluti, tyrannicè egit: Tyrannus

ergo. Hoc si continuatum vsum signat, non est consequens ; sin item διάτασιν; est.

Aliis Etymologia vel symbolum.

Quid est notatio?

Argumentum quo interpretamur nomen.

Est autem nomen rei nota. Et hæc arguitur notatione; sicut vicissim hæc illa. Est ergo & NOTA seu NOMEN, argumentum logicum; & titulus communicatur vtrique per synecdochen.

Sunt autem notationes interdum cum re, vtpote à prudentibus scientibusque aliquam ob rem quæ inest notato, impositæ; interdum fortuito aut consuetudine, arbitrioque proprio sine electione rei, excogitãtur. Valent & quæ ex pacto consensuque gentium extruuntur. Itaque nominum seu deriuatorum seu compositorum, si vera notatione fiant, ratio reddi potest ex aliquo argumento primo.

» Matth. 1. Paries filium & vocabis nomen eius Iesum (Saluatorem) Is enim salvum faciet populum à peccatis suis.

(Notatio est ex effectis)

» Ita Genes. 32. nomen Israëlis; quia cum Deo & homine luctatus vicit. Sic Iohannes ab inuenta & collata gratia nominatur: Iacob à supplantando: Benjamin, quia filius verus; Ita Isaac à risu: Sic pluri-

plurima nomina in ſacris ſua habent fundamenta.

Ouid. *Stat vi terra ſua, viſtando Veſta vocatur.*

Eſt ex cauſa notatio.

Idem: *At focus à flammis & quod fouet omnia dictus.* Eſt ex effectis.

Prima dies tibi Carna datur; Dea cardinis hæc eſt.

Notatio è ſubiecto occupante, id eſt, cardine.

Cic. 2. Phil. Bambalio, quia ſtupidus & balbus. Eſt ex adiunctis.

E diſſentaneis ſunt illa apud Quinti. li. 1. Lucus dictus quod minimè luceat: Parcæ quod non parcant; Bellum quod non bellum & pulchrum; Euxinus pontus, non hoſpitalis. Hæc ſunt Ironica: vt &: Egregia cõiunx; egregia ſpolia; vir bonus; quod neutiquam tales.

E comparatis ſunt: pyropus, qui eſt Rubini ſeu Carbunculi ſpecies lucens inſtar ignis. Ita pyramis, flammæ in altum ſurgentis conum repræſentans. Ita homonymica quædam: manus picta, quæ ſimilis manui. Corona nominatur turrita, quod inſtar turrium circa muros diſpoſitarum habeat apices.

(Notatio non eſt cum rem arguo per nomen ſeu vocabulũ, ſed adiunctum)

Λόγος ὀνοματώδης.

Notationes pleniores vim definitionis assequuntur; & vsitatum est definitionem nominis appellare, vt Lauerna, est Dea, latibula furibus procurans: Carna est Dea occupata circa cardines.

Petitur & tertium argumentum ex notatione; Et mutuo arguunt se nota & notatio: vt, magnanimus est; magni ergo est animi. Magni est animi; Ergo magnanimus.

Hinc ergo & axiomata reciproca nascuntur.

Friuolæ notationes sunt; Philippus vocaris, Equisoniam ergo & curã equorum tractas.

Diceris vrbanus, sed nominis immemor huius
Semper inurbanus, cum bibis esse soles.

Anagrammatismi ad verum exquirendum nullius sunt momenti, nisi ex alia causa eueniat; Ita & cabalismi quibus colliguntur literæ ad certam sententiam & numeris additis exponuntur mysticè. Sed tam malum quam bonum inde potest extrui: vt & congruens & incongruum.

DE DISTRIBVTIONE.

Quid est Distributio?

EST argumentum ortum, quo totum distribuitur in partes.

Ita-

Itaque in hac requiritur tum totum, tum partes: Et partes quidem efficiuntur distribuendo. Totum vero est subiectum id quod distribuitur. Vnde apparet plura argumenta concurrere in distribuendo. Correlatum distributionis est distributũ. Itaque & hîc duo affecta inter se vno indicantur nomine per synecdochen : Et dicitur distributum, totum scilicet, arguere distributionem, quæ est in partibus; & viciſſim: vt sic loco distributionis ponantur partes; loco distributi, totum; per metonymian subiecti.

Quid est totum?

Argumentum quod continet partes.

Vnde forma totius, & ratio est in continendo, cohercendo, vniendo, amplectendo partes.

Quid est pars?

Argumentum quod continetur à toto.

Itaque & reciproca vis & relatio inest vtriq;. Et sicut distinctio totius in partes, distributio appellatur; sic collectio partium ad constituendum totum Inductio. *Inductio.* Itaque & consequenter synthesis & analysis hic est: Nam vt totum inductione fit; ita retexitur viciſſim distributione: id per genesin, hoc per analysin. Valde ergo efficax hoc argumentũ est ad scientias constituendas iudicandasque; & fundamentum

methodi habet. Nullus item locus ferè dixerim ad amplificandum hoc ipso est fœcundior. Vnde & ad copiosè disserendum plurimũ conducit. Vtrumq; verò toto arguitur distributio scilicet & inductio. Versantur enim tantum circa partes, illa faciẽdas; hæc factas colligendas. Distributio gignit dilemmata & disiunctiones.

Inductio ad totum est distributio à toto.

Vnde sumitur distributio?

Ex duplici argumentorum primorum genere; consentaneo scilicet & dissentaneo. Nam partes distributionis oportet toti consentire: quia ab eo continentur insuntq; eidem: Inter se verò dissentire secundum modos dissensionum.

Vitia diuisionis, superfluitas, defectus, depravatio, &c.

Vitium itaq; est si vbi pars ponenda est, ponitur totũ, aut pars à toto dissentit; aut pars consentit parti. Consequens his est, ex diuersis distributiones esse debiles, & vix distinctiones: quia ibi res consentiunt, rationibus solummodo distantibus. Ex oppositis verò disparatis & aduersis, illis quidem etiam laudatæ, sed non optimæ; his verò artificiosissimæ existunt, idq; eo amplius, si consensus est essentialis causæ & effectus inter totũ & partes. Nam tanto accuratior est distributio, quanto partium cum toto consensio maior (quæ est secundum essentiam) & inter se dissensio (quæ est in aduersis)

E rela-

E relatis non petitur tam bona; quia in illis est symbolum consensus. Est tamen ex illis; vt: In repub. alij imperant, alij parent: « alij sunt domini, alij serui: Coniugium cõ- « stat ex marito & vxore. Ita neque ex con- « tradicentibus & priuãtibus, quia alterum horum negat. Negantia autem non dicunt ea quæ continentur à toto, quæ est conditio partium, sed quæ absunt. Itaque rectè Aristoteles improbat distributiones per negationes. (Priuationis, inquit, qua priuatio est, nulla est differentia. Non e- nim fieri potest vt species eius sit quod nõ « est. Differentia autem vniuersalis species « habeat necesse est, &c.) « 1. de part. an. 3.

Præcellunt ergo dichotomię ex aduersis quę toti essentialiter consentiunt. Non tamen studio harum confundenda rerum natura est, nec distorquenda. Vbi haberi nequeunt; tot est partibus diuidendum, quot occurrunt. Nulla est omittenda, quæ ad eandem pertinet sectionem. Fit interdum penuria vocum, vt totum binis partibus sit designandum; veluti cum causæ logicæ, & orta argumenta distribuuntur.

Enunciatio distributionum item est attendenda. Interdum enim copulatè enunciantur; interdum disiunctè, vbi notanda est vis disiunctionis.

Quotu-

Quotuplex est distributio?

Duplex : Vna ex consentaneis absolutè : altera ex consentaneis quodammodo.

Distributio ex cõsentaneis absolutè est, cum partes toti consentiunt absolutè: Estque vel ex causis, vel ex effectis.

Quid est distributio ex causis?

Est distributio in qua partes sunt causæ totius. Itaq; in hac totum est effectum, (cum correlatum causæ sit effectum, & parti totum; contraria autem contrariorum consequentia.)

Cum etiam totum effectũ è causis existat triplici consideratione; aut vt considerentur efficientes, materiales, formales, finales simul; aut hæ ipsæ sigillatim, & pro suo genere distinctæ; aut saltem essentiales simul: Pluribus modis hinc distributiones sumi consequens est.

Varia distributio artis.

Ita artes primũ distribui possunt, quod sint effectæ ab artificibus, ex præceptis, per methodum ad benè operandum: Deinde causis essentialibus vel seorsim vel simul sumtis; vt quod ex præceptis & methodo constent: aut; quod membris suis, veluti Dialectica inuentione & iudicio. Postea efficientibus solis; quod aut natura aut arte fiant; aut, quod concinnentur vsu & ingenio artificis, &c. Inde materialibus,

libus; quod alia habeat præcepta morum, alia numerorum, &c. Præterea ex formalibus, quod alia integra & constante methodo sit conscripta; alia abundante, alia deficiente, alia interrupta. Tandem ex finalibus; quod alia sit ad differendum, alia ad canendum, alia ad metiendum, &c.

Ita à fine Rom. 9. An non habet potestatem figulus vt ex eadem massa fingat vasa, aliud in honorem, aliud in ignominiam? *Distributio è fine.*

Arist. 4. met. 4. Et in terra & in aqua animalia solum sunt: In aëre & igni non sunt. Quia corporum materia hæc: Inde distributio: Mista corpora ex terra & aqua cõstant. In 2. de ortu 8. Mista ex omnibus constant simplicibus; Ex terra, ex aqua & horum contrariis igni & aëre. *è materia.*

(Vbi tamen sensus diuersus est. Non enim ita ex igni & aëre fiunt, vt sint corporis cõstitutiua, sed quod sine his non fiat mistio, &c.)

Horatius:

Natura fieret laudabile carmen an arte:
Quæsitum est, &c. *ex efficiente.*

Vbi ex efficiente distributio est. Poëmata enim bona fiunt natura & arte.

Plato in Timęo diuidit triãgulos in ęqlateres, & inæquilateres. Ita elementa per formas, quod aliud sit pyramidale, aliud cubicum, &c. *è forma.*

Quæ-

Quænam distributionum è causis excellentior est?

Distributio integri in membra. Quandoquidem comprehendit causas essentiales.

Quid est integrum?

Integrum est totum, cui partes sunt essentiales. (seu essentiam conferunt.) Vnde patet integrum esse effectum quod constituitur essentialiter, id est, secũdum materiam & formam ex membris.

Quid est membrum?

Membrum est pars integri. Constituit enim integri essentiam: Et quidem cum essentiales causæ aut seorsim sumantur; aut simul (vnde dictum membrum quantitatiuum) dupliciter hæc diuisio potest institui: Primo modo, cum integrum diuidimus in materiam & formam; vt:

Integri diuisio duplex.

» Platoni mundus constat ex corpore & a-
» nima. Nos rectius dicimus; animal corpo-
» re & anima sentiente constituitur: secundo, cum integrum in partes quantas, quarũ quęlibet participat materiam & formã;
» vt cum carnem vel lignum aut simile se-
» camus, æqualiter, vel inæqualiter. Ita
» Grammatica diuiditur in Etymologian &
» Syntaxin: Dialectica in Inuentionem &
» Iudicium: quarum quælibet habet formam

mam ſuam & materiam. Itaque in artium conſtitutione potiſſimum vſurpatur hoc diſtributionis genus, vt & in partibus artium, vt ſyllogiſmus in antecedens ſuum & conſequens, ſicut & axioma in ſubiectum & prædicatum; vel ſeorſim in vinculum & categoremata.

In operibus artium, vt hiſtoriis, poëmatis, orationibus, epiſtolis, & aliis tractatibus, item ſolenniter ab eruditis obſeruatur, vt vel apertè indicetur, vel tacitè inſinuetur.

Ita Ariſtoteles in veſtibulo phyſicorum ait, ſibi dicẽdum initio eſſe de catholicis in phyſica, deinde, de ſingularibus. Illud libris auſcultationum præſtitit: hoc poſtea ſigillatim perſequitur, & quidem de corporibus agit libris de cœlo, & de ortu; de anima verò ſingulari tractatu. Inde ſequitur de animalium affectionibus in genere: poſtea ipſa animalia & plantæ proponuntur. Ita ſigillatim diuidit initio primi de ortu, quod dicendum ſit de generatione, corruptione: amplius de alteratione & augmentatione, &c.

In primo meteorologico tranſitionem inſtituit quod dictum ſit de cauſis naturę, de motu naturali, de cœlo, de elemẽtis, de horum generatione & corruptione;

con-

„ consequens his esse de meteoris tractare.
„ Ita in calce meteorologici porro specula-
„ dum esse ait de dissimilaribus; & inde de
„ plantis & animalibus.

Ita Virgilius Georgica sua diuidit quadrifariam: dum ita proponit:

1. liber. *Quid faciat lætas segetes quo sydere terrã*
2. lib. *Vertere Mœcenas: vlmisq; adiungere vites*
3 lib. *Conueniat: quæ cura boum quis cultus habendo*
4. lib. *Sit pecori: atque apibus quanta experientia parcis,*
Hinc canere incipiam.

„ Ita Cicero pro lege Manilia: Causa quæ
„ sit videtis. Nunc quid agendum sit consi-
„ derate. Primum mihi videtur de genere
„ belli; Deinde de magnitudine, tum de
„ Imperatore deligendo esse dicendum.

Eiusmodi partitiones obseruant nostris temporibus Concionatores, cauendo ne nimis multa membra vna ingerant oratione.

In sacris non quidem apertæ distributiones leguntur; obseruantur tamen tacitè.

Ita enim D. Paulus in Epistola ad Ro-
„ manos tria videtur membra obseruasse.
„ 1. quod omnes peccatores, Iudæi & Græ-
„ ci. 2. quod omnes salutem consequan-
„ tur non lege, sed iusticia fidei; & hæc firmis

mis comprobat argumentis. 3. quod oporteat conformiter illi iuſticiæ viuere; vbi multa de vitiis vitandis & virtutibus Chriſtianorum; item de adiunctis ſalutis, effectisque.

Lucas ſuam hiſtoriam etiam apertius diſtribuit, cum inquit: Viſum eſt mihi vt cunctis ab initio exacta diligentia perueſtigatis, deinceps tibi ſcriberem, &c. Et initio actorum tranſitione indicat quid ſcripſerit, & hiſtoriæ ſuperioris parte aſſumta, tranſit ad acta Apoſtolorum: quaſi volens digito oſtendere, hiſtoriæ ſuæ mẽbrum duplex; vnum de verbis factisq; Saluatoris; alterum de rebus Apoſtolorum.

Eſtne etiam alius vſus diſtributionis è cauſis?

Imo eſt. Nam vt in genere totum per partes arguitur comprobando, & viciſſim partes per totum; ita in diuiſione è cauſis: Probamus enim effectum totum eſſe, quia cauſæ in quas eſt diſtributum, ſunt; vbi tamen notandum eſt præſertim in membris, quod non tantum omnia, ſed & naturaliter vnita requirantur. Ita ſi totum eſt effectum, diſtributæ cauſæ erunt. Variatio tamen eſt in membris principalibus & minus principalibus. Nam integro poſito, non neceſſe eſt omnia membra, etiam minus principalia poni,

Diſtributio pro tertio argumento.

»sed satis est si principalia; vt: si homo est, »corpus & animam rationalẽ habet, quan- »quam fortè careat vno digito. Ita vicissim »homo est, si illas partes habeat, etiamsi ab- »sint aures, vel nares.

Ita aliquid de integro colligimus quia »id ineſt partibus, & vicissim; vt: Niger est »Socrates, quia oculos habet nigros, &c. Et hic vel vnum membrum satis est, quanquam cautio adhibenda est ne totaliter de toto concludamus, vbi argumentum partialiter arguit.

Nec cum vno mẽbro integrum disponi »potest. Non enim anima est homo; nec »caput corpus hominis, &c.

Ita Catullus principali membro negato, negat integrum.

Quintia non est venusta,
Ergo non formosa.

Et contra ab integro ad membra:

Lesbia est formosa,
Ergo & venusta & candida, &c.

Quintia formosa est multis. Mihi candida, longa,
Recta est. Hæc ego sic singula confiteor.
Totum illud, formosa, nego. Nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est, quæ cum pulcerrima (tota est,
Tum

Tum omnibus vna omnes surripuit veneres.

In sacris Saluator negat se spiritum esse, quia habeat carnem & ossa, quibus careret spiritus.

(Habeo corpus verum, sumq; homo, quia membra humana habeo, &c.)

Ita in aliarum causarum distributione. Neque à natura, neque arte, neq; fortuitò vnquam fuit in rebus currus solus. Figmentum ergo merum est; seu res existēs non est.

Tertium argum. ex aliis causis distributis.

Quid est distributio ex effectis?

Distributio est in qua partes sunt effecta. Itaq; totum quod distribuitur è causis erit vel causam comprehendet. Et cum modi effectorum sint in genesi, & corruptione, generato & corrupto, seu omnino motione & re motu facta: referatur etiam effectum modo ad vnam causam, modo ad plures: distinctio inde huius distributionis aliqua peti potest.

Egregiū exemplū habet Paulus 1. Cor. 12. Vbi vnius spiritus varia effecta diuidūtur. Diuisiones, inquit, donorum sunt; sed idem spiritus: Et diuisiones ministeriorū; sed idē Dominus. Et diuisiones operationum; sed idem Deus efficiens omnia in omnibus. Vnicuiq; verò datur manifestatio Spiritus ad id quod expedit. Nam huic

Nota etiam artis vocabula.

» per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij
» ſcientiæ, alij fides, alij dona ſanationum,
» alij efficacia potentiarum, alij prophetia,
» alij diſcretiones ſpirituum, alij genera lin-
» guarum, alij interpretatio linguarum. Sed
» omnia hæc efficit vnus ille & idem ſpiri-
» tus, &c.

Virg. 1. Æneid.

Illi ſe prædæ accingunt, dapibuſq; futuris
Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudãt,
Pars in fruſta ſecant, verubuſq; trementia
figunt:
Littore ahena locant alij, flammasq; miniſtrant.

Dichotomiæ etiam hîc ſunt: vt in bel-
» lo milites alij imperant, alij imperata fa-
» ciunt. Natura aut integra gignit, aut mon-
» ſtra.

Quæ hic diſtributio excellit?

Diſtributio generis in ſpecies. Et quidem ideo excellit, quia vtrumq; eſt ſymbolũ cauſarum & effectorum ſecundũ eſſentiã; genus quidem nota materię & formę, licet materiæ tribuatur potius; ſpecies verò effecti ex materia & forma, quanquã formam notet magis. Vnde & à Cicerone Græcorum εἴδος latinè forma redditur.

Quid eſt genus?

Eſt totum partibus eſſentiale: ſeu, eſt totũ quod complectitur ſpecies iisq; ſuã eſſen-

essentiam communicat. Itaque essentiam suam inde species accipiunt, non quidem ita vt genus sit aliquid existens naturâ, & in se species vt integrum membra habeat; sed generico seu communi amplexu contineat, & cohibeat, per se verò extra intellectum non subsistat. Ex illa communitate sumuntur species nascunturq;, quãquam & vicissim ex illis collectis illa imago communis concinnetur. Nam genera inuenturum oportet inductione specierum vti. Inseruit tamen facilitati tabula rerum in categoriis, item sapientium autorũ & artificum vsus & iudicium; cum argumentis logicis.

Quid species est?

Est pars generis. Itaque suam essentiam ex generis amplitudine sumit. Vnde eius effectum dicitur, vel continere generis effecta. Est tamen plus in specie quam in genere, vt loquũtur, quia præter genericam rationem totam, etiam suam habet formam: veluti, Animal significat substãtiam corporeã sensus, motusq; & vitę participem. Hoc distribuitur in species duas; bestiam scilicet & hominem, quarũ quælibet ex genere hoc habet, vt sit substantia corporea viuens sentiensque; veruntamẽ partiali notione, cum nulla species tã ampla sit quam genus. Prẹter hoc verò bestia

ſuam formam in beſtiali æſtimatione habet; homo ſuam in ratione: quarũ vtraq; tamẽ deſignat generis naturam in corporea virtute. Hinc euenit, vt poſita ſpecie ponatur genus, quia vtraq; pars eſſentialis generis eſt in ſpecie; ſed quia genus amplius eſt vna ſpecie: Itaq; ſi vna ſpecies tollatur, non ſtatim tollitur genus totum. Infringitur tamen vis eius, ſicut dicitur, generi detrahitur per ſpeciem. Ita de ſpecie genus dicitur: Et definitio generis communis eſt ſpeciei eodem modo, ſeruata ſua amplitudine. Species poſterior eſt genere; genus prius ſpeciebus: idque ratione cauſæ. Sed per inductionem, genus etiam eſt poſterius. Vnde philoſophus ait vniuerſale aut nihil eſſe aut poſterius eſſe.

Apparet inde etiam ſpecierum inuentio. Cum enim oriantur ex genere; ſi in hoc ſunt oppoſitę formę, manifeſtum eſt, eas eſſe ſpecies, & in tot eſſe diuidendum genus quot ſunt illæ. Tyrones adiuuantur item categoriis, artium exemplis, & iudicio virorum illuſtrium in vſu. Videnda & argumenta logica ſunt, ex quibus genus extitit.

Ratione generis vniuerſale eſt præſtaſtabile ad ſcientias gignendas, quia cauſas eſſentiales, è quibus ſcientia veriſſima eſt comprehendit. Et hoc etiam Ariſtoteles in po-

in posterioribus confirmat, demonstrationesq; inde petit; quo sensu & in fine 4. meteor. scripsit: Sic scimus vnumquodq; « propter quid, & quid est, si materiam aut « rationem (formam) habemus, maximè « autem cum ambo (species & genera in « quibus sunt ambo) & generationis & cor- « ruptionis, & vnde sit principium motus. « Quare ex hac distributione, & vniuersali quadamtenus argumentũ oritur demonstrationis. Ex eadem etiam definitiones præstantissimæ, quæ & ipsæ sunt scientificæ, & ex genere formaque constant. Species verò id est quod definitur. Et distributio generis in formas specierum eadem est, quia formæ cum genere suas constituunt species, aut repetendo in partibus genus, aut repetitum intelligendo; vt syllogismus est simplex aut compositus; vbi repetitum intelligitur. Plærunque enim metu tautologiæ non resumitur.

Cum item correlata sint genus & species, patet hinc, nullo alio posse argui genus nisi specie, & speciem non alio nisi genere.

(Non autem species adiuncto, &c. arguitur)

Species peculiariter adhibitę etiam exempla vocantur.

Quomodo diuiduntur Genera & Species?

Genus aut generaliſſimum eſt, aut ſubalternum. Ita ſpecies eſt ſubalterna, aut ſpecialiſſima.

Quid generaliſſimum genus?

Quod in eadem arte eſt ſummum, hoc eſt, nullum habet genus ſuperius. Itaq; ſi quæ vocabula & rationes ſunt quæ tum aliis tum his tribui poſſunt, vocantur tranſcendentia; vt quæ in omni penè arte adhibentur, RES, aliquid, &c. Item ſimplex, compoſitum, & ſimilia.

In dialectica inuentione Argumentum genus eſt generaliſſimum: In grammatica, vox, &c.

Quid eſt genus ſubalternum?

Eſt quod inferioris eſt genus, ſuperioris ſpecies. Ita & ſpecies ſubalterna genus eſt inferioris, & ſpecies ſuperioris. Coincidunt enim: vt cauſa eſt ſpecies argumenti artificialis primi abſolutè conſentanei; genus verò eſt materiæ, formæ, &c.

Quid eſt ſpecies ſpecialiſſima?

Quæ porrò in ſpecies alias diuidi non poteſt. Itaque & Indiuiduum nominatur: qualia ſunt exempla præceptorum in ſcientiis, in quibus ſtat diuiſio.

Indiuiduũ.

(Exempla autem ſunt non ipſæ ſententiæ ex alienis operibus vel propriis tranſ-

transſumtæ; ſed rationes in ſententiis: vt exemplum cauſæ efficientis procreantis eſt Deus reſpectu mundi; cum Deus ſit aliâs res Theologica; hîc vero in Deo ratio efficiendi indiuidua ſpectatur.)

Generũ & ſpecierũ deductiones methodi vniuerſalis fundamentum habent: vnde artium forma naſcitur.

Recenſe exempla diſtributi in ſpecies generis?

In artibus ſunt frequentiſſima: vt cauſa diuiditur in efficientem materiamque, & formam finemque.

Plato in Timæo elementa diuidit in 4. ſpecies; terram, aquam, aërem, & ignem: (Quo pacto & Hipp. & Ariſtoteles)

In ſacris, Luminare diuiditur in ſolem & lunam.

1. Cor. 13. Eccleſiæ miniſtri diuiduntur in Apoſtolos, Prophetas, Doctores, Poteſtates, Sanatores, Gubernatores, Subminiſtratores, linguarum peritos, &c.

In operibus artium occurrunt rariores, quod plærunque aliter ſint tractatæ.

Cic. in 1. Off. virtutem diuidit in quatuor ſpecies: Omne quod honeſtum eſt, inquit, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perſpicientia veri, ſolertiaque verſatur, aut in ſocietate hominum

„ tuenda, tribuendoque ſuum cuique & re-
„ rum contractarum fide; aut in animi inui-
„ cti magnitudine & robore: aut in omniũ
„ quæ fiunt quæque dicuntur ordine &
„ modo. In quo ineſt modeſtia & tempe-
„ rantia, quaſi dicat, virtus eſt prudentia, aut
„ iuſtitia, aut fortitudo aut temperantia.

(Metonymia ſubiecti, poſuit ſubiecta pro adiunctis; vt & Ouidius in 1. metam. vbi animalia diuidit.)

Loco tertii argumẽti adhibẽtur in his: Cic. pro Archia diſputat non mirum eſſe Oratorem à Poëta adiuuari, argumẽto artium inter ſe cognatarum. Ac ne quis

Obiectio.

„ nobis (inquit) ita dici fortè miretur, quod
„ alia quædam in hoc ſit facultas ingenii, at-
„ que hæc dicendi ratio aut diſciplina, nec
„ nos quidem huic cuncti ſtudio penitus
„ vnquam dediti fuimus. Etenim omnes ar-
„ tes quæ ad humanitatem pertinent, ha-
„ bent quoddam commune vinculum, &
„ quaſi cognatione quadam inter ſe con-
„ tinentur.
„ Act. 14. Lyſtris Paulo & Barnabæ deſti-
„ nantur ſacra; quia habentur pro diis. Illi
„ vero prohibent, quia ſe fatentur homi-
„ nes. Species ſunt Paulus & Barnabas: ge-
„ nera, dii, homines.
„ Ita in 1. de anima: Anima nec ignis eſt,
„ nec aër (vt voluit Diogenes) nec aqua (vt Hip-

Hippo dixit) nec terra (quod nullus ausus " est profiteri) nec elementa omnia, nec ali- " qua: Non ergo elementũ. Ita spongia nec " homo est, nec bestia; non ergo animal: Et: " animal nõ est: neq; ergo bestia aut homo. "

Iohan. 4. Deus debet adorari in spiritu; " quia spiritus. "

Ouid. 4. de trist. virtus in aduersis spectatur quia bellica, nautica, medica ita spectantur.

Materiamq; tuis tristem virtutibus imple
Ardua per præceps gloria vadit iter. *Quæstio.*
Hectora quis nosset felix si Troia fuisset? *1. species.*
Publica virtutis per mala facta via est: *Quæstio repetita.*
Ars tua Tiphyi acet si nõ sit in æquore fluct?: *2. spec.*
Si valeãt homines ars tua, Phœbe, iacet. *3. spec.*

Huius loci sunt & exẽpla specialia generi adhibita. (Aliàs enim ad comparata vel alio pertinent)

Cic. 7. ad Att. Vrbem tu relinquas? Ergo idem si galli venirent. Non est (inquit) in parietibus respub. Est in aris & focis: Fecit idem Themistocles. Fluctum enim totius barbariæ ferre vna vrbs non poterat. (Generale factum est, vrbem relinquere; specialia exẽpla; Themistocles reliqt; Põpeius relinquit) At idẽ pericles non fecit (speciale exẽplum dissimile) annum fere post 50. cum præter mœnia nihil teneret. Nostri olim vrbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt. *Dialogus Pompei & Cic.*

Qua

Quæ est distributio ex argumentis quodammodo consentaneis?

Cum totum diuiditur in subiecta, quæ distributio est ex subiectis; vel in adiuncta quæ est distributio ex adiunctis.

Quid est distributio è subiectis?

In qua partes sunt subiecta. Itaque totum erit argumentum adiunctum.

„ Rom. 3. Deus diuiditur per Iudæos &
„ gentes. An Iudæorum Deus tãtum? Non-
„ ne & gentium? Imò & gentium.

(Adiungitur Deus duplici subiecto)

1. Cor. 15. prolixum exemplum est: Alia
„ caro hominum, alia piscium, &c. Item
„ alia gloria cælestium, alia terrestium.
„ Cic. 5. Tusc. Tria genera bonorum sta-
„ tuit, animi, corporis & fortunæ.

Diuisio nominis polysemi.

Huc pertinet diuisio nominis significantis multa in significata; vt malus signat
„ improbum, vel arborem quandam, vel
„ perticam nauticam, &c.

E subiectis occupantibus est, cum di-
„ co: Sensuum alius colores cognoscit, alius
„ sonos, alius sapores, alius odores, alius ta-
„ ctiles qualitates.

E comprehendentibus; Filiorum Noæ
„ alius ad eurum cõcessit, alius ad austrum,
„ alius ad aquilonem, alius ad zephyrum.
„ Ita ventorum alius ad auroram, alius ad meri-

meridiem, alius ad occasum, alius ad septentrionem positus est.

Est & accommodatio ad quæstionem arguendam; vt: Christianorum politeuma aut in cœlo est, aut in mundo: In hoc non: In illo ergo.

(Quanquam hoc potius ex dissensu arguit)

Si bonum quid esset ira, aut corporis esset, aut animi, aut fortunæ. Sed nullius. Non ergo bonum. Ita: Plantæ sensu carent, quia nec colores, nec odores, nec sapores, nec tactiles qualitates, nec sonos cognoscunt.

Quid est distributio ex adiunctis?

Est distributio in qua partes sunt adiuncta. Itaque totum è subiectis est.

1. Cor. 7. Homines distribuuntur in seruos & liberos: In Genesi, homo est mas & fœmina (aliâs & ἀνδρόγυνος) Itẽ Matth. 19.

Forma dilemmatis ex hoc loco in Genesi est. Si bene egeris, probabis, sin malè, peccatum in foribus quiescit. Agere distribuitur per bene & malè. Adduntur autem statim consectaria. Ita in hoc: Aut pulcra ducenda est vxor, eritq; communis; aut deformis & erit ingrata.

Aristot. Elementa quædam grauia & leuia sunt absolutè; quædã relatè. Omnino variæ & frequentes hinc sunt distinctiones,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [145] - 141
PUBLIC DOMAIN

ctiones, sed ad probãdas quæstiones non perinde efficaces, nisi concurrat forma generi, quod si fit, ad diuisionem generis in species recidit.

Hactenus de distributione.

DE DEFINITIONE.

Quid est definitio?

ARgumentum artificiale ortum quo explicatur quid res sit. Quid autem potissimum de substantia, (materia & forma vel ex his effecto) quærit. Substantiæ symbola illustriora sunt genera speciesq; quæ & maximè scientificæ sunt, & vniuersale comprehendunt: Itaque definitio & substantiæ explicationem exigit, & eam genere formaque determinat, & ad scientiarum artiumq; constitutionẽ & demõstrationem plurimum affert momenti: Hinc regula est, quod definitio constat ex genere & differentia, quæ formæ est individua comes, si prima est. Ratione enim essentiæ suæ maximè differt res à rebus. Est & satis ad scientiam rei, si genus & formam indicat. Itaque dicitur in definitione nihil debere esse superfluum. Nec tota scitur res, si forma aut genus omissum est, aut si quid ad illa designanda necessarium præteritur. Ita si latiora, vel angustiora vsur-

vſurpantur, non tota explicatur natura, nec propriè. Vitioſum enim eſt genus aut commune definire, aut aliquid peregrini vnà comprehendere, cum definire ſpeciem velis.

Arguitur autem definitio definito; Et cum eo conuerti poteſt, & reciprocare.

Quotuplex eſt definitio?

Duplex: perfecta & deſcriptio.

Quid eſt perfecta?

Definitio perfecta eſt quę conſtat cauſis eſſentiam ſolummodo conſtituentibus, quæ genere & forma comprehenduntur. Vnde vocatur ſymbolum vniuerſale cauſarum eſſentialium: vocatur & definitio eſſentialis.

Quanquam autem in perfecta definitione nihil debeat eſſe præter genus & formam; tamen quia formæ immediatè interdum adhæret finis, vt qui in multis à forma non differt niſi modo quodam & ratione: Itaque finem vnà poni euenit. Nec formarum vocabula ſæpè extant. Itaque ſubſtituere periphraſes quaſdam cogimur, quibus formæ rationem repræſentamus & innuimus. Aliqui diſiunctis ſpeciebus aut formis præſentis ſpeciei ſub alternæ formam exprimunt: ſed non ſatis approbat. Nam definitio generis de qualibet ſpecie tota ſeorſim debet dici quod

Hæc ex ſuis locis repetita pro interpretatione ſunt.

quod in disiunctis fieri non potest. Nec raro genus latet. Itaque aut intellectui committitur, aut specieb. repræsentatur.

» Ita artes definimus: Medicina est ars
» benè medendi: Musica benè canendi,
» Rhetorica benè dicendi, &c. quibus singulis cum fine insinuatur forma.

(Istæ formæ & fines non raro enunciantur subiectiuè; vt arithmetica est
» scientia numerorum; pro, ars benè
» numerandi: Theologia est scientia re-
» rum diuinarum: Dialectica est ars de
» vtenda bene ratione; Inuentio est
» prima pars Dialecticæ de inueniendis argumentis, &c.)

Hæc vocatur partialis.

Est & hæc essentialis definitio, cum integrum per membra explicamus: vt Ho-
» mo est animal constans corpore & anima
» rationali. Caput est membrum animalis
» continens os & sensoria illustria. Manus
» est membrum hominis constans ex bra-
» chio, cubito, carpo, metacarpio & digitis.

Sicut autem in distributione locum speciei occupabat forma. Ita in definitione formam repræsentat notio quædam ex genere vim proprietatis habens, quanquam ipsa per se foret latior; vt, virtus est habitus animi rectus, vbi rectus animus loco formæ positus per se latior est; at generi

neri aggregatus, proprietatem acquirit: Ita visus est sensus oculorum: Auditus est sensus aurium: Color est subiectum visus: Sonus est sensile aurium, &c.

Relatio item perfectam definitionem constituit. Est enim essentiæ correlati effectrix; vt: maritus est qui habet vxorem. Pater est qui prolem habet, &c.

Cum dico: peccatum est vitium legib. aduersum; forma designatur duplici nota. Est enim eius ratio in aduersando legibus.

In hac: Qualitas est forma qua quales dicimur; Coniugatum exprimit naturam eius: & additur metonymia adiuncti. Ita Distributio est qua distribuimus, &c.

Vbi perfectæ definitiones haberi facile nequeunt, descriptiones damus, quas vocant definitiones imperfectas.

Quid est Descriptio?

Est definitio imperfecta ex aliis etiam argumentis rem definiens.

Itaq; in definitione cum aliqua essentiali nota coniunguntur argumenta plura; Semper autem aut ponitur genus aut intelligitur. Reliqua vel formam cum aliis habent, vel sine eâ alia, ita tamen vt fiat differentia quæ iuncta generi conuertatur cum definito. Perti-

Causalis. Accidētalis. Modi duo descriptionis.

net huc quæ vulgo vocatur definitio causalis & accidentalis. Porro descriptionum in vsu modi inueniuntur duplices. Autenim concisa vtimur, aut ampla copioseque illustrata. Ibi argumenta pauciora sunt, hic plura, & sæpè vnius generis coaceruantur multa. Et pro argumentorum natura, aliæ aliis sunt leuiores. Et non raro etiam particulæ saltem ad præsentem quæstionem vtiles adhibentur.

„ Exempla sunt eiusmodi: Rom.1. Euan-
„ gelium est potentia Dei ad salutem omni
„ credenti.

(Quasi dicat: Est doctrina per quam Deus efficaciter confert salutem credentibus in filium)

Hic cum genere quod causam complectitur essentialem ponitur causa efficiens, & finalis. Itaq; vt Apostolus enunciauit, tota est causalis.

„ Matth.21. Templum est domus preca-
„ tionis. Vbi genus ponitur cum adiuncto: quod & finaliter explicatur; quasi dicat, Domus constructa publicè ad precandum & alia officia sacra ibi celebranda.

„ Ita scholasterium est domus publice
„ exstructa ad pietatem literasque ingenuas
„ vacando ab opificiis & interpellationi-
„ bus, discendas.

Interdum disperſa sunt descriptionum eius-

eiusmodi membra; vt in colloquio Christi cum Nicodemo, definitio baptismi; Baptismus est lauacrum constans aqua & spiritu sancto ad regenerandum: quod etiam est ad Tit. 3. "

Ita Ioh. 1. λόγος est Deus qui in principio fuit (æternus) & omnia creauit, quæ creata sunt, & postea caro factus est. Ibidem: Iohannes est homo à Deo missus vt testimonium perhiberet de lumine iam apparituro. "

Adduntur & dissentanea; vt regnum Dei non est cibus & potus sed iustitia, pax & gaudium spiritus sancti. Rom. 14. "

Semiplenæ descriptiones etiam in sacris habentur; vt in confessione Petri: Christus est filius Dei viuentis; omissa enim est altera natura humana; cum Christus integram notet personam saluatoris. "

Ita si ex Epistol. Hebr. 11. dicas, fides est substantia rerum sperandarum. (Substantia id est repræsentatio, positio, categoria, affirmatio non titubans vmbra aut inane quiddam, sed cui res subsunt) Non enim speranda tantum sunt fidei, sed & facta & præsentia; quorum tamen causas non intelligimus. In supplementum itaque additur definitio altera. Fides est Elenchus rerum quæ non apparent; seu certum argumentum docens & con-

Ita in Genesi: Homo est anima viuens: pro homo est Dei creatura initio à Deo ex limo facta, inflato in facie eius spiraculo vitæ, seu spiritu vitali, &c.

uincens fiducia infallibili ea esse quæ sunt credenda, etiamsi non appareant.

Hic notandum quod interdum coaceruentur eiusmodi genera, vt historia in
„ 2. de Orat. Est testis temporum, lux veri-
„ tatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nun-
„ cia vetustatis. Ita idem: Comœdia
„ est speculum consuetudinis, imitatio vitę,
„ imago veritatis.

Apud profanos autores item occurrunt copiosæ descriptiones; vt Cic. in 1. de
„ inuentione: Historia est res gesta ab æta-
„ tis nostræ memoria remota: Vbi genus cum adiuncto est.

Horat. *Rex eris, si recte facies.*

Vbi rex definitur effectu; quasi dicat: Est is qui secundum virtutem agit. Idem:

Virtus est medium vitiorum vtrinque reductum.

Item est ab adiuncto.

Item: *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima Stultitia caruisse:*

Quæ sunt ex aduersis & priuantibus. Et hæc simul sunt manca.

Ita 2. sat. 3. sanus est qui non est stultus.

Non enim virtus est fuga vitii tantum, vt nec sapientia est priuatio stultitiæ; sed cum sint habitus, ab his ita describuntur.

„ Ita Philosophus: Nigredo est priuatio albi

albi: Frigus est priuatio caloris. Sunt mancæ descriptiones ex aduersis. «

Anima est actus corporis physici organici, potentia viui: vbi genus cum subiecto est. « « «

Motus est actus mobilis in quantum mobile: Vbi item subiectum passione designatum. Additur determinatio qua indicatur ratio per se inexistens. Hoc notandum est quod philosopho sit solenne. Additur enim eiusmodi determinatio tunc cum rei plures possunt competere rationes accidentales: vt motus est corporis mobilis affectio, non qua corpus, nec qua album, sed quâ mobile; vt indicetur τὸ καθ' αὑτό. «

Nota in definitione vocem, qua, quæ est exegetica τῆς καθ' αὑτό: vt visio est actus oculi quâ oculus.

Scire est rem per causas essentiales cognoscere. Platonis in sophista: scire est per genus discernere qua singula communicare vicissim possunt, & qua non possunt. « « «

Sunt & descriptiones modificatæ; Plato in Protagora. Sophista est mercator & caupo vectigalium, quibus animus alitur: id est, disciplinarum, laudans omnia sua siue bona sint, siue mala. Eiusmodi descriptiones oriuntur ex comparatis. « « « «

Horat. de populo: *Populus est belua multorum capitum.* 1. epist. 1.

Prolixiores autem descriptiones sunt,

Descriptiones copiosæ. quas potissimum Poëtæ & Oratores copiosè & eloquenter dicturi adhibent per circumductas periphrases. Hæ vbi rem ad viuum depingunt, hypotyposes vocantur. *Hypotyposes.*

„ Hebr. 7. Describitur pontifex Christia-
„ norum summus: pontifex noster est pius,
„ innocēs, impollutus, segregatus à pecca-
„ toribus, & sublimior cœlis factus, cui non
„ sit quotidie necesse, quemadmodum ve-
„ teris testamēti pōtificibus, prius pro pro-
„ priis peccatis victimas offerre, deinde pro
„ peccatis populi, quod fecit semel cum se-
„ metipsum obtulit, &c. Imo ex tota episto-
„ la plurima possunt colligi. Ita cap. 1. ha-
„ bet descriptionem filii Dei. Filius Dei est
„ quem constituit hæredem omnium, per
„ quem secula cōdidit, qui est splendor glo-
„ riæ & expressa imago substantiæ Dei, &
„ moderatur omnia verbo potentiæ suæ,
„ quiq; per semetipsum purgatione pecca-
„ torum nostrorum facta, cōsedet in dextra
„ maiestatis in excelsis, tanto præstātior an-
„ gelis factus, quanto excellentius præ illis
„ sortitus est nomen; quia est primogenitus
Dei, adorandus ab angelis, &c. vbi est re-
latum, subiectum, effecta, causæ essen-
tia, les comparata, minora, adiuncta, &c.

„ Ita D. Paulus describit episcopum: E-
piscopum oportet esse inculpatum Dei
dispen-

diſpenſatorẽ non tumidum faſtu, non ira- "
cundũ, nõ vinoſum, nõ percuſſorem, non "
turpiter lucro deditum, ſed hoſpitalẽ, bo- "
narum rerũ ſtudioſum, ſobrium, iuſtum, "
pium, temperantem, tenacem fidelis ſer- "
monis, docendi, vt potens ſit etiam ad ex- "
hortandum per doctrinam ſanam, & con- "
tradicentes conuincendum, &c. "

Horat. 2. ſerm. ſat. 7. Liberum ita ſecundum Stoicos deſcribit.

Quiſnam igitur liber? Sapiens, ſibi qui imperioſus:
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent;
Reſpõſare cupidinibus, cõtemnere honores
Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leue morari,
In quem manca ruit ſemper fortuna.

Cic. de gloria in Miloniana: ſed tamen "
ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet ha- "
benda ratio præmiorum, ampliſſimum "
eſſe præmium gloriam hanc vnam, qua "
breuitatem vitæ poſteritatis memoria "
conſolaretur, quæ efficeret, vt abſentes, "
adeſſemus, mortui viueremus; hanc de- "
nique eſſe cuius gradibus etiam in cœ- "
lum videantur homines aſcendere, &c. "
vbi ſubiecta, effecta, adiunctum cum ge-
nere, quod eſt præmium, &c.

Arguitne etiam definitio quæstiones?

Imo arguit efficaciter. Nam non tantum definitum esse euincimus definitione, sed & aliquid definito inesse per eandem, idque contra, sicut in aliis argumentis reciprocis: siue partes spectes, siue totam.

" Exempla sunt: Non pudet me Euange-
" lii: Quia est potentia Dei ad salutem o-
" mni credenti. Huius cum pudere vos non
" debeat; neque Euangelii.
" 1. Cor. 3. Christiani non sunt profanan-
" di; quia sunt templum Dei quod est san-
" ctum: cuius profanatores Deus per-
" det. Ibidem:
" Sapientes mundi sunt stulti; quia sa-
" pientia mundi est stultitia apud Deum; &
hoc probat pro syllogis. testimonii diuini.
" Ioh. 6. Domine ad quem ibimus? verba
" vitæ æternæ habes, & nos credimus & co-
" gnouimus, quod tu es Christus filius Dei
" viui, quasi dicat, Nõ discedemus a te; quia
" es filius Dei qui habet verba vitæ æternæ.
Hoc roborat testimonio fidei & experientiæ.
" Ita, Qui bene differit, purè philosopha-
" tur Socrati. Est ergo Dialectica purè phi-
losophantis opus.
" Studẽdũ virtuti est, quia habitui animi
" secũdum rectã rationem opera dãda, &c.

DE

DE TESTIMONIO.

HActenus argumenta artificialia tractata sunt; sequitur inartificiale.

Quid est argumentum inartificiale?

Est argumentum quod vi & natura alterius artificialis assumta arguit.

Itaque coarguere potius, quam arguere solet: Et artificialia illa quibus assumtis valet, sunt aliâs plura, aliâs pauciora; plura vt in experientia quæ causas, effecta, subiecta, adiuncta, dissentanea, &c. comprehendit; potissimum tamen effecta: Diuinum veri Dei testimonium omnia complectitur.

Cum itaque non sua vi arguat, per se solum, quatenus nudum est & merè inartificiale, vbi exquisita rerum veritas subtilius exquiritur, exiguam vim ad probandum euincendumque habet. Vbi verò armatum est præsidiis artificialium validis; etiam efficacissimum esse potest.

Id vno nomine testimonium, vel etiam autoritas dicitur.

Quotuplex est testimonium?

Duplex: Diuinum & humanum.

Quid est diuinum testimonium?

Diuinum est quod ad Deum refertur: Et est vel veri Dei, vel commentitiorum numinum; & vel immediatè perhibetur,

vel mediatè. Veri Dei teſtimonium, quod verbum reuelatum potiſſimum nominamus (Eſt enim & aliud non reuelatum) Et de voluntate aut eſſentia Dei teſtatur, omni dubio eſt maius. Eſt enim armatum ſubiecto, vel cauſa (vtroque enim modo Deus ad verbum poteſt cõſiderari) ea, quę in ſe, omnem ſcientiam & potentiam liberrimè complectitur. Itaq; & ſtatim meretur aſſenſum; & quo quis eorum, de quibus teſtatur, argumenta artificialia ſpeciatim inquirit magis, eo minus credere videtur Deo dicenti, niſi ea manifeſtata ſunt ſimul.

In ſacris plurimus eſt huius vſus: Matth. 4. & alibi diuina vox de cœlo ſuper Chriſto teſtatur: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi beneplacitum eſt; hunc audite.

Iohan. 1. Baptiſta arguit inde Ieſum eſſe Chriſtum: Ego non noueram, inquit, illum, ſed qui miſit me ad baptizandum aquâ, is mihi dixit ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem, ac manentem ſuper eo, hic eſt qui baptizat Spiritu ſancto.

Ita Hebr. 1. Dicitur Deus patribus per prophetas locutus variis modis; & in extremis temporibus per filium, &c.

2. Pet. 1. Negat Petrus propheticã ſcriptu-

pturam esse priuatę interpretationis; quia non volũtate hominis allata sit olim prophetia, sed sancti Dei homines à Spiritu sancto impulsi sint locuti: Hoc porro inculcant passim Prophetæ, cum inquiunt: Dominus dixit, Dominus me misit, &c. Et Osee 12. Deus ipse dicit: Locutus sum per Prophetas, & ego multas præbui visiones; ego in Prophetis assimilatus sum, seu persona eorum vtebar, &c.

Eo argumento etiam ipse filius Dei vtitur, quod missus sit à Deo, quod à seipso non venerit, quod autoritate patris omnia dicat & faciat.

Huius generis est tota scriptura, cuius præscriptum sequendũ; Huc pertinent oracula Dei varia, signa, effecta, quo pacto Christus dicit opera sua de se testari. Ita in vetere testamento ignis cœlo delabens & sacrificia comedens: Item somnia diuina, lumen in pectorali, circumcisio, iris, & alia multa testantur. In nouo testamento præter filium, & opera verbumque sacramenta, Apostoli & horum successores testimonium perhibent diuinum. In Pentecoste Spiritus & linguæ sectæ. Apparuerunt etiam aliquoties angeli in vetere & nouo testamento, &c.

Nota autẽ ista esse signa attestatus aut instrumenta. Nam alias irrationalia nõ testatur.

Iubentur tamen explorari spiritus, vtrum ex Deo sint, ne cuiuis vento credamus

„ mus,& à falsis prophetis pendeamus. A-
„ mussis autem est Dei verbum, & fides in-
„ de extructa catholica,&c.

„ Ita Gal. 1. Paulus execratur eum qui a-
„ liud Euangelium produxerit, quam ipse
„ prædicauerit,&c.

Quæ ergo quis Dei nomine secundum expressum indubitatumque verbum pronunciat, ea fidem habere debent præsentissimam.

Quid fidei debetur testimonio numinum commentitiorum?

Tantum quãtum rerum euidentia cõprobat aut consensus veri Dei oraculorũ, & experientia, quantumq; pium & fas est. Nam etsi diabolus quid veri loquitur, tamen non ideo probamus quia ipse loquitur, sed quia id aliunde est. Nam de suo nil nisi falsum profert. Imo planè ab eius dictis pendere nefas est. Itaq; & improbantur Arioli, aruspices, magi, incantatores,

Act.16. Ita reiiciuntur fallacia signa Antichristi, quorũ ratio cum fide nõ cõspirat: Ita statuaurm sudores, &c.

„ Pythiæ,&c. Ita Christus & Apostoli Dia-
„ bolorum testimonia & indicia repudia-
„ bant, quanquam verum dicerent. Veta-
mur & à mortuis explorare veritatem, quod fit per magica incantamenta, &c. Ita nec somnia superstitiosa & diabolica sunt sequenda: nec cabalistarum more ex literis diuinandum, nec ex figuris & astris de his statuendum, quæ natura eorum nõ fert,

fert, nec diuinitus sunt indicata in verbo reuelato.

Quid est testimonium humanum?

Quod hominem habet autorem. (Neque enim res brutæ propriè testantur, quanquam possint esse testantium instrumenta, aut qualescunq; occasiones) Homini autem creditur præcipuè propter prudentiam, virtutem, beneuolentiam, scientiam, experientiam; quia non consueuit falsa dicere, quia res tractauit ipse, quia pius est, quia eius testimonium consentit cum rei quam testatur natura, quia grauis vir, & maturæ ætatis; adolescentulis, fœminis, inconstantibus, vanis, imperitis, ex aliena fide & incerto rumore loquentibus, iniuratis, facinorosis, sæpè deprehensis, leuiter iurantibus, lucro deditis & diuitiarum captatoribus, &c. quia obuli gratia testari auderent contra humana & diuina; vt dicitur: sit spes fallendi; miscebis sacra profanis, &c. Item amatoribus, & affectu præpeditis, cognatis, affinibus, aliquo sensu diminutis; rationis egentibus, morbo occupatis vehementi, quo animus deprauatur; in tormentis pendentibus, mancipiis, suspectis corrupti pecuniâ vel commodis iudicij, &c. nihil admodum est fidei, nisi cum rerum euidentia. Ita his qui non sunt nostræ religionis,

gionis, aut qui ab inimici partibus hęrent, dubia est vis testandi.

Cicero audire Epicurum non vult dum
» dicit, non posse iucundè viui, nisi cum vir-
» tute viuatur, quia non spectandum quid
» dicat quisque, sed quam consentaneè sibi
» dicat. Ipse tamen peccat dum cum Plato-
» ne errare mauult, quam cum reliquis vera
» sentire. Amicus Plato, amicus Aristote-
» les, amicior veritas.

Scripsit Cicero Dialecticam esse artem benè differendi. Id repudiant quidam. Sed cũ veritas astipuletur Ciceroni, huic assentiendum.

De artificibus regula est: *Quod in sua arte artifici sit credendum:* Sed tum generale iudicium de benè factis ad vsum exemplumq; concedendum est etiam aliis (vt licet non sim sutor quodammodo tamen iudicare calceũ possum) tum diligẽter attendendũ, num attentus fuerit artifex tũc cum scripsit dixítve; num recens eius experiẽtia, num fidelis & perspicua assertio.
» Omnino vt Galenus ait: χαλεπὸν ἄνθρωπον
» ὄντα μὴ διαμαρτάνειν. ἐν πολλοῖς, τὰ μὲν ὅλως
» ἀγνοήσαντα, τὰ δ' ἀμελέσεργν γράψαντα, &c.
» Plurimum tamen autoritatis habet autor
» peritus, sobrius, prudẽs, &c. qui ex tracta-
» tionis propriæ iudicio attestatur.

Facit & infamia patriæ aliquid ad fidei diffi-

difficultatem: Hoc argumento Cretenſes "
ſunt ſuſpecti, qui mendaces dicuntur Epi- "
menide teſte, & confirmatore Paulo. Ita "
omnes homines dicuntur mẽdaces ratio- "
ne cœleſtium, quæ non niſi ex filio Dei è "
ſinu patris & cœlo progreſſo hauſerunt. "
Ipſi verò ſi de illis teſtari velint ſua ſponte, "
vt Paracelſitæ & magi de angelorũ & dia- "
bolorum ſocietatibus, mendacij ſunt ſu- "
ſpecti. "

Quomodo diſtinguitur teſtimonium humanum?

Teſtimonium humanum aut commune eſt, aut proprium.

Commune eſt qđ publicitus conſenſu teſtantur cõmuni; quale eſt Lex (ſub qua ſunt Senatuſconſulta, plebiſcita, reſponſa Iureconſultorum publica è Scabinis, &c.) Lex aut ſcripta eſt, (vt apud Romanos XII "
tabulę & ius ciuile) aut non ſcripta, (vt lex "
naturæ & conſuetudo) "

Huc pertinet & ſenſus cõmunis, & experientia publica; velut, quod omnes ſentientes ignem calidum iudicant, & ſole "
orto diem eſſe, &c. "

Hoc argumento Cicero in Miloniana conuincit, quod liceat vim vi repellere; quia nimirum id lex naturæ conteſtetur, addita amplificatione ab adiunctis & diuerſis. Eſt enim iudices (inquit) hæc non "
ſcripta,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [163] - 159
PUBLIC DOMAIN

» ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus,
» accepimus, legimus: Verum ex natura ip-
» ſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad
» quam non docti, ſed facti, non inſtituti,
» ſed imbuti ſumus, vt ſi vita noſtra in ali-
» quas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latro-
» num, aut inimicorum incidiſſet, omnis
» honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.

Ita ibidem:

» Non eſt puniendum quoduis homici-
» dium; quia lex XII tabularum furis cædē
» permittit, &c.

Eſt autem magna vis communi experientiæ, vtpote armatæ cauſis & effectis publicè notis. Commune verò plebis teſtimonium in artibus eſt ſuſpectum: ſicut
» dicitur à Platone: Scientiâ non multitu-
» dine iudicandum eſt, quod benè iudicari debet. Formæ verò communis experientiæ ſunt eiuſmodi quoque; Quis non
» videt? Cui eſt ignotum, aut obſcurum?
» Quis non intelligit? &c. Ita Saluatori reſpondetur Luc. 24. Tu ſolus peregri-
» nus es Hieroſolymis, neque cognouiſti
» quæ facta ſunt illic his diebus? Ita Scri-
» ba Act. 19. Viri Epheſij, quis eſt hominum
» qui neſciat Epheſiorum ciuitatem cultri-
» cem eſſe magnæ Deæ Dianæ?

Sapientum dicta, ſententiæque illuſtres, prouerbia, apophthegmata publicè rece-

recepta. Item fama, huius sunt loci; sed non paris fidei. Fama enim interdum constans est & à fide dignis profecta, proinde vt est, ita fidem merebitur: Sic & apophthegmata, non rarò sunt futilia.

In lege Iudæorum Deut. 17. & 19. Duorum vel trium testimonium ratum est.

Dicta sapientum sunt hùiusmodi: Nosce teipsum: Ne quid nimis: Spartam nactus es, hanc orna, &c.

Sed nec hæc perinde valent vbiuis. Nam vbi Deus diligendus est, & virtuti studendum; nulla est ratio dicti μηδὲν ἄγαν.

Quod est testimonium proprium?

Quod à singulari aliqua persona profertur.

(Est autem distinctio saltem humani. Nam aliàs & diuinum potest proprium esse.)

Ita viuorũ & mortuorum testimonia etiam sunt communia, licet hic propriis accenseantur.

Tale est Platonis illud quod Cic. ad Q. fratrem citat: Atq; ille quidẽ princeps ingenij & doctrinæ Plato, tum deniq; fore beatas Respublicas putauit, si aut docti, aut sapientes eas regere cepissent, aut qui regerent omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent.

Paulus ad Titum primo: Dixit quidam ex ipsis proprius ipsorum prophe-ta; Cretenses semper mendaces: Ma-

» læ beſtiæ; ventres pigri. Teſtimonium
» hoc eſt verum, &c.

Vbi teſtimonium defunctorum ſcriptis relictum producitur: Et valet ſi experientia reſpondet: aut alia argumenta aſtipulantur.

Viuorum teſtimonia ſunt, quando quis ſuam ipſius allegat experientiam, aut ſuam interponit autoritatem. Et hoc in plærisque eſt ſuſpectæ fidei. Vbi verò ſcientia vel etiam publica autoritas & officium concurrit, non eſt repudiandum. (Ita Iohan. 8. Saluator ſe defendit contra Iudæos, negantes teſtimonium eius verum eſſe, quia is teſtetur de ſe ipſo.

» Etſi ego (inquit) teſtimonium perhi-
» beam de me ipſo; verum eſt teſtimonium
» meum, quia noui vnde veni, & quo va-
» dam.

» Item iudicium meum verum eſt, quia
» ſolus non ſum, cum pater ſit mecum, &
» teſte lege veſtra, duorum teſtimonium
» eſt verum. Vbi notabis præceptum logicum, &c.)

Ita cum quis teſtatur de fundo, cæde, aut eiuſmodi negotio aliquo; item ſe obligat, confitetur, iurat, &c. huc pertinet.

Obligationis exemplum eſt in 5. Philip.
» Cic. Audebo etiam obligare fidem meã,

Patres

Patres conſcripti, vobis populoque Romano, quod profectò cũ me nulla vis cogeret facere non auderem, pertimeſceremque in re maximè periculoſa opinionem temeritatis; Promitto, recipio, ſpondeo, P. C. Cæſarem talem ſemper fore ciuem, qualis hodie ſit, qualemcunq; eum maximè velle & optare debemus.

Nota argumentũ artificiale quo roborat ſuũ teſtimoniũ.

Ita Geneſ. 42. & 43. Rubenes & Iudas obligant ſe, ſpondentque pro Beniamine.

Pignus eſt quædam obligatio; veluti eſt illud quo certare inſtituunt paſtores Virgiliani, altero vitulam deponente, altero pocula, &c.

Pertinent huc obſides, qualis Simeon eſt Gen. 42. apud Ioſephum. Videtur huc referri debere etiam matrimonium quod contrahitur in confirmationem fœderũ. Eſt enim tecta oppignoratio, & obſidum permutatio.

Confeſſio libera eſt, vel expreſſa tormentis, quæ quæſtio in foro nominatur.

Liberæ exemplum eſt Ioan. 1. de Ioanne qui cõfeſſus apertè negat ſe Chriſtum, Eliam, Prophetam; vocem verò Clamantis in deſerto aſſerit.

Expreſſę tormẽtis extat exemplũ in Miloniana, quod deridetur à Cicerone.

» Age verò quæ erat, & qualis quæstio?
» Heus vbi Ruscio; vbi Casca? Clodius
» insidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux.
» Nullas fecit: Sperata libertas. Vbi osten-
» dit vi expressam confessionem paruæ esse
» fidei, &c.

Non autem semper vi exprimitur, sed & euocatur astu, veluti donariis, promissis, vino; interdum αὐλοκαταπαιστίᾳ, quo pa-
» cto 3. Reg. 20. Propheta Achabum indu-
» xit, vt contra se ferret sententiam, prolato
» figmento. Ita 2. Reg. 12. Nathan Dauidem
» vrget conficta persona eius qui ad tractã-
» dum lautè hospitem parcens suo ouili, v-
» nicam alterius ouiculam rapuerat, &c.

Interdum iubemus periculum facere alterum & experiri; vt in Eunucho: Fac
» periculum in literis, fac in palæstra, fac in
» musicis, quæ liberũ scire æquum est ado-
» lescentem: solertem Ita Cic. 4.
» Verrina. Ecquis Volcatio si sua sponte ve-
» nisset, vnam libellam dedisset? (Hoc est
» publicum testimonium) Veniat nunc; ex-
» periatur; (hoc est proprium) te ctorec i-
» piet nemo.

Iurisiurandi & adiurationum formulæ passim sunt obuiæ; vt Virg. Æn. 6.

Per superos & si qua fides tellure subim aest
Inuitus regina tuo de littore cessi.

Gen. 24. Abraham ad seruum seniorem domus

domus ſuæ inquit: Pone manum tuã ſub « femur meum, vt adiurem te per Deũ cœli « & terræ, ne accipias vxorem filio meo è « Cananæis, inter quos habito, &c. «

Eſtne in teſtimonio etiam reciprocatio rei teſtatæ?

Eſt: Sed obſcurior. Teſtis arguitur ve- « rus, quia teſtimonium verum: Et teſtimo- « nium verum, quia teſtis verus. Teſtimo- « nium falſum aut ſuſpectum, quia teſtis « mendax: Aliter reciprocatio parum valet. Non enim aſtra ſunt animalia, quia Plato « dixit: vt ſic non ſit res teſtata; quia teſti- « monium eſt: Sed potius ſi res teſtata eſt, « teſtimonium de ea eſſe poteſt. Et hoc in « humanis. «

Diuina quæ ad verum Deum ſpectant, reciprocant validius: Deus teſtatus eſt. « Res ergo ita habet. Et veritas rerũ Deum « teſtem admittit, cum ipſe ſit primum τὸ ὂν « καὶ ἀληθές. «

Tantum de Inuentione logica.

DIALECTICÆ EMENDATÆ LIBER SECVNDVS.

DE IVDICIO.

Quid est Iudicium?

EST altera pars Dialecticæ de disponẽdis argumẽtis (seu categorematis) & axiomatis, beneque iudicandis.

Certa enim dispositionis regula iudicium instituitur. Vnde hæc pars secunda Dialecticæ etiam dispositio vocatur, continens præcepta de disponendo seu collocando argumenta & enunciationes, & de iudicando.

Vocatur & critice & analitice.

Quotuplex est iudicium?

Duplex: Axiomaticum & dianoëticũ.

Quid est axiomaticum?

Quo iudicamus axiomata: quæ cũ vulgò etiã nominentur propositiones & prędicationes; hoc iudicium vocatur item propositionum & prædicationum.

Quid est axioma?

Est sententia in qua argumentum cum argumento est dispositum, ita vt esse aliquid indicetur, vinculo vtrumque continente.

Atque adeo ista voce in hoc sensu vsi sunt Stoici, à quibus mutuatus est eam Cicero.

Cicero. Vulgò vocatur propositio, enunciatum, enunciatio, pronunciatum, pronunciatio, effatum, prædicatio, &c. quanquam Aristoteles vsurpet axioma specialius pro Thesi, & Theoremate scientifico. *Lib. de fato.*

Quomodo diuiditur axioma?

Principio in membra. Nam duo sunt membra axiomatis; prius quia propter dispositionem antecedit, antecedēs vocatur, (aliàs Subiectum, quæ vox tamen vulgo tantum in categorica propositione est) posterius consequens, quia consequitur (vulgo in propositione categorica, Prędicatum est) *Vulgo hæc distinctio adhibetur hypotheticis & enthymematis. Aliàs etiam syllogismo & methodo.*

Et tam consequens quam antecedens vim vinculi habet & argumentum: ex quibus tanquam essentialibus causis axioma conflatur, & diuiditur iterum in materiales partes, quæ sunt duo argumenta seu categoremata (quibus declarandis, quod adhibetur, illud syncategorema nominatur): & in vinculum, seu copulam, quæ pars etsi item syncategorema dicitur, tamen est anima axiomatis, quæ argumenta continet, disponit, & axioma facit. Vnde & suam vim communicat vtrique argumento. *Alia diuisio axiomatis.* *Syncategorema.*

Quotuplex vinculum est?

Duplex: Verbum, & Coniunctio: quæ etsi in Grammatica designant certas

voces; hîc tamen logicas res notant; vt sit verbum logicum, & cõiunctio logica seu intellectualis.

Quid verbum logicum est?

Est vinculum quo continentur axiomata simplicia.

Quid est coniunctio logica?

Est vinculum quo continentur axiomata composita.

Atq; hic est generalissimus disponendi argumenta modus, quo fiunt axiomata integra ex membris.

Quæ est secunda ratio dispositionis argumentorum?

Ea est, qua axiomatum affectiones cõsiderantur, vnde fiunt affirmata, negata; vera, falsa. Cum enim argumenta inter se certo modo sint affecta, & aliquam habeant varietatem; inde fiunt axiomata varia: veluti ex causis & effectis dispositis, poterant effectiua, vel causalia dici; ex subiectis & adiunctis, subiectiua, &c. quo pacto vulgo prædicationes sunt essentiales, causales, accidentales, vsitatæ seu regulares & irregulares, quarum quędam figuratæ dicuntur, quædam inusitatæ, &c. Item ex communi affectione communia, &c. Sed vsus notauit tantum triplex affectionum genus, quibus distin-

distingui solent axiomata constanter, & laudabiliter: primum est in consensu & dissensu; secundum in consequente inde natura secundum quam ita sunt, vt disponuntur, vel non sunt. Tertium in attributionis ratione.

Quæ axiomata fiunt ex consensu & dissensu?

Ex consentaneis argumentis, quæque notam aliquam consensus habent in præsens, fiunt axiomata affirmata. Affirmatio enim ex consensu nascitur, siue is sit principalis siue symbolicus. Itaque & coniunctio logica quia aliquo modo consensum spectat, potest affirmata axiomata facere ex argumentis aliâs inter se dissentaneis.

E dissentaneis vero quocunque modo, fiunt negata; cum fundamentum negationis sit dissensus argumentorum.

Quid est axioma affirmatum?

Est cuius vinculum affirmatur. Aliàs dicitur propositio affirmatiua. Vinculum autem affirmari intelligitur, cum consequens antecedenti inesse indicatur sine negatione: vt, Deus est bonus: parentes sunt colendi.

Quid est axioma negatum?

Est cuius vinculum negatur. Aliâs propositio negatiua. Negatur autem syncategoremate negante expresse ad vinculum

„ posito aut directo, vt: Virtus non est vi-
„ tium. Nullus malus est bonus. Et talis ne-
gatio vocatur critica seu iudiciaria, sicut &
affirmatio iudiciaria, quarum vtraq; per-
tinet ad vinculum. (Topica vero negatio
ad argumenta seorsim spectat.)

*Quid fit cum idem vinculum eiusdem axio-
matis affirmatur & negatur?*

Contradictio iudiciaria.

Quid est contradictio iudiciaria?

Est affectio axiomatum, quando in eo-
dem vinculum affirmatur, & negatur, vt:

Vir bonus est Dei similis.
Vir bonus non est Dei similis.

Quotuplex est contradictio iudiciaria?

Duplex: Generalis & specialis.

Quid est Generalis?

Contradictio iudiciaria generalis est,
cum axioma contradicens est generale.
Estque duorum modorum. Nam vel ge-
nerali cõtradicit, vel speciali. Generali, vt:

Omne phantasma est verum.
Nullum phantasma est verum.

Speciali, vt:

Quoddam phantasma verum est.
Nullum phantasma est verum.
Quoddam non est verum:
Omne est verum.

Ita: *Nullus homo mendax est:*
Omnis homo mendax est.

Quidam

Quidam homo est mendax.
Nullus homo est mendax.
Quidam homo non est mendax.
Omnis homo mendax.

Quid est contradictio specialis?

Est cum axioma contradicens est speciale. Estque item duorum modorum. Nam id cui contra dicitur vel est generale, vt:

Omnis homo doctus est:
Quidam homo non est doctus.
Nulla bestia loquitur:
Quædam bestia loquitur.

Vel est speciale, vt:

Quidam homo rationis est particeps.
Quidã homo nõ est particeps rationis.

(Propria axiomata ita se habent vt generalia & specialia, quorum naturam sequuntur.)

Vulgo generales contradictiones in vtroque generali nominantur oppositiones contrariæ. Reliquæ dicuntur contradictoriæ: particulares suppositæ generalibus eiusdem qualitatis nuncupãtur subalternæ. Et eædem rectà sibi oppositæ; subcontrariæ.

Quis est vsus contradictionum?


Faciunt ad veritatem & falsitatem, etsi vtraque iudicetur suis præceptis, vberius tamen dignoscẽdam. Quia enim fieri non

potest

poteſt vt contradicentia omnia ſint ſimul vera; conſequens eſt, vno aut aliquibus veris; reliqua eſſe falſa. Itaque ſi vtrumque axioma ſit generale & neceſſarium; ſtatim vno vero, alterum erit falſum. Si generale vtrumque & contingens; poteſt vtrumq; falſum eſſe, & vtraque ſubalterna vera. Si vnum generale, alterum ſpeciale; neceſſe eſt vno falſo, alterum eſſe verum. Ita & ſi vtraque ſubalterna eſt falſa, ea ex generalibus vera erit, cuius ſubalterna minus falſa. Si vtraque ſubalterna eſt vera; vtrumque generale erit falſum.

Contradict. Gen. alias contrariæ

Omne viſum verum. *Vtraq; falſa* Nullum viſum verum.
O. iuſtum æquum. *affir. Vera* N. iuſtum æquum.



Q. viſum verum. *Vtraq; Vera* Q. viſum non verum.
Q. iuſtum æquum. *affir. minus falſa* Q. iuſtum non æquum.

Subcontrariæ

Quo-

Quomodo diuiditur axioma ex rei existentia?

Axioma est verum aut falsum.

Quid est axioma verum?

Axioma verum est quod pronunciat vt res est.

Et hoc est pronunciare secundum argumentorum dispositorum affectionem. Itaque statim sequitur affirmationem & negationem. Si enim affirmatio fit ex rerum naturali genuinoque consensu, negatio ex genuino dissensu, verè pronunciatur. Sin consentanea negantur inesse; & dissentanea affirmantur, idque secundum argumentorum naturalem considerationem, suo vero modo etiam coniunctionem, falso pronunciatur.

Est & tunc vera enunciatio quando affectio argumẽtorum inter se in eloquendo obseruatur: Quando non obseruatur, aut falsa fit, aut aliena vel inepta. Itaque causaliter & effectiuè affecta sunt causaliter pronuncianda, definitiua definitiuè, & sic in aliis.

Habitus veri porro dicitur veritas.

Quid est axioma falsum?

Quod non pnunciat vti res est, hoc est, nec secundum naturam argumentorum, nec affectionem & coniunctionem, vt prædictum est.

Habitus

(Habitus falsi dicitur mẽdacium: quod est & iudicium & pronunciatio falsa.)

Quotuplex est verum axioma?

Duplex: verum contingens, & verum necessarium.

Quid est contingens?

Quando sic verum est, vt aliquando possit esse falsum. Itaque nascitur hoc ex affectionum topicarũ mutabilitate. Cum enim argumenta mobiliter seu inconstanter sunt affecta circa inexistentiam, vel consensum & dissensum; contingentia emergit, ita vt vel non omni tempore sit vel in aliqua parte vel aliqua ratione non sit, vel non per se sit, sed ex acciden-
» te, &c. vt: Lætitia conseruat naturam: Æ-
» thiops est albus: Baculus est longus: Contingentia sunt, quia primum non fit semper; Nam aliquando non conseruat, sed destruit: secundum in quadam saltem par-
» te. Nam aliâs dici potest: Æthiops est ni-
» ger: tertium ratione variat, ita vt compa-
» ratè baculus non sit longus, sed breuis.

Apparet inde quod contingens falsum sit id quod ita falsum est, vt aliquan-
» do possit esse verum; vt iustus non pati-
» tur. Hoc in aliquibus, in hoc æuo falsum est, at in aliquibus & altero seculo verum.

Quomodo vocatur iudicium contingenter veri?

Opi-

Opinio. Sæpè tamen & falsi iudicium eodem nomine appellatur, cum scilicet pro vero habetur, aut verum apparet; vt Stoici senserunt, & sophistis præter opinionem scientiæ nihil penè est tributum. Secundum hanc dicimur opinari: seu nihil scire certò, aut certum non asseuerare, cuiusmodi etiam sunt coniecturæ; vnde status rhetorum coniecturalis.

Quid statuendum de præteritis, præsentibus & futuris contingentibus?

Deo quidē omnia sunt præsentia, & ita nota vt prorsus sic eueniāt quemadmodū ipse nouit euentura; at homini futurorum contingentiū nō est admodū determinata veritas. Itaq; vbi subtilis inquisitio incidit; tertio argumento est opus, quo syllogisticè cum quæstione dispositio iudicium firmetur. De præsentibus & præteritis quod hęc euenerint, illa vero sint, potest esse certior; verūtamen si affectio argumētorū mutabilis p se spectetur; semp manet contingentia. Itaq; & q̄ præterita contingentia non possint mutari, id nō ex natura argumentorū est, sed ex irreuocabili circumstantia. Nec raro de præteritis & præsentibus dubitamus: quæ dubitatio; facit vt axioma eiusmodi vocet Quęstio iudiciaria (quo differt à quęstione topica in testimonio.)

Quid

Quid est necessario verum?

Hinc dicitur necessitas, quæ alias est absoluta, vel ex hypothesi; item consequentiæ & violentiæ, vnde vulgariter: necessitas absoluta, physica, demonstratiua, & consequentia.

Quando semper verum est. Itaque nec falsum potest esse, & nascitur ex argumentorũ affectione immutabili per se, quanquam non semper actu ea vigeat: vt iustum quod est, honestum est: Homo non est leo: Aues sunt alatæ; Quædam animalia ratione vtuntur. Itaque etiamsi aui possint excidi alæ; tamen ex natura & affectione argumentorum euincitur perpetua inexistentia secundum potentiam naturæ. Et cum affectio illa in aliquibus sit reciproca ex æquo: in aliquibus non: fit necessitatis axiomaticæ quædam distinctio, quæ elucet in catholicis & generalibus. Necessario accensetur & id quod vt plurimum eodem modo se habet, vt trifolium nascitur tribus foliis. Nec desinit esse sua natura necessarium, etsi ex aliqua circumstantia alicui fiat opinabile.

Aristot. 1. post. tex. 8. de omni dico, quod sit ὅτι ᾧ seu omnino; Non in aliquo quidem, in aliquo non, &c.

Quando necessarium affirmatum est, & simul generale, nominatur κατὰ παντὸς de omni (aliquibus omnino verum etiamsi sit particulare, vt: *Quoddam animal loquitur: Paulus est homo.*)

Modi dicendi per se.

Quando in argumentis affectio est ea, vt disponatur forma cum formato, proprium subiectum cum adiuncto, genus cum specie, definitum cum definitione, (vnde sunt quatuor modi dicendi per se

apud

apud Aristotelem 1. Cum membra substantialia materia & forma vel integrantia disponuntur cum substantia, vt: *Linea est materia trianguli, &c.* Item cum definitio vel pars definitionis essentialis, cum definito: 2. Cum proprium adiunctum disponitur cum proprio subiecto; 3. Cum ipsarum substantiarum existentia indicatur, quæ non affirmatur alteri inesse; vt, *Deus est*; 4. Cum propria causa disponitur cum proprio effecto: quanquam interpretes varient in Aristotelea sententia) Nominatur καθ' αὑτὸ & Homogeneum. Huic opponitur id quod est κατὰ συμβεβηκὸς; & fortuitum; sicut priori de omni, necessarium negatum, quod est de Nullo. Et intelligitur hos titulos peculiari excellentia tribui necessariis in hac doctrina; cum aliàs etiam nõ necessariis possint esse congrui: aut his primum; aliis consequenter, aut similitudine conueniunt. *Arist. lib. 2. post. tex. 9.*

Tandem cum affectio argumentorum ita est, vt alterũ alteri per se insit, & omni, atque insuper etiam possit conuerti: nominatur καθόλου πρῶτον, vniuersaliter primum (seu quod primum inest in vniuersum itaque & proximum est cuique generi) aut etiam vniuersaliter vniuersale. Aduersatur ei τὸ κατὰ μέρος, quodq; non est primum vniuersale.

Hæ tres axiomatũ notæ accommodantur demonſtratiuis & ſcientificis iudicandis. Itaque nominantur artium axiomaticè ſeu materialiter conſtituendarum leges & documenta, quæ in arte nihil ferant niſi enunciata affirma κατὰ παντὸς, homogenea, & reciproca excluſis negatis heterogeneis, fortuitis ſeu contingentibus, inconuertibilibus, & particularibus. Cum his conſpirat iudicium methodicum, & artes informat. Sed vt has leges artifici ſcientifico propoſitas eſſe vtile eſt, ita eas planè ſequi eſt impoſſibile humanis artibus, cum nec natura ipſa ſeruet conſtantiam, proueniatque diuerſo ſatu & cultura herba aliter, vt: *trifolium aliquando quadrifolium prodit, &c.* Itaque philoſophus etiam ea ſcientificis accenſet quæ ſunt ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ſeu quæ vt plurimum ſunt conſtantia.

Alio modo artium principia vocantur ἐμπειρία καὶ ἱστορία, exempla ſenſus, inductio, &c. nempe ratione quo ad nos, non quo ad ſcientiam aut rationem. Et illud eſt principium inuentionis; hoc conſtitutionis.

Quomodo vocatur habitus axiomatis catholici?

Scientia prima & veriſſima: aut etiam

iam sapientia, quæ tamen est habitus sublimior multis artibus communis. Scientia autem alia est principiorum seu axiomatum artis quæ sunt indemonstrabilia; alia per demonstrationem ex principiis seu axiomatis artium comparata, quæ vocatur demonstratiua.

Est ille fructus qui acquiritur iudicio & cõceptu scientificorum axiomatũ.

Quomodo nominatur necessariò falsum?

Impossibile: quod siue affirmetur siue negetur, de nullo vnquam verum esse potest, vt: *Stellæ sunt animalia: anima est antiquior corpore*; quæ paradoxa protulit Socrates, &c.

Porro quãdo iudicium necessarii, contingentis, possibilis, & impossibilis additur axiomatis expresse; vocarunt modos, & propositiones modales inde natas, vt: Homo loquitur, Hominem loqui est necesse. Item Plato docet: Platonem docere est contingens: Homo est canis, hominem esse canem est impossibile: mulier parit; possibile est mulierem parere, &c. Et possibile est tam contingens quam necessarium; opponiturque impossibili. Contingens nec necessarium est, nec impossibile.

Modi & modales.

DE TERTIA AXIOMATVM DIVISIONE.

Dic tertiam diuisionem axiomatum?

AXiomatum aliud est vniuersale: aliud particulare; aliud proprium.

Quæ distributio item exístit ex habitudine argumentorum inter se, & modo attributionis.

Quid est vniuersale?

Axioma vniuersale est, quando consequens vniuersaliter attribuitur antecedenti.

Attributio autem vniuersalis fit cum nihil est in antecedente, quod non comprehendat consequens; oriturque ex argumentorum affectione tali.

Et aliquando consequens est latius; nominaturque simpliciter vniuersale: Aliquando æquale, nuncupaturque vniuersaliter vniuersale, quod affirmatum & primũ, idem est ac καθόλου πρῶτον. Illud cõuersione accidentaria agnoscitur, qua ex vniuersali fit particulare, vt:

Omnis homo bipes:
Quoddam bipes est homo.

Hoc conuersionem habet simplicem, vt:

Nullus homo bestia.
Nulla bestia homo.

Omnũ

Omnis homo disciplinæ capax est:
Omn. disciplinæ capax est homo.

Quando autem consequens argumentum sua natura non generaliter se habet ad antecedens, non re, sed pronunciatione saltem vocatur generale, vel vniuersale; & est falsum, vt: *Omnis disciplina est liberalis. Nulla virtus est noetica.*

Notanda est ratio signorum generalium, quæ sunt, Omnis & Nullus. Maior enim huius est vehementia in negando q̃ illius in affirmãdo. Itaq; & vniuersale negatum simpliciter reciprocat semper; vniuersale affirmatum, non cum æquale est vtrumque argumentum: vt in definitione & definito, propriis, &c.

Possunt & omitti illa signa, vt: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Expresse tunc adduntur cum attributionis modum euidenter indicare volumus.

Eadem signa interdum & aliis notis designantur; vt sunt: Nemo non.

Nemo mihi non donatus abibit. pro: Omnis.

Nemo nisi: vt 1. Cor. 12. Nemo potest " dicere Iesum Dominum nisi per spiritum " sanctum. pro, omnes dicentes, &c.

Ne vnus quidem: *Non est qui faciat bonum, ne vnus quidem:* pro, nullus.

Excluſiuæ, vt Tantum, ſolum, &c. vniuerſaliter quidem explicari poſſunt; ſenſu tamen differunt ab vniuerſali ſigno, vt:

„ Soli credentes ſaluantur, pro: quili-
„ bet credentes ſaluantur; Differre autem
„ indicatur hoc axiomate: Tantum homi-
„ nes ſunt literati inter animalia: vbi non
„ potes dicere: Omnes homines ſunt li-
„ terati.

Quomodo contradicitur vniuerſali?

Primum generaliter: deinde & ſpecialiter. Et generalis contradictio in neceſſariis arguit, ſi vnum ſit falſum, alterum eſſe verum, veluti:

Omnis coruus crocitat:
Nullus coruus crocitat. Quorum hoc falſum arguit, illud verum.

In contingentibus non ſtatim apparet veritas. Poteſt enim vtrumq; eſſe falſum. Itaque ſubcontrariæ ſunt conſiderandæ.

Quod ſi vtrumque verum eſt; non ſunt
„ legitima contradicentia, vt: omnis homo
„ eſt Iudæus, qui ſcil. eſt de gente Iudæa;
„ Nullus homo eſt Iudæus, qui ſcil. eſt de gente Græca. Obſeruandæ autem ſunt leges oppoſitionis topicæ.

Contradictio ſpecialis ad vniuerſale, ſemper diſcernit verum à falſo, vt:

Omnis

Omnis fama est constans; Quædam « fama non est constans; quorum hoc ve- « rum, arguit illud mendacii. «

Quid est axioma particulare?

Axioma particulare est, in quo consequens commune antecedenti attribuitur particulariter.

Hoc oritur ex argumentis ita inter se affectis, vt re arguta res arguens sit latior.

Vocatur indefinitum. Dum enim consequens de aliquo antecedente est, numerus certus non exprimitur, quod est indefinite attribui, seu indeterminate.

Huius signa, si quando exprimuntur, sunt: aliquis, quidam, aliquando, non omnis, nonnulli, plærique, multi, pars, partim, &c.

Cic. de amicitia: Quidam sæpè in par- « ua pecunia perspiciuntur, quam sint le- « ues. Quidam autem quos parua mo- « uere non potuit, cognoscuntur in ma- « gna. Ibidem.

Quam graues quam difficiles plærisq; « videntur calamitatum societates. «

Matth. 24. Tunc scandalum patientur « multi. «

Rom. 9. Non omnes qui sunt ex Israële « sunt Israëlitæ. Non quisquis dicet Domi- « ne, Domine, intrabit regnum cœlorum. «

Particulare contra distinguitur è generali, per naturam suam; siue generale sit manifestum, siue non. Itaque & in artibus si quando ponitur, vi generalis ex quo sumtum aut repetitum est ponitur, vt:

» Omnes dormientes resurgent, quidam
» in ignominiam; quidam in gloriam.

Nota non exprimitur, vt: Erunt signa
» in sole, luna, stellis. Intelliguntur quæ-
» dam; non omnia. Luc. 21. Homo ho-
» mini Deus: Homo homini lupus: pro qui-
» dam, vel aliquando, &c. Promissa sunt
» seruanda: quod Cicero explicat de qui-
» busdam. Rom. 10. Israëlitæ non fuerunt
» subditi iustitiæ Dei.

Quomodo contradicitur particulari?

Dupliçi modo; Generaliter, & specialiter.

Generalis contradictio est neruosior & verum & falsum semper diuidit, idque statim; vt Cic. de Diuin. *Quorundam est diuinatio. Nullorum est diuinatio.*

Quorundam non est diuinatio.
Omnium est diuinatio.
Aliquid ignoscendum.
Nihil ignoscendum.

Specialis contradictio interdum implicatur distinctione, in qua negatum ponitur loco alicuius affirmati: interdum nu-

da

da est: Exemplum illius:

Quoddam animal est rationale:
Quoddam non est rationale:

Pro *Quoddam est irrationale.*

Et hîc vtrumque est verum: & indicat, generalium vtrumque esse falsum.

Exemplum huius:

Quidam homo est risibilis:
Quidam homo non est risibilis:

Et vtrumque est falsum; indicans è generalibus illud verum esse cui respondet particulare contingenter verum; seu cuius subalternum est minus falsum; vt:

Quidam homo risibilis:

Saltem falsum est attributionis modo, non affectionis. Nam cum omnis homo sit risibilis, etiam aliquis erit risibilis, quãquam non ita debebat enunciari affectio generica.

Inesse autem his contradictionem patet, quia vinculum idem modo affirmatum, negatur.

Quid est axioma proprium?

Axioma proprium est, cum consequẽs tribuitur antecedenti proprio.

Proprium autem vel nomine voceque propria designatur, vel indicando, describendóve exprimitur: vt:

Abraham credidit Deo. (*mundi.*
Hic est agnus Dei qui tollit peccata

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [189] - 185
PUBLIC DOMAIN

Super quo videris Spiritum descendentem & manentem, ille est qui baptizat Spiritu sancto. Ita:

Aristides iustissimus erat Græcorum. Tu Marcellus eris. Scriptor Iliados perhibetur esse cæcus.

Porrò in proprio est nota vniuersalium & particularium. Quædam enim ad vniuersalia accedunt, siue reciproca, siue non reciproca: Quædã ad particularia; vt:

Catholicorũ conditionem habẽt hæc:

» Socrates Apollinis iudicio sapientissi-
» mus Græcorum fuit habitus.
» Iulius Cæsar Pompei socer, Primus
» fuit Cæsarum Monarcharum.
» Ita in negatiuis: Plato non est Socrates.
» Non reciprocant hæc: Dion est ho-
» mo: Bucephalus est equus.

Particularium vim habent; vt: Anto-
» nius aliquando fuit ebrius: Socrates ta-
» cet. Non enim perpetuo hoc est, neque omnino.

Hinc est veterum regula, quæ statuit, aliquando proprium congruere legi κατὰ παντός.

Quæ est contradictio proprij?

Contradictio proprij ita se habet, vt vis eius qua se accommodat vniuersali & particulari. Contradicitur enim illi, cum negatio sit; & contradictio aliâs di-

uidit

uidit verum & falsum ; aliâs non statim : vt.

Cicero latinæ eloquentiæ fuit peritissimus.
Cicero non fuit peritissimus latinæ eloquentiæ.
Vlysses fuit filius Laërtis:
Vlysses non fuit filius Laërtis.

In his statim apparet vnius veritas ex alterius falsitate.

At in his non statim:

Antonius fuit sobrius:
Antonius non fuit sobrius.

Neque enim omnino alterutrum ineſt ; sed quandoque hoc, quandoq; illud. Quod si omnino seu symbolo generico enuncies ; ex vtroq; generali falso, apparebit veritas horum duorum ; vt : Antonius totus per totam vitam vel omnino fuit sobrius : Antonius nunquam fuit sobrius.

Adhuc de distributione axiomatum per affectiones.

DE DIVISIONE AXIOMATVM SECVNdum species.

Quot sunt species axiomatum?

DVÆ: Aliud enim axioma est simplex; aliud compositum.

Hæc

Hæc distributio oritur ex argumentorum inter se dispositorum forma, quæ est vinculum. Hoc autem variat secundum numerum illorum, vt supra dictum est.

Quid est axioma simplex?

Axioma simplex est quod verbi vinculo continetur. Id vulgo propositio categorica dicitur. Itaque argumenta duntaxat duo disponit; cum orationis ex singulis argumentis, altera pars sit verbum.

Inde affirmato vel negato verbo affirmatur vel negatur: vt: *Ignis vrit: Ignis est calidus: Ignis non est aqua:* Vbi singula argumenta disponuntur singulis cõtinente verbo, causa scilicet effecto; subiectum adiuncto, & disparatum disparato. Et hoc pacto omnia argumenta correlata possunt disponi prẹter plenas comparationes, distributiones, & quædam diuersa: Ita nempe vt consentanea affirmẽtur, dissentanea negentur.

In simplici contradictio est, negato affirmatoque verbo; & de veritate falsitateque statuitur secundum leges veri falsiq; generales & contradictionem vniuersalium, particularium, propriorum. Est & conuersio simplicis propria. Et est conuersio axiomatis simplicis affectio, cum argumenta permutantur, venitque consequens in locum antecedentis. Triplex

autem

autem traditur: I. Simplex in qua ſimpliciter qualitate & quãtitate ſeruata fit permutatio; vt: *Canis latrat: Latrans eſt canis.* II. Conuerſio per accidens quæ eſt cum conſequens latius & generale, vbi tranſpoſitum eſt, enunciatur particulariter; vt: *Homo eſt bipes: Et bipes eſt homo.* III. Per contrapoſitionem, cum contradictorium conſequentis fit antecedens, & huius contradictorium fit conſequẽs; vt: *Homo eſt diſciplinæ capax: Quod non eſt capax diſciplinæ, homo non eſt.* Et hîc etiam conſequentia quædam eſt.

Quid eſt axioma compoſitum?

Axioma compoſitum eſt, quod vinculo coniunctionis continetur.

Hoc ideo fit, quia argumenta ſingula, ſi augentur vel vtraque vel vnum ſolummodo, diſponi non poſſunt niſi interuentu coniunctionis, licet ea non ſemper exprimatur.

Oportet autem coniunctionẽ eſſe non ſyncategorematum, ſed argumentorum. Cumque argumenta ſingula etiam inſint, & coniunctio ſaltem ſit reſpectu augmẽti; manifeſtum eſt comprehendi vnà axioma ſimplex, idque ſiue vnicum, ſiue plura, pro numero verborum. Et ſic compoſitum poteſt reſolui in plura ſimplicia, licet non inde ſit dictum compoſitum

quod

quod ex ſimplicibus axiomatis conſtet, ſed ex compoſitis argumentis pluribus quam duo.

Compoſitum vulgo dicitur propoſitio hypothetica. Compoſitum negatur negata coniunctione; affirmata affirmatur. Itaque in eo eſt contradictio.

Diuiditne contradictio in compoſitis verum & falſum?

In coniunctis neceſſariò, ſtatim diuidit, in non neceſſariò coniunctis non ſtatim: Eſtque tunc reſpiciendum ad analogian circumſtantiarum vniuerſalium & particularium; vt:

Si homo eſt, bipes eſt.
Non ſi homo eſt, bipes eſt.
Si leo eſt, rugit. *Non ſi leo eſt, rugit.*

Hic prius perpetuo adiunctum eſt, etſi ſit accidens commune; poſterius proprium eſt. Itaque negatis falſis, affirmata ſunt vera. Sic:

Socrates eſt animal & homo:
Socrates non & animal eſt & homo.

Quanquam eſt beſtia leo; tamen eſt quadrupes, &c.

Non ſtatim diuiditur in his:

Si timidus eſt, homicida eſt:
Non ſi timidus eſt, homicida eſt.

Vtrumque horum poteſt eſſe verum: Et agnoſcitur ex circumſtantiarum generica

rica ratione : Nam neque perpetuo si timidus est, homicida est, neque nunquam.

Quotuplex est axioma compositum?

Duplex : Congregatiuum & segregatiuum. Ita enim est coniunctio logica ex qua nominatur.

Quid est congregatiuum?

Congregatiuum est axioma compositum, cuius coniunctio est congregatiua: quales sunt : si, cum, Et, atque, &c.

Congregatiuum enunciat omnia consentanea, quouis modo consentiant, affirmando; dissentanea negando.

Quotuplex est congregatiuum?

Duplex : Copulatum, & connexum.

Quid est axioma copulatum?

Axioma copulatum est axioma compositum congregatiuum, cuius coniunctio est copulatiua. Vulgo dicitur propositio copulatiua; vt :

Eph. 5. Homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ : (huius accessu fit compositũ copulatum; nam consequens auctum est) Et erunt duo in carnem vnam. (Hìc coniunctio, Et, aliud sustinet officium. Nam planè nouum fit axioma : *Duo erunt caro vna.* Ponitur verò, pro autem vel simili. Frequentes enim sunt catachreses coniunctionum talium.)

Vir-

Virgilius: (cellis

Vnà Eurusq; Notusq; ruũt, creberq; pro-
Affricus.

» Coniunctio dissimulatur in hoc: Cæ-
» teros ruerem, agerem, tunderem & pro-
» sternerem.

Quæ est copulati contradictio?

Coniunctio copulatiua affirmata, negatur; & negatio indicat non esse copulata quæ coniungebantur copulatiuè; vt: *Non vnà Eurusq; Notusq; ruunt.*

Hæc sententia etiam discretè enunciatur; vt quanquam Eurus ruit; non tamen Notus & Affricus.

Vlysses est formosus & facundus:
Non & facundus est & formosus.
Facundus sit: At non formosus.

Quæ sunt copulato affinia?

Parem vim copulatis habent, quæ per relatiuas voces coniunguntur, quæque climace contexuntur. Pertinent ergo huc enunciata relatæ qualitatis, temporis, loci, quantitatis, &c.

Copulatio in gradatione est; vt: Affli-
» ctio parit patientiam, patientia probatio-
» tionem; probatio spem, spes porrò non
» confundit.

Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam:
Florẽtẽ cythisum sequitur lasciua capella.

Rela-

Relatæ qualitatis exemplum est:

Tale tuum carmen nobis diuine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, &c.

Ita sunt & aliæ similitudines plenæ.

Relata quantitas est in hoc:

-----Tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum tenditque sub vmbras:
Quãtus ad ætheriũ cœli suspectus olympũ.

Ea ratio est parium plenorum, maiorũ, minorumque explicatorum.

Relatum temporis est:

Tunc credo cum me arbustũ videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce nouellas.

Ita: Cum sceptrum ablatum fuerit Iudæis, veniet Messias. "

Loci: vt; *-----Vbi densas*
Agricolæ stringunt frondes hic Mœri cãnamus, &c.

Horum omniũ negatio & contradictio est; vt: Afflictio parit patientiã; at non patientia probationem, &c. Non tale tuum, &c. Non tantum, non tunc; non vbi, &c. "

Quomodo iudicatur veritas copulati?

Pręter iudiciũ generale, quo verũ tunc iudicatur, cum enũciat secundũ affectionẽ argumentorũ copulatorũ, etiam sigillatim iudicatur, verum cum omnes partes sunt verę, vereq; copulantur. Cum aliqua

falsa est, aliqua vera, nec vera copulatio: falsum censetur copulatum. (Ita vulgo dicunt: ad veritatem copulatiuæ requiritur omnes partes esse veras. Si vna falsa sit, tota falsa censetur) vt: *Corporis voluptas nõ satis est digna hominis præstantia, debetq; contemni & reiici.* Hoc verum est. Contrà falsum: *Virtus & voluptas corporea sunt finis hominis.*

Quid est axioma connexum?

Axioma connexum est cuius cõiunctio est connexiua. Talis potissimum est conditio, Si, quę quia hypothesin & cõditionem signat, efficit vt hoc axioma nominetur conditionalis propositio vel hypothetica in specie. Vim eius habent & alię voces, vt: siquidem, quandoquidẽ, quia, & ablatiui consequentiæ.

Est & in hoc axiomate vis consequentiæ, quasi consequens eius ex antecedente tanquam argumento tertio existeret. Itaque & syllogismi simplices possunt hac forma enunciari contractè. Exempla sunt:

„ Gal. 3. Si ex lege est hæreditas, non ex
„ promissione. Non si Abrahæ semen est
„ quis, iustus est; sed si ex fide Abrahæ.

Non si priores Mœonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent
Stesichoriq; graues Camœnæ.

Qua-

Quæ est ratio negationis & contradictionis in connexo?

Negatur cõiunctio si, iam affirmata: Et indicatur negatione, quod etsi sit aut possit esse antecedens, tamen non necesse sit esse consequens, quasi neget antecedens esse consequentis causam: sicut affirmatio volebat ex antecedente sequi consequens, si illud ponatur; vt:

Si miser est si non, mendax est:
Non si miser est si non mendax est.
(Quod est; possit esse miser, at id causa non est, ob quam sit mendax),

Negatur hæc coniunctio interdum apertius, negando consequentiam; veluti cum dicimus; non est consequens, non ob id sequitur, non necesse est, &c. vt:

Non continuò si me in sicariorum gregem contuli, sicarius sum: Cic. pro Rol. Amer.

Non si omne enunciatum verum est aut falsum: Sequitur illico causas esse immutabiles. Cic. de fato.

Semperne exprimitur conditio Si?

Non semper; vt in his: Cic. pro Mil.

Non hoc fragile corpus humanum mente regitur, & nõ regitur mente vniuersum mũdi corpus.

Non opus est exercitio in leuioribus artibus, & non opus est in difficilioribus.

Non sunt dij, & non significant.

(Hęc & Philippus exponit hypothetice)

Quæ sunt cognata connexis?

Quæ similes habent notas, similemq; vim, & relationem consequentiæ, vbi cõsequens respicit ita antecedens, tanquam ex eo & per id sit collectum instar correlati: vt:

Cum Tullius sit orator, est etiam peritus dicendi.

(Hìc consequens sequitur ex antecedente, estq; eius correlatum ita vt se destruant & ponant mutuo)

Cum sit tam pauper quomodo cæcus amet?

» Gen. 3. Quia hoc feci sti, maledictus sis
» inter omnes bestias terræ.

Te veniente die, te decedente salutat, &c.

Quod est iudicium veri & falsi in connexo?

Connexum sigillatim iudicatur verum, si posito antecedente, est consequens: Si posito antecedente, consequens non est, falsum iudicatur. vt:

Si in fide Christi perseuerabis ad finem, eris beatus. Hoc verum, quia consequens ex antecedente est.

Si Christianus est, improbus est. Falsum est. Christianum enim esse tollit, non ponit improbitatem.

Quando

Quando necessariò verum est, & quando contingenter?

Si connexum absolutè verum est, est etiam necessario verum; & intelliges hanc necessitatem è necessaria partium connexione oriri, tunc scilicet cum propria & immutabiliter affecta disponuntur; veluti cum antecedens est formalis causa, consequens formale effectum; antecedens proprium subiectum, consequens adiunctum, &c. vt: 1. Corinth. 15. *Si resurrectio mortuorum non est, Christus non resurrexit.*

(Genere negato negatur species)

Necessaria partium connexio potest etiam in falsis esse partibus. Nam connexio vera & necessaria licet sit; partes tamen per se veras falsasve esse, non est inde consequens: vt:

Si homo est leo, quadrupes est.

(Adiunctum enim leonis perpetuum est, quadrupedem esse; at suppositio de homine est falsa)

Itaq; in talibus dispersæ partes possunt esse falsæ; vt hîc: Homo est leo; homo est quadrupes.

Et contradicendo statim hîc diuiditur à vero falsum; vt: *Si homo est, animal est, Non si homo est, animal est*; quorum hoc falsum; illud verum est.

Si verò connexio est contingens, & alterum ex altero interdum sequitur, interdum non; iudicium est tantum opinio; vt:

Non si moriendum mihi sit tecum, te negabo.

Pamphile si id facis, hodie postremum me vides.

In contingentibus his contradictio nó diuidit aperte verum & falsum. Indicatur enim posse vtrumuis esse; vt:

Si auis nigra est, coruus est:
Non si auis nigra est, coruus est.

Ex neutro enim sequitur necessariò. Sed potest vtrique euenire: vt scilicet aliquando auis nigra sit coruus, aliquando non sit. Itaque si illorum generalia & catholica ponantur; vtrumque deprehendetur falsum; veluti:

Omnino si nigra auis est, coruus est:
Nõ si nigra auis est, omnino coruus est.

Quod foret simpliciter:

Omnis nigra auis est coruus:
Nulla nigra auis coruus est.

Ita iudicantur & eiusmodi paria;

Cum Paris Oenone poterit spirare relicta
Ad fontes Xanti versa recurret aqua.

Tantum de axiomate congregatiuo.

Quid est axioma segregatiuum?

Est

Est quod coniunctione segregatiua cõtinetur.

Ideoque argumenta dissentanea enunciat, quæ ipsa etsi coniunctione affirmata disponantur, sensu tamen sunt negata: aut negatorum consectaria.

Quotuplex est?

Duplex: Discretum, & Disiunctum.

Quid est discretum?

Cuius coniunctio est discretiua: quales sunt quas aduersatiuas vulgo vocant; vt: etsi, quanquam, quamuis, licet, &c. quibus respondet tamen; quanquam alterutra ex his interdum dissimuletur. *Item nõ hoc, sed, &c.*

Enunciantur hoc axiomate potissimum diuersa, interdum etiam opposita, sed rarius. Et opposita quidem semper negando; diuersa verò interdum etiam affirmando, quia consentiunt subiecto, & se mutuo sequi possunt.

2. Corinth. 4.

Quamuis externus noster homo corrumpitur; internus tamen renouatur in dies singulos.

(Diuersa sunt ad vnum hominem internus & externus)

Item:

Itaque mors quidem in nobis efficax est, vita verò in vobis.

(Vbi vita & mors sunt oppositа priuantia)

» Cic. de nat. Deor. Etsi actiones Deo-
» rum quæ sint non vident (plebei) nihila-
» gentem tamen Deum non queunt co-
» gitare.

» Idem in 2. offic. Cum autem omnes
» non possint ne multi quidem Iurisperiti
» esse aut diserti: licet tamen opera prodes-
» se multis.

Dissimulatur alterutra notarum in his:

» 1. De natura Deorum: Næuus in ar-
» ticulo pueri delectat Alcæum; at est
» corporis macula næuus. Illi tamen hoc
» lumen videbatur: Pro, Etsi est macu-
» la, &c.

» In 5. Tusc. Hæc quæ sunt minima (no-
» bilitas & gratia popularis) tamen bona di-
» cantur necesse est.

» 1. Offic. Difficilis est cura rerum alie-
» narum; quãquam Terentianus ille Chre-
» mes humani nihil à se alienum putat.

» Ita: Mea quidem sententia paci quæ
» nihil habitura est insidiarum, semper est
» consulendum. In quo si mihi obtempe-
» ratum esset; etsi non optimam, at aliquam
» Rempub. quæ nunc nulla est haberemus.

In quibus exemplis etiam affirmatè e-nunciantur **diuersa, sicut & in hoc**: ex 5. Tusc.

Quan-

Quanquam sensu corporis iudicentur; ad animum referri tamen. Explicari tamen eiusmodi possunt, quod negatorum consectaria pro negatis sint posita. Nam opposita permutantur negatione & affirmatione.

Quæ est negatio & contradictio discreti?

Cum affirmatæ coniunctioni discretiuæ, mox apponitur negatio, aut saltem ad eam dirigitur: fit negatio & contradictio. Apponitur autem modo ad Quanquam & similes, modo ad TAMEN; quæ hîc est præcipua, vt: Non quanquam externus noster homo corrumpitur, internus renouatur tamen. Et: licet sensu corporis iudicentur, non tamen referuntur ad animum.

Quomodo hîc contradicendo discernitur verum à falso?

Necessaria non solent discretè enunciari. Fit enim vtrumque ridiculum. Itaque discretio contradictoria quæ hic fingitur inepta & falsa enunciatione verum illud arguit, quod contradicit, sed alia forma, vt:

Quanquam sum homo, non tamen vtendæ rationis potentia sum instructus.

Et: *Quanquam sum homo, tamen rationis vtendæ vim habeo.*

Etsi leo non est vulpes, quadrupes tamen est.

Non etsi leo non est vulpes, quadrupes tamen est.

Si mutes formam discretam in connexam, facile alterius falsitatem videbis, vt:

Si homo est, rationis vim habet.

Vel in copulatam:

Homo est & vim rationis habet.

In illis autem formulis etiã ideo enunciatio inepta est, quia discretum axioma coniunctam habet prolepsim, quæ designat iudicium contingens ex quo oritur. Indicat insuper affirmatio etsi vnũ sit, non tamẽ prohiberi, quin alterũ sit, aut nõ sit.

Itaque contradictio discreti etiam in contingentibus diuersis obscurè discernit verum à falso propinque: potest enim vtrumque verum vel falsum esse, vt:

Etsi doctus est Cicero, tamen errare potuit.

Etsi Cicero est doctus, non tamen potuit errare.

Docto adiacet posse vel non posse errare: probabilius tamen enunciatur discretum affirmatum. Et ipsa natura argumentorum indicat, quæ quibus sint consentanea aut non, idque siue magis siue minus, quanquam alterum non possit planè falsum dici, vt:

Etsi

Etsi canis latrat, non tamen mordet:
Etsi latrat, tamen etiam mordet.

Vtrumque quidem probabile est; sed rectius pronunciatum prius propter formam discretam euidentiorem.

Ita: *Etsi pater est vir bonus, tamen filius est malus.*

Non etsi pater est vir bonus, tamen filius est malus.

Hîc perinde est. Nam patre bono existente potest filius bonus malusve esse. Et hic falsum discretum iudicatur potius forma falsum quam materia, si contradictorium est ineptius: cum deberet enunciatio in aliam formam mutari, vt:

Pater est vir bonus, nec filius malus.

Attende attributionẽ generalem; quæ facile ostendit, quando vtrumque contradictorium sit verum & quando falsum, veluti:

Etsi Cicero est doctus, vbique tamen errare potuit.

Etsi Cicero est doctus, nullibi tamen errare potuit.

Hæc duo cum sint falsa; subalternæ erunt veræ, vt: alicubi Cicero potuit errare, & alicubi non potuit, quanquam sit doctus, seu non obstante hoc quod doctus sit, vel homo. Euidentius ita enunciatur:

Quan-

Quanquam homo est, tamen in hoc non errat.

Quanquam homo est, tamen errat in hoc.

Quanquam homo est, vndique tamen seu vbique errat.

Quanquam homo est, nullibi tamen errat.

Quorum hæc posteriora de homine, naturæ consuetudine existente, vera non sunt. Illa ergo.

Quando alias verum aut falsum iudicatur discretum?

Cum necessaria discretè enunciantur, ridiculum fit seu ineptum, itaque in forma falsum; & indicatur aliter debuisse enunciari. Vnde dicitur; Discretum enunciatum iudicatur esse verũ & legitimum si partes non solum veræ, sed & discretæ sunt. Falsum vel ridiculum contrà. vt:

Etsi homo est, animal tamen est. Hoc est ridiculum: Necessario enim coniuncta discernit. sic: *Etsi coruus est, tamen crocitat.*

Item: *Etsi homo est, non tamen est animal.* Hoc falsum, quia pars falsa. Ita:

Quanquam vulpes est leo, tamen non est quadrupes. Falsa vtraque pars est.

Notanda sunt Ironica, & alias ambigua, vt:

Etsi oculos habent statuæ, tamen non vident. Vbi oculus est æquiuocus.

Ita

Ita de veritate & falsitate contingente, vt:

Etsi dixit Plato, tamen falsum dixit. Et:

Etsi dixit Plato, non tamen dixit falsum.

Vbi vtrumque potest esse verum: vtrumque falsum.

Discretio est euidentior, vbi plærunq; alterum alteri inest, vel non inest, vt:

Etsi Pharisæus est Nicodemus, tamen amat Christũ: vel: *non tamen odit Christum.*

Nam odisse Christum Pharisæis magis competit quam amare, itaque discretio ibi fit euidentior quidem, sed contingens manet veritas. Nam fortius consentiunt esse Pharisæum & non amare Christum, quam dissentiant. Itaque talium discretionum, cum ipsæ sibi præsupponant alias maiorem probabilitatem, fides non admodum est firma.

Quid est disiunctum?

Est axioma segregatiuum cuius cõiunctio est disiunctiua. Vnde & vulgo propositio disiunctiua nominatur. Disiunctiuæ verò sunt, Aut, vel, siue, seu, &c.

Matth. 12. *Aut arborem bonam facite, aut malam.*

Cic. de fato: *Omnis enunciatio aut vera est, aut falsa.*

Quid significat disiunctio?

Ex propositis partibus vnã esse veram.

Disiun-

Disiungit enim argumenta & indicat ita disiungendo res ipsas, vnam duntaxat esse, vt:

Aut dies est, aut nox, aut crepusculum.

Quomodo hic est negatio & contradictio?

Negatur disiunctio, indicaturque non esse alterutrum vel vnum verum necessario, vt:

Nõ aut dies est, aut nox, aut crepusculum.

Hìc intelligas iudicari aliquid omissum esse, quod possit esse; vel disiunctionem factam illegitimè. Item partes quidem esse posse: Non enim negantur hæ contradicendo disiuncto; at disiunctas esse negari.

Cum enim dicis: *Aut dies est, aut nox est.* Respondetur negatè: *Non aut dies est, aut nox est; sed neutrũ, hoc est, crepusculũ.* Item:

Aut animal est aut homo: Contradico.

Non aut animal est aut homo: sed vtrumq; si scilicet de Socrate loquaris. Item:

Aut cœcus est lapis aut videt: contradico.

Non aut cœcus est, aut videt; Neutrum enim horum competit lapidi.

Et tunc contradictio valet perinde ac si dicas: *Neque cœcus est, neque videt.*

Indicatne contradictio verum & falsum?

Si disiunctio est necessaria; statim indicat;

dicat; sin contingens, obscure, vt:

Leo aut bestia est aut homo. verum.

Leo non aut bestia est aut homo. falsum.

Eiusmodi contradictio non tãtum veritatem & falsitatem materiæ arguit; sed & formam disiunctionis legitimam vel illegitimam, vt:

Aut niger est homo, aut albus.

Non aut niger est homo, aut albus.

Potest enim *Flauus, vel rauus esse.*

Contingenter ita: *Aut fruar amore, aut moriar.*

Non aut fruar amore, aut moriar.

Potest vtrumque disiunctum vel coniunctum vel insufficiens esse.

Quando disiunctio est necessariò vera?

Si absolutè vera est, & partes disiunctæ, idque sine medio, seu nulla omissa, necessariò est vera. Id intelligitur ex argumentis dissentaneis oppositis, in quibus absolutus est dissensus; vt homo bestia, virtus vitium, vita mors, &c. Quod si consentiant natura partes; disiuncti forma falsa est. Et licet ipsæ separatim veræ non sint, tamen disiunctum legitimum est & verum, si tantum sunt disiunctæ, vt:

Aut doctus est Dion, aut indoctus.

Hìc partes absolutè dissentiunt, nec omissum

missum quid est; at si separes non necesse est, Dionem esse doctũ, vt nec indoctum. Necessitas enim disiunctionis pendet è necessaria partium oppositione, non ex earum necessaria veritate.

Quando est contingenter vera?

Cum aliter fieri potest, nempe vt disiunctio earum partium possit esse, vel non esse; hoc est, vtraque esse simul, vel neutra, possit, aut etiam disiunctè possit, vt:

Aut mihi continget felix audacia saluo
Aut mors soliciti finis amoris erit.

Potiri re amata, vel mori, potest alterutrum esse, potest & vtrumque esse simul, vel neutrum. Itaque disiunctio non est absolutè vera, sed opinabilis tantum.

Obseruatur in exemplis etiam catachresis disiunctionis; vt: *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu*: Quod contingenter dictum est, vel pro, Et, copulatiua, posita est disiunctiua.

Fons disiunctionis est diuisionis argumentum. Itaque si integra est diuisio; integra erit & disiunctio. Alia tamen ratio & vis est diuisionis, alia disiunctionis, licet permutentur; & in vno coincidant exemplo.

Fit tamen etiam disiunctio plena ex hypothesi, seu cõditione; veluti cum constat iustitiam per nullum aliud cõtingere, nisi

nisi aut per legem, aut per Euangelium; idque ex voluntatis diuinæ determinatione; inde fit plena disiunctio; Aut per legem iustitia est, aut per Euangelium; Ita si quæratur vtrum Cleon venerit, an Socrates, quia pactum sit alterutrum tantum venturum esse: Aut Cleon venit, aut Socrates.

Adhuc de axiomatico iudicio.

Exemplum analyseos & iudicii axiomatici.

Cic. in 1. Offic. Pertinet ad omnem officii quæstionem semper in promtu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque bestiis antecedat. Illæ enim nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque feruntur toto impetu. Hominis autem mens discendo alitur, & cogitando semper aliquid aut inquirit aut agit, videndique & audiendi delectatione ducitur. Quin etiam si quis est paulo ad voluptates propensior, modò ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re sed nomine) sed si quis est paulo erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam. Ex quo intelligitur corporis voluptatẽ nõ satis dignam esse hominis præstantia, eamq; contemni

& reiici oportere. Sin sit quispiam qui aliquid tribuat voluptati diligẽter ei tenendum esse modum eius fruendæ.

Sententia.

Voluptas corporea aut reiicienda est, aut moderanda diligenter. Argumentũ 1. quia est bestiarum: non hominis: (subiecta sunt, ad voluptatem: inter se vero aduersa) prosyllogismi: quia illæ ad eam ferũtur; hic sapere & scire desiderat (adiuncta vtriusq;: inter se vero diuersa) Itaq; & distat inde à bestiis homo. (Est consectarium adiunctum) 2. Quia boni capti voluptate, eam dissimulant (est à testimonio, aut etiam exemplo) 3. Quia dignior præstantiorque est homo quam vt voluptate teneatur (à maiore)

Analysis.

Primum axioma est: *Semper habere in promtu quantum natura hominis pecudibus reliquisque bestiis antecedat; pertinet ad officii quæstionem omnem.*] Duo disponuntur argumenta principalia; *Habere in promtu, &c.*] est antecedens; *Pertinet ad, &c.*] est consequens. Estque inter ea affectio adiuncti & subiecti. Nam in promtu habere, &c. adiungitur quæstioni officiorum subiectæ. Vtrinque posita verborum multitudo, ad exprimendum argu-

argumentum ſingulare facit. Non enim ſemper vna voce conſtat. Inter ſe tamen ſyncategoremata ſunt, habentque affectiones mutuas. *Habere in promtu.*] eſt pro intelligere; *Habere.*] tamen eſt pro ſubiecto. *In promtu.*] pro adiuncto. *Semper intelligere.*] item affecta ſunt; eſtque illud adiunctum, hoc ſubiectum vi definitionis vtriuſque. *Habere in promtu ſemper quantum, &c.*] Illud eſt adiunctum, hoc ſubiectum occupans. Nam intellectus in eo intelligendo verſatur. *Natura hominis*] Id adiunctum eſt, hoc ſubiectū inhærentiæ. Adiungitur enim homini natura: *Natura hominis antecedit beſtius.*] Iterum illud ſubiect. hoc adiun. eſt. Ineſt tamen & affectio maioris & minoris. *Quantum antecedat.*] afficiuntur ſubiecto & adiuncto. *Quantum.*] eſt adiunctum, &c. *Pecudibus & beſtiis.*] copulantur hæc; Et inter ſe affecta ſunt ſpecie & genere. Sed etſi copulatiua ſit coniunctio; tamen inde axioma non dicitur copulatum, quia in ſyncategorematis ponitur. *Beſtiis reliquis.*] Illud ſubiect. eſt, hoc adiunctum & quidem adhærens.

Secundum axioma: Beſtiæ (illæ) nihil ſentiunt niſi voluptatem, ad eamque feruntur toto impetu. Tria hìc ſunt argumenta inter ſe diſpoſita. Nam ſecundum

seu consequens & prædicatum, est geminatum seu auctum; antecedēs est tantum vnum. Potest resolui in duo simpliciaenunciata. Bestiæ sentiunt tantum voluptatem; *Bestiæ*] adiunctum occupatum; *Sentire voluptatem*] subiectum occupans: vox, tantum, est syncategorema, quo declaratur sensus, tanquã adiuncta circumstantia. *Bestiæ feruntur ad voluptatem*] *Bestiæ*] sub. *feruntur*] adiunct. inhærens. *Feruntur ad voluptatem*] Hoc subiectũ, illud adiunctum potest & finitè explicari: quasi bestiæ sint effectũ destinatum; ferri ad voluptatẽ, causa finalis. Vox, impetu; adiunctiuè declarat verbum ferri; sicut iterum vox, toto, ita explicat impetum.

Tertium axioma: Mens hominis alitur discendo: & aut inquirit aut agit aliquid cogitando, & ducitur videndi audiendique delectatione. Vnicum hic est antecedens argumentum, mens, quæ adiungitur homini. Consequentia sunt tria, & in his medium duplicatum disiunctione. Sunt autem effecta quatuor vnius causæ; quanquam voces, alitur, & ducitur, sermonis forma indicent adiunctam passionem. Vinculum horum est copulatiua coniunctio; & consequentes partes priori componuntur verbi vinculo. Delectatio distribuitur in eam quæ est visus, &

aliam

aliam quæ est auditus. *Inquirere aliquid*] illud adiunct. hoc subiectum est, & quidem occupans indefinitum. Vox, cogitando, formam inquisitionis designat.

Quartum axioma : Si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere; (Sunt enim quidam homines non re sed nomine) sed si quis est paulo erectior, quamuis voluptate capiatur; occultat & dissimulat appetitum voluptatis propter verecũdiam.

Hoc axioma antecedente parte copulatè & discretè est auctum: consequente tantum copulatè : Idque propter interpretationes interiectas: Simplex est: propensior paulo ad voluptatem, dissimulat eius appetitum: Antecedens est causa, consequens effectum, quia hoc vi eius existit. Vox, si quis, vim habet notæ omnis, vel quicunque. Non enim est connexiua hoc in loco. Et quicunque est propensior, Grammatica periphrasi dicitur, pro, omnis propensior; quasi cum dicis: Quicunq; est, vel si quis est homo, pro omnis homo. Verba, modo ne sit ex pecudum genere, restringunt comparatiuum propensior, declarantq;: vox, modo, vim copulatiuæ habet ; alias dicta excluſiua. *Non sit, &c.*] Est argumentum dissent. aduersum, cũ pro bestia ponatur. Et sic con-

iunctio copulatiua etiam copulat dissentanea. Ratio in parenthesi posita, est proleptica, & methodum digressiuncula incîdit.

Habet autem argumentum quo anteuertitur suspicio, quasi aliquis homo possit esse belua, idq; assereret Cicero: respõdet per distinctionem; Homo aut re aut nomine est: illi nomine sunt, non re: Et sic axiomate discreto rem expedit.

Esse hominem re, vel nomine.] Affectionem habet subiecti & modorum adiunctorum sententia hæc: sed si quis paulo est erectior, quamuis voluptate capiatur: à maiore arguit præcedẽtem sententiam. Vult enim non planè pecudem, sed pecude erectiorẽ. *Quamuis capiatur.*] Iterum illlustrat p diuersum. Vnde nascitur axioma discretum. *Capi voluptate.*] Affectionẽ habẽt subiecti & adiuncti, quanquam verba præ se ferant causam & effectum. Hactenus antecedens. *Occultare & dissimulare appetitum.*] Duo effecta copulantur. Appetitus autem & dissimulo, affectionem habent subiecti & adiuncti. Verba: propter verecundiam: causam finalem impulsiuam continent, atque ita illustrãt consequens.

Quintum axioma complexionem & Thema habet duplicatum, disiunctione

ne coniunctis partibus. Prior pars sententiam habet copulatam: voluptas corporis non est digna, & reiici, &c. debet. Verba: *Ex quo intelligitur, &c.*] Sunt formula artificiosæ per syllogismum deductionis & consequentiæ. *Voluptas corporis.*] Affecta sunt subiect. & adiunct. quia corpus subiicitur voluptati: Ita est & hominis præstantia. *Voluptas non est digna.*] Affecta sunt diuerse. Itaque & dissentaneè enunciata. *Digna vero & præstantia hominis.*] Subiect. & adiunct. se arguunt. Deinde cum dicitur: *Voluptas debet reiici, &c.* Subiectum est *voluptas; reiici & contemni*] Adiuncta; Et horum affectio est mutabilis: quia aliquando & corporis voluptas non est contemnenda, vt ita consensus transeat in dissensum. Hæc est prior pars axiomatis. Posterior: Tribuens aliquid voluptati, diligenter tenere debet modum eius fruendæ. Enunciatio, si quis, habet formam connexi seu conditionalis, vt & in precedẽtibus, si quis, &c. Sed simpliciter exponi potest dicto modo. Est autẽ dispositum subiectum cum adiuncto, quia tenere modum, &c. adiungitur tribuendi, &c. Tribuere aliquid, ad voluptatem se habet vt adiunctum ad subiectum. Tenere modũ fruendæ; adiunctum & subiectum occupans. Sed in multis

non est tam scrupulose elaborandum; satisque est si sententia benè reddatur abiectis rhetoricis ornamentis.

Iudicium dictorum axiomatum.

Primum axioma; *Intelligere, &c. pertinet ad, &c.*] Est affirmatum, quia vinculum affirmatur quod ideo fit, quia argumenta disposita consensum habent. Est postea verum, quia pronunciat vt res est, hoc est, secundum naturalem affectionem argumentorum, non tantum affirmando consentanea, sed & obseruando modum subiecti & adiuncti, &c. Est verum necessario: quia argumentorũ affectio non mutatur, sed semper eodem se habet modo. Semper enim de virtute humana disputaturus debet scire discrepantiam hominis & bestiæ.

Est axioma vniuersale. Nam consequens antecedenti attribuitur generaliter; & sic se habent etiam argumenta. Est simplex, quia verbi vinculo cõtinetur. Ideo autem hoc quia argumenta simplicia non componuntur alio vinculo.

Similiter iudicandum & secundum est.

Tertium: *Mens hominis alitur discendo & cogitando, &c.*] Est axioma affirmatum, quia vinculum affirmatur, quod hîc est coniunctio: & quidem omnes etiam partes sunt affirmatæ propter consensum

sensum argumentorum; inclusa verò disiunctio affirmata est, propter argumenta disiuncta consentientia antecedenti scilicet menti humanæ; & quia ipsa disiuncta sunt, & hoc nomine affirmationis; seu positionis consensusque vim habent, quanquam disiunctio indicet simul vtrumq; & eadem ratione non esse.

Verum est, quia enunciat ita vt res est, seu vt argumentorum affectio docet; & quidem peculiariter copulatio vera est, quia partes omnes copulatæ sunt veræ; disiunctio item vera est, quia partes sunt disiunctæ propter dissensum & oppositionem naturalem sine medio, cum mentis hæc duo sint officia, inquirere, aut inquisita tractare, &c. hoc est, discere & cogitare: seu accipere & considerare; quorum illud dicitur esse intellectus patientis, hoc agentis.

Est verum necessario. Perpetuo enim se ita habet affectio: & nominatim copulatio est necessaria, quia hæc quæ copulãtur propria sunt mentis inter se cohærentia. Nam anima duobus disciplinæ sensibus, visu & auditu præcellẽtioribus; (aliâs & reliquis) apprehendit obiecta externa; ita vt sine illis nihil externorum intelligeret: Hoc autem est discendo ali. Discimus enim partim sensu cognoscendo. Deinde

sequitur intellectus, qui phantasmata à sensibus indagat, indagata iudicat. Necessario itaque copulata sunt, in homine quo ad scientiam; sentire, discere, indagare, cogitare, iudicare (discere & indagare sunt mediæ functiones attinentes sensum & intellectum.) Est & disiunctio interposita necessariæ veritatis, quia perfectè & absolutè disiunguntur mentis inquisitio & actio, ita vt nullum possit dari tertium, vt ostendit duplex functio intellectus, patiens scilicet & agés, omnibus philosophis accepta.

Hinc intellige quantæ sit circumspectionis & experientiæ benè iudicare; & quam non sit res friuola aut otiosa illa accurata analysis, & iudicij logici explicatio.

Ita iudicatum est axioma simplex & copulatum, & disiunctum.

Connexum in eadem oratione sit tale:
» Si quis est erectior bestiâ, occultat ap-
» petitum voluptatis. (formam connexi habet similem; verum connexum non est)
» Formari aptius ita potest: Si erectior
» es bestia; occultas appetitum. Dico esse axioma affirmatum, quia vinculum, coniunctio scilicet, si, affirmatur, quæ affirmatur ideo, quia consequens antecedenti consentit, & aliquam consequen-

di ra-

di rationem habet. Est verum, quia enunciat vt res est; & sigillatim, quia in connexo posito antecedente, consequens est. Sed est verum saltem contingenter, quia occultare appetitum, ex antecedente, erectiorem esse bestiâ, ita sequitur, vt possit esse aliter. Non enim est necessaria vel immutabilis & perpetua connexio. Itaque & particulare saltem iudicabitur, cuius contradictorium propinquum, alterum nempe particulare, item potest esse verum: contradictorium verò generale, falsum. Particulare verò ideo est, quia generale consequens particulari antecedenti tribuitur: Non enim omnino quicunque si erectior bestia est, dissimulat voluptatis appetitum: & fit in multis, & aliquando contrà.

Porrò compositum est, quia vinculo coniunctionis continetur; Et connexum, quia coniunctio est connexiua.

Esto ex eadem oratione & exemplum discreti hoc: Quanquam excelsior bestia capitur voluptate; (tamen) appetitum eius occultat. Coniunctio tamen dissimulatur in textu. Est axioma compositum, quia cõtinetur vinculo cõiunctionis: Ideo autẽ hoc fit, quia argumẽta in consequẽte parte sunt aucta, seu cõposita. Est discretũ;

quia

quia coniunctio est discretiua; quãquam, tamen: Est affirmatum, quia coniunctio affirmatur, quod ideo fit, quia consentit discretio, seu, vtraque pars ita est discreta.

Est verum, quia enunciat argumenta vt sunt, id est, verè discreta discretè; nec est ridiculum. Sunt enim voluptate capi, & dissimulare appetitũ inter se diuersa, quæ vni possunt inesse. Cum autem non semper sic sint affecta, & interdum captus voluptate dissimulet appetitum; interdum non dissimulet: euenit saltem contingens veritas; qualis est in omni discreto, quanquam aliâs argumenta consentiant necessario. Nam vis discretionis indicat aliter esse posse vel iudicari.

Habet & symbolum particularis. Nam experientia testatur in aliquibus superioribus bestiâ id esse, in aliquibus non esse. Itaque & oppositum particulare potest esse verum; & sic generalia contradictoria vtraque falsa.

Sententia hæc: Quidam sunt homines nomine, sed non re: Item formam habet discreti. Sed fiat ex illa axioma distributum: Quidam hominum sunt re homines; quidam nomine. Hoc possumus enunciare (nam nondum donatũ est certa forma) discretè; vt: Quidam vero nomine: vel copulatè; vt: Et quidam, &c. Possumus

sumus etiam disiunctè; vt: Homines aut re sunt homines, aut nomine. Iudicium verò indicat esse diuisionem ex diuersis, atque ita qualemcunque distinctionem, eamque insufficientem. Nam & vtrumque invnum cadit. Si veritatem spectes; ita simpliciter verum non est. Tropus verò adhibitus est ex metaphora, & argumento similium. Nam nomine hominem duntaxat esse; planè arguit natura hominem non esse, & sic ex aliqua similitudine hominem dici, quasi simiam, aut pictum aut fictum fusúmve hominem indicares. Iam etiam cadit affirmatio; vt: in disiuncto, dicendum est quod falsum sit, quia falsa disiunctio; & proinde non affirmatè enunciandum fuisse, sed negatè: Non aut re homines sunt aut nomine.

Sed hæc hactenus.

DE SYLLOGISMO.

Quid est iudicium Dianoëticum?

Est cum aliud axioma ex alio deducitur. Itaque vis quædam mentis iudicantis est, quæ ex aptè dispositis axiomatis prioribus colligit, ducit, & iudicat posteriora.

Quotuplex est?

Duplex: Syllogismus & methodus; pro-

prout forma finisq; istius deductionis est duplex.

Quid est Syllogismus?

Est dispositio, qua quæstio cum argumento ita disponitur, vt posito antecedente necessario concludatur consequens.

Quæstio.

Quæstio enim vocatur enunciatio dubia, de qua quæritur verane an falsa sit; & cũ affirmatur negatúrve esse, plæriſq; vocatur problema, thema, &c. Et possunt etiã aliàs necessaria fieri quæstiones propter circumstantias, non tantum contingentia. Ad firmandam verò eam, siue docendum veráne an falsa sit; ascisciturex topicis argumentum, quod tunc vocatur argumentum tertium, seu medius terminus. Tertium argumentum ideo quia cum in quæstione sint duo principaliter, illud est numero tertium. Medium verò, quia Geometriæ vel Arithmeticæ more, est id ad quod tanquam intercedens conferuntur duo extrema; seu ad id rationéve eius spectatur vtrum maius extremum seu consequens quæstionis insit minori, seu antecedenti. Et debet illud medium semper illustrius quæstione esse, & probabilius. Semper item cum alterutra parte aut tota quæstione consentire: Nunquam verò in totum

Problema. Thema.

Tertium argumentum. Medius terminus.

tum dissentire. Hoc enim medium esse nō potest: cum affectum ad vtrumque esse necesse sit.

Quæ sunt partes syllogismi?

Primum quidem alia est materia syllogismi, alia forma. Materia nominantur remotiùs quidem quæstio & argumentum tertiū, seu omnino tres termini, (non plures nec pauciores) duo in quæstione, & vnus assumtus ex topicis (prosyllogismi & augmenta axiomatum compositorum alia ratione assunt) Propinquiùs verò, axiomata seu propositiones per se consideratæ. Forma est illa ipsa dispositio syllogistica, ex qua existit in axiomatibus consequentia, & inconsequentia. Nam hæc per se iudicantur syllogismo; veritas & falsitas, &c. consequenter, seu ex accidente, quia ex vero verum, &c.

Duplex iudicium in syllogismo.

Ex his apparet duplex concurrere in syllogismo iudicium, axiomaticum scilicet, quo inquiritur in veritatem & falsitatem: & syllogisticum, quo propriè ex forma in materia spectatur consecutio & asyllogistia.

Alia partitio syllogismi.

Præter distinctionem illam est alia in membra. Hac syllogismus diuiditur in partem antecedentem, quæ & præmissæ, & consequentem.

Quid

Quid est pars syllogismi antecedens?

Est quæ antecedit conclusionẽ, & causa est concludendi necessario.

Quomodo diuiditur?

Duas habet partes; Propositionem & Assumtionem.

Quid est Propositio?

Est prior pars antecedentis in syllogismo, in qua quęstionis saltem consequens (maior terminus) cum argumento disponitur. Vocatur aliâs propositio maior, quia continet maiorẽ terminum seu prædicatum quæstionis. Ciceroni verò simpliciter propositio, quanquam vox hæc etiam in comparationibus plenis vsurpetur, & aliâs in genere axioma designet, & Thesin de qua dicendum.

Quid est assumtio?

Est secunda pars antecedentis in syllogismo, quæ assumitur è propositione.

A minore extremo seu subiecto quæstionis in syllogismo simplici nominatur Propositio minor: quæ tamen nomẽ hoc in compositis non seruat. Cicero appellat assumtionem: Boëthus assumtum.

Quid est syllogismi consequens?

Est secunda pars syllogismi, quæ complectitur partes quæstionis, eamque concludit. Vnde & complexio, & conclusio vocatur.

Con-

Concludendi ratio dicitur etiam illatio. Et particulæ eam ostendentes, illatiuæ, aut ratiocinatiuæ, quales sunt; Ergo, igitur, itaque, &c. Et conclusio ex syllogistica forma necessariò existit. Consequitur enim ex præmissis rectè informatis ita vt aliter esse non possit. Quod si nulla necessitas apparet, asyllogistia & inconsequentia est.

Quæ artè tertium argumentum cum quæstione disponẽdum.

Porro cum tertium argumentum cum quæstione disponendum est, attendenda est ratio faciendorum axiomatum iuxta topicas affectiones. Non enim sola ordinis & posituræ obseruatio syllogismum facit, sed vnà considerata affectio legitima. Quod cum respicitur, fieri non potest, quin syllogismus sit simul forma & materia bonus aut malus.

Solutio paralogismorum.

Plærunque fallunt sophistæ aliqua apparentia, & ambiguitate affectionis argumentorum. Hæc excutienda est rectè iudicaturo syllogismum. Hinc pendent responsiones ad sophismata quæ vel materia peccant, vel forma, vel vtraque. In materia peccatur cum argumentum tertium vel nullo modo affectum est ad arguendam quæstionem ita positam; vel falsa affectione & contorta arguit, vel ambiguitate laborat. In forma peccatur cum

non obseruantur leges præceptaque informandi syllogismi. Itaque tunc negatur consequentia.

Est & hoc attendendum, quod, cum conclusio ita sit, vt est antecedens ex quo necessario sequitur in bona forma; si est falsa, aut improbanda, vitium quærendum sit in præmissis, seu antecedente. Temerè enim negatur consequens, concesso antecedente si formâ non peccatum est: licet nec tunc negetur consequens, sed consequi, & consequentia.

Syllogismus inseruit veritati.

Cum etiam syllogismus non sui gratia sit inuentus, sed vt axiomati dubio fides per eum fiat; hæc erit tertia ratio veri & falsi indicandi, quod ante factum est propriis veri & falsi præceptis; deinde contradictione.

Quando autem ex falso sequitur verum; vt in hoc:

Ex falso verum.

Omnis lapis est animal:
Omnis homo est lapis:
Ergo omnis homo est animal.

Vel ex veris falsum; vt:

Ex vero falsum.

Si lapis esset animal, corporeus esset:
Sed non est animal:
Non ergo corporeus: Alia ratione id euenit, & non propter ea quæ sunt posita. In primo enim elenchus ignoratus est. Accidit enim conclusionem veram esse

esse aliunde, & non propterea quod arguatur quæstio à lapide, cui vis arguendi hìc est nulla. Est autem dispositio sophistica, non nata ex natura rerum.

In altero iterum argumentum falsò sumtum est. Potest enim lapis corporeus esse, etiamsi non sit animal. Corporeum enim inest & lapidi & animali.

Quæstionis partes non sunt nuda argumenta.

In quæstione notandum est, quod eius membra, antecedens scilicet & consequens, quibus vinculi natura inserta est, disponantur cum medio termino, non autem planè nuda argumenta: Et hoc ideo quia nuda argumenta iam suæ sunt planè naturæ & variè possunt affici. At membra vnicam habent affectionem inter se, quam custodit vinculum. Ita ergo disponendum est vtrumque cum medio, vt eius natura seruetur, & concludatur idē quod ante quærebatur.

Quænam syllogismo accidunt mutationes?

Tres potissimum, quas crypses solent nominare. Aut enim committitur in eo ellipsis, aut pleonasmus, aut metathesis: Interdum plura concurrunt.

Quid ellipsis syllogismi?

Est cum aliquid in eius antecedente

deficit. Deficit autem vel propositio, vel assumtio; vocaturq; Enthymema. Conclusio non deest, nisi propter tautologian in varietate & cumulo syllogismorum intelligenda committitur.

Quid est Enthymema?

Quidam Enthymemata etia sine defectu esse volunt, breuem insinuationem syllogisticam.

Est syllogismus imperfectus, constans conclusione & aliqua præmissarum.

Aristoteli propriè designat syllogismũ mancum constitutum ex indubiis argumentis & signis, in quibus temerè propositio allegatur. Itaque is & ab vsu forensi, rhetoricum vocat, & omnes syllogismos compositos Enthymemate concludit; veluti: *Nox est: Ergo non dies.* Frustra enim additur propositio; *Aut nox est, aut dies est.*

Sed cum propositio in grauioribus rebus magnam habeat lucẽ, posteriores Enthymemata talia complerunt: & in vsu ité compositi inueniuntur integri.

Quid est pleonasmus syllogismi?

Est cum aliquid in syllogismi antecedente abundat, quod quidem consequẽtiæ vnâ adhibetur, nec ptinet ad axiomata sigillatim tanquam syncategorema. Eiusmodi, seu argumenta seu axiomata, vocãtur prosyllogismi; vel approbationes apud Ciceronem. Potest & integer syllogismus ancillari. Nec semper cõprobandi causa

causa, sed & illustrandi explicandiq; gratia accommodantur prosyllogismi.

Quid est metathesis syllogismi?

Est crypsis ordinis partium syllogismi. Nam interdum præmittitur conclusio; sequitur assumtio, & propositio. Interdum assumtio priorem sortitur locum. Inde propositio, & tandem conclusio sequitur.

Quando concurrunt plures affectiones?

Cum loco propositionis ponitur eius prosyllogismus, & sic etiam loco assumtionis: Item loco conclusionis eius consequens: Crypsis defectus & excessus simul est: sed & ordo immutatur vel tunc, vel etiam in enthymemate.

Cumulo eiusmodi crypsium contrahi syllogismus potest in axioma connexum; vt:

Equus est animal:
Bucephalus est equus:
Bucephalus ergo animal.

Hìc contrahitur: *Si Bucephalus equus est, animal est*, vel: *cum sit equus:* consequens est *animal esse.*

Alij: Quia bucephalus equus est, animal est.

Alio modo prosyllogismi cum syllogismis commisti, gignunt Dilemmata, & Soritas.

Quid est Dilemma?

Est quando duplici argumento (vel etiam multiplici) assumto attexuntur comprobationes & concluditur quodammodo (vel simpliciter vel multipliciter) vt:
„ Siue viceris in iudicio, ex pacto debe-
„ bis, siue victus fueris, ex sententia iudi-
cis. Ex oppositis distributis & compro-
„ batis exoritur. Cicero ita: Mors aut
„ planè negligenda est, si omnino extin-
„ guit animum, aut etiam optanda, si ali-
„ quo deducit, vbi futurus sis æternus.
„ Quid igitur timeam, si aut non miser
„ post mortem, aut etiam beatus futurus
„ sum?

Explicatur ita: *Quod aut planè negligendum est aut optandum, id non est timendum:*

Mors aut negligenda planè est, aut optanda:

Mors ergo non timenda.

Assumtum probatur prima parte, quia extinguit animum, & sic nulla erit miseria à morte; secunda parte, quia deducit eò vbi futurus sis æternus, atque ex consequente beatus. Sed variant formæ. Actor. 19. Est quadrilemma, &c.

Quid est Sorites?

Est quando prosyllogismi cum syllogisme

gismo ita contexuntur vt gradatione quadam cohæreant, addita tandem conclusione quæ ex prima parte primi axiomatis, & secunda vltimi constat.

Exemplum est in 3. offic. Si hoc natura « præscribit, vt homo homini, quicunque « sit, ob eam ipsam causam quod is homo « sit, consultum velit, necesse est secundum « eandem naturam omnium vtilitatem esse « communem. Quod si ita est (si omnium « vtilitas est communis) vnà continemur o- « mnes & eadem lege naturæ. Idq; ipsum si ita est (si omnes eadem continemur lege naturæ) certè violare alterum lege naturę prohibemur. Verum autem primum: Verum ergo & postremum, &c.

Homo homi nem debet iuuare:

Qui se iuuãt mutuo, eorũ vtilitas est cõmunis:

Quorũ vtilitas est cõmunis, ij vna continẽtur lege naturæ:

Qui vna continentur lege naturæ, violare se mutuo non debent:

Homo ergo hominẽ violare non debet.

Hæc Cicero. Concludit logotropo connexi; sed sorites apertus est ita:

Si hominis est hominem iuuare, omnium vtilitas est communis:

Si omnium vtilitas communis, vnâ continemur omnes lege naturæ:

Si continemur vna lege naturæ, alter alterum violare non debet:

Homo ergo hominem violare non debet.

In his attendenda maximè est consequentia. Et si aliquid dubij oritur, retexenda, complenda, & ordine collocanda sunt omnia, vt syllogismus euadat planus.

Est autem hîc syllogismus talis:

Qui continentur eadem lege naturæ, ij se mutuo violare non debent:

Homines omnes continentur eadem lege naturæ:

Nullus ergo homo hominem debet violare.

Assumtum probatur; quia omnium vtilitas est communis: Et hoc roboratur denuo; quia hominis est hominem perse iuuare.

An non & Inductio, & Exemplum, & Definitio, &c. sunt syllogismi?

Non sunt formæ peculiares. Sed Aristoteles ita nomen imposuit syllogismis à nomine prosyllogismi. Quando enim ꝓpositionis prosyllogismus est Inductio; vocatur Inductio: Quando exemplum, Exemplum. Ita de Definitione, &c.

Quid faciendum si contentio oriatur in crypticis syllogismi?

Implicationes sunt explicãdę, & quodque suo loco vbi iudicetur ponendum; pleonasmi abiiciendi; ellipses instaurandæ; peruersiones dirigendæ.

Quomodo distinguitur syllogismus?

Dupliciter: affectione, & essentia. Et illa distinctio ab adiunctis quibusdam est. In hac species recensentur.

Quotu-

Quotuplex est syllogismus affectione?

Multipliciter potest distingui, velut ex precedentibus; quod alius sit planus, alius affectus, seu crypticus: sicut vulgo dicunt alium esse perfectũ, alium imperfectum. Intelligentes vel de integris & deficientibus, vel de ratione absoluta; vnde prima figura perfecta; reliquæ imperfectæ, &c. Alio modo, alius est affirmatus, alius negatus: quæ distinctio oritur ex axiomatis negatione & affirmatione.

Quid est affirmatus?

Est in quo saltem propositio & conclusio est affirmata. Hic affirmatiuus dicitur vulgo.

Quid est negatus?

In quo conclusio negata est cum altera antecedẽtis negata. Hic negatiuus nominatur. estq; regula: *Ex puris negatiuis nihil sequitur*: Item in omni syllogismo necesse est aliquam affirmatiuam esse.

Alia diuisio.

Syllogismus ẽt vel generalis est, vel specialis, vel ꝑprius. Et hæc distributio, sicut & axiomatum affectio illa, in simplici est euidentior; oriturq; ex distinctione axiomatis in vniuersale, particulare, & ꝑpriũ.

Quid est generalis?

Est cuius propositio & assumtio sunt generales. Nominatur & vniuersalis.

Quid ſpecialis?

Eſt in quo alterutra tantum eſt generalis. Hic particularis ſola dici: Eſtque regula: *Ex puris particularibus nihil ſequitur.*

Item: *In omni ſyllogiſmo neceſſe eſt vnam ſaltem vniuerſalem eſſe.*

Facit autē permutatio & reciprocatio argumentorum, vt etiam puræ negatæ, & puræ particulares in exemplis habeantur. Sed ſi de his lis inciderit permutanda ſunt argumenta.

Quid eſt proprius?

Eſt cuius vtrunq; antecedentis membrum eſt axioma proprium. His ſolet etiam expoſitorius dici: & pro natura attributionis in eo, poteſt ad generalem vel particularem referri.

Cæterum vniuerſale, particulare, affirmatum, negatum literis ſolet indicari:

A *Eſt vniuerſ. affirm.*
E *Eſt vniuerſ. negat.*
I *Eſt particul. affirm.*
O *Eſt particul. negat.*

(Apud philoſophum ſunt etiam aliæ diſtinctiones ſyllogiſmorum; vt ſyllogiſmus demonſtratiuus ſeu demonſtratio; ſyllogiſmus ducens ad impoſſibile, hypotheticus, diuiſionis, Dialecticus, rhetoricus, ſophiſticus, &c.)

Quot

Quot sunt genera syllogismorum?

Duo: Simplex, & compositum.

Quid est syllogismus simplex?

Est in quo pars quæstionis cõsequens, seu maior terminus, cum tertio argumento in propositione ponitur, pars antecedens seu minor terminus cum eodem in assumto.

Itaque hîc quæstio est in partes duas diuidenda & vtraque sigillatim cum medio disponenda. Hinc agnoscitur enthymema ex syllogismo simplici. Cum enim in antecedente enthymematis, quæstionis conclusæ minor aut maior terminus tantum est; Enthymema est syllogismi simplicis, deestque propositio, si maior terminus non apparet; assumtio deficit, si minor in antecedente non est.

Et in simplici syllogismo possunt omnia axiomata vel simplicia esse, vel composita, vel etiam mista. Itaque dicitur simplex ob medium simplex, simpliciter & sigillatim cum partibus quæstionis dispositum.

Simplex syllogismus vulgo dicitur categoricus.

Quotuplex est syllogismus simplex?

Duplex omnino, pro loco medii termini

ni in antecedente. Nam aut antecedit sequiturque simul in antecedente syllogismi, aut sequitur & antecedit tantum. Cũ simul sequitur & antecedit in premissis; aut in propositione antecedit, in assumtione sequitur, aut fit contra: sed hic modus in vsu repudiatur, nec inuenitur nisi in reciprocis, & sorite. Itaque relinquitur prior forma; quæ dicitur figura prima. Cum sequitur tantum; fit secunda figura; cum tantum antecedit, fit tertia.

Duæ priores figuræ vocantur etiam explicatæ, quia earum modi omnes integri in vsu inueniuntur. In vtraque etiam propositiones sunt vniuersales; adeo vt etiam proprii propositio ad vniuersalem sit accommodanda in iisdem.

Quid est prima figura?

Est figura syllogismi simplicis, in qua medium antecedit in propositione, & sequitur in assumtione. In hac assumtio nunquam est negata, nisi vbi permutatio contrariorum consequentium facta est, &c.

Omnium euidentissimæ firmissimæque in eadem contexuntur consequentiæ. Itaque & inueniendis scientiis accommodata est, & aliæ figuræ ad hanc reductæ.

Quot

Quot sunt modi primæ?

Quatuor omnino: Duo affirmati, alter vniuersalis, alter particularis; & duo negati. Item vnus vniuersalis, alter particularis. Ad hos accommodãtur proprii totidem.

Modi designantur hoc versu:

Barbara, Celarent, primæ Darii, Ferioq́ue.

Affirmatus vniuersalis.

Bar *Omne iustum est vtile.*
ba *Omne honestum est iustum.*
ra *Omne igitur honestum est vtile.*

Quod Cicer. in 1. Offic. ita enunciauit.

Summa quidem autoritate philosophi, « seuerè sanè atque honestè hæc tria genera « confusa; cogitatione distinguunt. Quic- « quid iustum sit, id etiam vtile censent: « Itemque quod honestum; idem iustum. « Ex quo efficitur, vt quicquid honestum « sit, idem sit vtile «

Et talis syllogismus Aristoteli vocatur Demonstratiuus & scientificus, in quo omnes partes sunt catholicæ, καθ' αὑτὸ καὶ κατὰ παντὸς veræ. Et est ipsi propriissima demonstratio, quando in quæstione est proprium subiectum, & propria passio, siue sit proxima, siue ex genere proprio per analogian attributa (quod tamen cum fit, minus propria est demonstratio) quæ illi inesse demonstratur per principium vniuersale quod causam essentialem, materiam

Demonstratio.

teriam ſcilicet aut formam, aut vtramque ſymbolicè comprehendit, vt ſit in genere, ſpecie, definitione, integro, membris, &c. Et cum artium præcepta ex his ſunt; Sunt item demonſtratiuæ ſcientiæ principia. Item locum formalis cauſæ ſuſtinent aliæ formæ propriæ. Nota demonſtratiui principii eſt, cum explicat cauſam διά τι ſeu διότι, vnde emergit concluſio, ὅτι implicato τῷ διότι.

Negatus vniuerſalis.

Ce *Nullus timidus eſt liber.*
la *Omnis auarus eſt timidus.*
rent *Nullus ergo auarus eſt liber.*

Hæc Horatius ita:

Quæſtio & concluſio. *Quo melior ſeruo, quo liberior ſit auarus*
In triuiis fixum cum ſe demittat ob aſſem

Aſſumtio. *Non video. Nam qui cupiet, metuet quoque porro.*

Propoſitio. *Qui metuens viuit, liber mihi non erit vnquam.*

Affirmatus particularis.

Da *Cõſules virtute facti ſtudioſe remp. tueri debent.*
ri *Cicero eſt conſul virtute factus.*
i *Cicero ergo ſtudioſe rep. tueri debet.*

Propoſitio. Hoc Cicero in 2. Agraria. Nam cum omnium conſulum grauis in repub. cuſtodienda cura & diligentia debet eſſe, tum eorum maximè qui non in cunabulis, ſed in

in campo facti sunt consules. Nulli populo Romano pro me maiores nostri sponderunt. Mihi creditum est: à me petere quod debeo, me ipsum compellare debetis. Quemadmodũ cum petebam nulli me auctores generis mei vobis cõmendarunt: sic si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.

Assumtio, posito tamẽ pro eo prosyllogismo.

Quare modo vt vita suppetat (quanquã ego is sum qui eam possim ab istorum scelere insidiisque defendere) policeor hæc vobis Quirites, bona fide Rempub. vigilanti homini, non timido, diligenti non ignauo commisistis.

Hoc genere syllogis. vtitur & Saluator Matth. 12.

Regnum dissidiis intestinis quassatum desolatur. (tur.

Sathanæ regnũ dissidiis intestinis quassa-

(Ex hypothesi aduersariorum)

Sathanæ ergo regnum desolatur.

(Quod absurdum & experientiæ aduersum.)

Negatus particularis.

Fe *Nulla domus quæ dissidet cõstãs est.*

ri *Sathanæ domus dissidet.*

(Ex hypothesi aduersariorũ Christi)

o *Sathanæ ergo domus non est constãs.*

Hoc ibidem Saluator.

Ouidius vero in hunc modum:

Fallere

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria: simplicitas digna fauore fuit.

(Propositio est cum prosyllogismo: Deceptor amantis puellę non est laudandus, quia illa simplex.)

Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis.

(Est assumtio: Demophoon decepit amantem puellam, nempe phyllin)

Dii faciant laudis summa sit illa tuæ.

(Conclusio. Demophoon ergo nõ laudandus.)

PROPRII.

Possunt accommodari singulis modis: vt ad Barbara congruit hic reciprocus:

Messias est sacerdos æternus.
Christus est Messias.
Christus ergo est sacerdos æternus.

Ad Celarent hic:

Cicero non est Antonius.
Marcus Tullius Orator est Cicero.
Marcus Tullius ergo non est Antonius.

Ad Darii idem hic:

Iohannes est vox clamantis in deserto.
Quidam Elias est Iohannes.
Quidam Elias ergo est vox clamantis in deserto.

Ad Ferio perinde vt in hoc: Ioh. 7.

Bethlehem non est in Galilæa.
Christus veniet è Bethlehem.

Chri-

Christus ergo non veniet è Galilæa.

Quid est secunda figura syllogismorum?

Est syllogismus in quo medius terminus sequitur in propositione & assumtione. Et in hoc conclusio semper est negata; quanquam permutationis consequentium dexteritas eo modo disponat etiam affirmatè. Est & semper altera præmissarum negata: vnde apparet medium semper ab altera parte quæstionis dissentire, cum altera vero consentire.

Hinc fiunt modi quatuor; duo generales, & duo speciales, propter permutationẽ affirmationis & negationis in præmissis. Illis congruunt & proprii.

Modi indicantur hoc versiculo:

Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, secũdæ.

Vniuersalis prius in quo propositio negata est, assumtio affirmata.

Ce *Turbatus non benè vtitur ratione.*
sa *Sapiens benè vtitur ratione.*
re *Sapiens ergo non est turbatus.*

Cic. in 3. Tuscul. Quemadmodum oculus cõturbatus, non est probè affectus ad suũ munus obeundum, & reliquæ partes totumq́; corpus à statu cũ est motum, deest officio suo ac muneri: sic conturbatus animus nõ est probè affectus ad exequendum munus. Et sapientis animus ita sem-

Prosyll. propos. à simili.

Propositio.

Assumtio.

Concluſio. per affectus eſt, vt ratione optimè vtatur.
» Nunquam igitur eſt perturbatus.

Ita proprius.

Chriſtus non eſt vox clamantis.
Iohannes eſt vox clamantis.
Iohannes ergo non eſt Chriſtus.

Vniuerſalis ſecundus propoſitionis affirmatæ & aſſumtionis negatæ.

Cæ *Quæ intereunt, ſunt compoſita.*
me *Animus non eſt compoſitus.*
ſtres *Animus igitur non interit.*

Aſſumtio. Hæc Cicero ita in 1. Tuſc. In animi au-
» tem cognitione dubitare non poſſumus,
» (niſi forte in phyſicis plumbei ſimus) quin
» nihil ſit animis admiſtum, nihil concre-
» tum, nihil copulatum, nihil coagmenta-
Concluſio. tum, nihil duplex: Quod cum ita ſit certè
» nec ſecerni, nec diuidi, nec diſcerpi, nec
Propoſitio. diſtrahi poteſt. Nec interire igitur. Eſte-
» nim interitus quaſi diſceſſus & ſecretio,
» ac diremtus earum partium, quæ ante in-
» teritum iunctione aliqua tenebantur.

Hæc ille.

Ita proprius.

Verbum eſt lux vera quæ venit in mundum.
Iohannes non fuit lux illa vera, &c.
Iohannes ergo non fuit verbum.

Particularis primus propoſitionis negatæ.

Fe *Li-*

Fe *Liuidus non est magnanimus.*
sti *Maximus est magnanimus.*
no *Maximus ergo non est liuidus.*

Hoc Ouidius ita:

Liuor iners vitium mores nõ exit in altos, — *Propositio.*
Vtq; latens imâ vipera serpit humo — *Prosyl. à sim.*
Mẽs tua sublimis supra gen⁹ eminet ipsũ,
Grandius ingenio nec tibi nomen inest. — *Assumtio.*
Ergo alii noceant miseris, optentq; timeri — *Conclusio illustrata dissim.*
Tinctaq; mordaci spicula felle gerant:
At tua supplicib. dom⁹ est assueta iuuãdis,
In quorum numero me precor esse sinas.

Hoc genere vtitur etiam Saluator.

Nullus spiritus habet carnem & ossa.
Ego habeo carnem & ossa.
Ego ergo non sum spiritus.

Proprius in hoc modo talis est: Ioh. 7.

Messias non scietur vnde sit.
Hunc nouimus vnde sit.
Hic ergo non est Messias.

Particularis secundus propositionis affirmatæ.

Ba *Saltator est voluptuosus.*
ro *Murena non est voluptuosus.*
co *Murena ergo non est saltator.*

Cicero hoc ita: Nemo ferè saltat sobrius nisi fortè insanit, neque in solitudine, neque in conuiuio moderato, atque honesto. Intempestiui conuiuii, Am œni loci, multarum deliciarum comes est extrema — *Prosyll. à contrario.* *Propositio.*

Assumtio. trema saltatio. Tu mihi arripis id quod
» necesse est omnium vitiorum esse postre-
» mum: Relinquis illa quibus remotis hoc
» vitium omnino esse non potest. Nullum
» turpe conuiuium, non amor, non ce-
» messatio, non libido, non sumtus ostendi-
» tur, quæ voluptatis nomen habent, quæ-
Conclusio. que vitiosa sunt. In quo ipsam luxuriam
» reperire non potes: in ea re vmbram lu-
xuriæ reperturum putas?

Vtitur & hoc modo Saluator cum disputat:

Qui verba Dei audit, est ex Deo.
Iudæi non sunt ex Deo.
Iudæi ergo non audiunt verba Dei.

Proprius fingi sic potest.

I. Cæsar vicit Pompeium in Pharsaliis.
Augustus non vicit Pompeium in pharsaliis.
Augustus ergo non est Iulius Cæsar.

Quid est figura tertia?

Est syllogismus simplex, in quo medius terminus in vtraque parte antecedentis præcedit.

Assumtio hic semper affirmatur, & conclusio semper est particularis, quia medius terminus quæstioni particulari pro exemplo adhibetur, vnde dispositione facta emergit particularis conclusio.

Habet & hoc peculiare, quod propo-
sitio

sitio aliquando sit particularis, quod inde fit, quia exemplum maiori termino non semper totum ineſt, ſed interdum tantum ex parte, vt: Quidam honeſtus diues eſt; « vt aliquis ſapiens (non enim omnes ſunt « diuites.)

Interdum illa diſpoſitione concluditur etiam generaliter, ſed per affectionem & dexteritatem axiomatum cõuertilium catholicè. Ex eodem fonte fit etiam negata aſſumtio.

Hæc figura vocatur contracta, quia eius exempla plæraque contractè & exemplariter tractata in vſu inueniuntur (quanquã & alii ſyllogiſmi contrahãtur.)

Vi diſpoſitionis autem talis & habita ratione quantitatis & qualitatis axiomatum, emergunt ſex modi in hac figura, qui verſiculis indicantur.

Tertia grande ſonans edit Darapti, Felapton,
Adiungens Diſamis, Datiſi, Bocardo, Ferison.

His adduntur Proprii.

Affirmatus generalis.

Da *Medicinam multa fallunt:*
ra *Medicina eſt ars.*
pti *Quaſdam ergo artes multa fallunt.*

Hoc apud Ciceronem in 1. de Diuin. paucis ita diſſerit: At nonnunquã (inquit) «

» quæ prædicta sunt, minus eueniunt. Quæ
» enim id ars nō habet? Earum dico artium
» quæ coniectura continentur, & sunt opi-
» nabiles (Hæc est conclusio, quæ licet ge-
» neralius primo enuncietur, mox tamen
» restringitur ad particularem) An medici-
» na ars non putanda est? (Hęc est assumtio)
» Quam tamen multa fallunt. (Hæc est pro-
positio)

Ita in vsu quotidiano sunt:

Odoratus est homini imbecillior aliquibus bestiis.

Odoratus est sensus.

Quidam ergo sensus homini est imbecillior bestiis. Item:

Omnis stultus insanit.

Omnis stultus est seruus.

Quidam ergo serui insaniunt.

Negatus generalis.

Fe *De testimoniis nō præcipitur in arte eloquentiæ.*

la *Testimoniū est necessariū Oratori.*

pton *Quædā ergo necessaria Oratori nō habēt præceptain arte eloquētiæ.*

Hoc Cicero in 2. de Oratore ita: Nolo
» omnia quæ cadunt aliquando in oratore,
» quamuis exigua sint, ea sic tractare, quasi
» nihil possit dici sine præceptis suis. (Hæc
» conclusio) Nam & testimonium sæpe di-
» cendum est, ac nonnunquam etiam accu-
ratius

ratius vt mihi necesse fuit in Sex. Titium « seditiosum ciuem & turbulentum. Expli- « caui eo testimonio dicendo omnia consi- « lia consulatus mei, quibus illi Trib. pl. pro « rep. restitissem, quæq; ab eo cõtra remp. « facta arbitrarer, exposui. Diu retẽtus sum: « multa audiui; multa respondi. (Hæc est as- « sumptio cum prosyllogismo) Num igitur « placet cum de eloquentia præcipias, ali- « quid etiam de testimoniis dicendis quasi « in arte tradere? Nihil sane, inquit, Catu- « lus, necesse est. (Hæc propositio.) «

Ita in eodem libro:

Historia non est instructa rhetorum præceptis.

Historia est muneris Oratorii.

Quædam ergo Oratorii muneris non sunt instructa rhetorum præceptis.

Idem Cic. in 2. Offic.

Nullus improbus, &c. contemnitur.

De omnĩ improbo malè existimant.

Quidam ergo, de quibus malè existimant, non contemnuntur. Verba eius sunt:

Non omnes eos contemnunt de quib. « malè existimant (Conclusio) Nã quos im- « probos, maledicos, fraudulentos putant, « & ad faciendam iniuriam instructos, eos « haud contemnunt quidem (Hæc est pro- « positio) Sed de iis malè existimant: (Hæc « est assumtio.) «

Item: *Gladius quem ſanus depoſuit, ſi repetatur ab inſano, non eſt reddendus.*

Gladius quem, &c. eſt depoſitum.

Quædam ergo depoſita non ſunt reddenda.

Affirmatus ſpecialis primus.

Di *Quædam delectatio congruit ſenib.*
ſa *Omnis delectatio eſt voluptas.*
mis *Quædam ergo voluptas congruit ſenibus.*

Hæc Cicero prolixè diſputat in lib. de Senectute ; vbi tertium ſenectutis probrum confutat, quod omni voluptate priuet. Ille contra oſtendit quod aliquas habeat, argumento delectationis in multis. Locus eſt prolixus. Concluſio his verbis
» ineſt: ſed ſi aliquid dandum eſt voluptati,
» &c. Propoſitio in his eſt: modicis conui-
» uiis poteſt delectari ; & paſſim porrò de-
» lectationem nominat. Aſſumtio in his:
» Quoniam hæc quidam deſiderant; in gra-
» tiam redeamus cum voluptate, &c. In eodem tractatu & hoc eſt.

Loquacitas eſt in ſenibus:
Loquacitas eſt vitium:
Quædam ergo vitia ſunt in ſenibus.

Affirmatus ſpecialis ſecundus propoſitionis generalis.

Da *Omne viſum eſt perceptibile.*
ti *Quædam viſa ſunt incerta.*
ſi *Q. ergo incerta ſunt perceptibilia.*

Hic

(Hic modus apud autores vix occurrit. Fingi verò exempla possunt; quale est hoc: *Animal sentit. Q. animal caret sanguine: Q. ergo carens sanguine sentit.* Est autem inconstans, nec videtur conclusio talis ex antecedente sequi; verum accidere talem esse. Alioquin rectius concludes: *Quædam carentia sanguine sentiunt, vt testudo:* sed hoc in Darapti, in quo etiam exemplum Philippicum est huic modo accommodatum. Eueniunt autem absurda ista dispositione; veluti: *Omnes stellæ lucent: Quædam stellæ sunt Planetæ: Planetæ ergo lucent.* Vbi si particularem dicas cõclusionem, impingas in iudicium axiomaticum. Est enim vniuersalis, cum omnis Planeta luceat. At hoc non est sub Datisi, sed potius Datisa concludere. Ita in hoc: *Omne vitium turpe: Quoddam vitium est ebrietas: Ebrietas ergo turpis.* Vbi iterum omnis, non quædam: neque enim sequitur quædam, ex præmissis. Iudicauerim itaq; hunc modum abiiciendum, & exempla alio modo vel figura concludenda; veluti: *Omnis stella lucet: Omnis Planeta est stella: Omnis ergo Planeta lucet*, &c.)

Negatus ſpecialis propoſitionis particularis negatæ.

Bo *Quendam familiarem occidere non eſt turpe* (vt ſi tyrannus fuerit)
car *Familiarem occidere habetur turpe:*
do *Quoddam ergo quod habetur turpe, nõ eſt turpe.*

Hoc Cic. in 3. offic. his verbis explicat:

" Sæpè tempore fit, vt quod plærunque
" turpe haberi ſoleat, inueniatur non eſſe
" turpe (hæc concluſio.) Exempli cauſa
ponatur aliquid quod pateat latius.
" Quod poteſt eſſe maius ſcelus, quam
" nõ modo hominem, ſed etiam familiarem
" occidere? (Hæc aſſumtio) Num igitur ſe
" obſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occi-
" dit, quamuis familiarem?
" Populo quidem Romano nõ videtur,
" qui ex omnibus præclaris factis illud pul-
" cherrimum exiſtimat.

(Hæc propoſitio cum proſyllogiſmis duobus)

Negatus ſpecialis propoſitionis generalis negatæ.

Fe *Cauſare non eſt rectè dictum latinè.*
ri *Cauſare aliquando dicitur à barbaris philoſophis:*
ſon *Barbari ergo philoſophi aliquando non rectè dicunt latinè.*

Hoc

Hoc Picus ad Hermolaum pro barbaris philosophis ita: Sed amabo agnoscamus quid ist hæc sit latinitas, quam solam dicis decere philosophos, & non persoluere si dicendo incurrat. Exempli causa; à « sole hominem produci, causari homines « nostrates dicunt (assumtio est) clamabis a- « ctutum hoc non est latinum: Huc vsque « verè: Non est romanè dictum: Hóc ve- « ro verius. (Hæc propositio) Igitur non « rectè? (Hæc conclusio) «

(Possunt autem contractæ figurę exempla facilè reduci ad figuras alias; vt in hoc: Barbari aliquando non dicunt latinè, vt cum causari dicunt pro procreari: *Causari dicens pro procreari nõ dicit latinè: Barbari dicunt causari pro procreari: Ergo, &c.* Hinc reductio secundæ & tertiæ figurę extitit ad primam, quam ideo perfectam vocant, reliquas imperfectas.)

Affirmatus proprius.

Marco Horatio Romæ concessa vita est:
M. Horàtius fassus est à se interfectam sororem:
Aliquibus igitur confessis homicidiũ concessa vita est.

His includitur quæstio affirmata: Aliquibus fassis, &c.

Hoc Cic. in Miloniana: Negant cõtueri lucẽ fas esse ei qui à se hominẽ occisum fateatur. In qua tãdem vrbe hoc homines stultis-

„ ſtultiſſimi diſputant? Nempe in ea quæ
„ primum iudicium de capite vidit M. Ho-
„ ratij fortiſſimi viri, qui nondum libera ci-
Propoſitio. uitate, tamen populi R. comitiis liberatus
Aſſumtio. eſt, cum ſua manu interfectam eſſe ſoro-
„ rem fateretur.

Ita Horatius lib.1.carm.od.22. Vir bonus vbique tutus eſt; vt ego fui tutus.

Integer vitæ ſceleriſq; purus
Non eget Mauri iaculis nec arcu,
Nec venenatis grauida ſagittis,
Fuſce, pharetra
Siue per Syrtes iter æſtuoſas
Siue facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.
Namque me ſylua lupus in Sabina
Dum meam canto Lalagen, & vltra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem.

Eſt Enthymema:

Ego fui tutus à lupo,
Vir bonus ergo eſt tutus.

Aſſumtio omiſſa eſt: *Ego ſum vir bonus, &c.*

Negatus proprius.

Cato non amiſit vocem canoram.
Cato ſenex fuit.
Quidam ergo ſenes non amiſerunt vocem canoram.

Hæc

Hæc de ſenectute ipſe Cato apud Cic. *Concluſio.*
Omnino illud canorum in voce ſplende- "
ſcit etiam neſcio quo pacto in ſenectute: *Propoſitio.*
quod equidem non amiſi adhuc: Et tamẽ "
videtis annos meos. "

(Aſſumtio. Concluſio enunciata eſt affirmatè ob affectionem contrariorum mutuam)

In eodem libro plura ſunt exempla, inter quæ & hoc: *Ego non plane ſum enervatus: Ego ſum ſenex.* Item: *Maſiniſſa non eſt ſine viribus: Maſiniſſa eſt ſenex: Quidam ergo ſenes non enervantur ſenectute.* Cicero illas partes ita enunciat. Sed redeo ad me. (inquit Cato) Quartum annum ago & octogeſimum. (Aſſumtio) " Equidem poſſe vellem idem gloriari " quod Cyrus, ſed tamen hoc queo dicere, non me quidem his eſſe viribus, " quibus aut miles bello Punico, aut Quæſtor in eodem bello, &c. Sed tamen vt " vos videtis non plane me eneruauit, non " afflixit ſenectus, &c. (Hæc eſt propoſitio) " Poſtea de Maſiniſſa. Arbitror te audire " Scipio hoſpes tuus Maſiniſſa quæ faciat " hodie. Nonaginta annos natus (aſſumtio) " Cum ingreſſus iter pedibus ſit, in equum " omnino non aſcendere, &c. (propoſitio) " Inde ſequitur concluſio: Poteſt igitur exercitatio & temperantia in ſenectute conſerua-

seruare aliquid pristini roboris (quæ conclusio oratorum more variata est, &c.)

DE SYLLOGISMO COMPOSITO.

Quid est syllogismus compositus?

EST cum tota quęstio est altera pars propositionis, argumẽtũ est pars reliqua.

Propositio in hoc semper est cõposita, & affirmata, cum è negata nõ fiat syllogismus. Argumentũ itẽ assumitur ꝑpetuo, ita vt solũ sit integrum assumtũ: Cumq; euidẽter & concisè ita cõcludatur absq; ꝑpositione; principaliter olim syllogismus cõpositus enthymematis formâ adhibitus fuit, vocatusq; enthymema aut syllogismus imperfectus, seu rhetoricus ex signis & certis argumentis: vel syllogismus ex contrariis.

Vulgo appellatur hypotheticus. Distingui item potest affirmato, negato, proprio: Generali item ac particulari, sed minus euidenter, ac simplex.

Quod in composito negatur assumendo, tolli dicitur & destrui: sicut quod affirmatur, poni & astrui; vnde & consequens tollitur vel astruitur.

Enthymema cõpositi agnoscitur cũ nulla partiũ quæstionis est in antecedẽte: Et fit solũmodo ex assumtione seu argumẽto assumto & complexione. *Quo-*

Quotuplex est syllogismus compositus?

Duplex: Connexus & disiunctus.

Quid est connexus?

Est syllogismus compositus propositionis connexiuæ.

Hic aliâs dicitur conditionalis; à coniunctione Si, quæ signum est propositionis connexæ primarium.

In connexo vsitatus est λογότεχπ@ quidam, & compendiosa enunciatio in assumendo & concludendo. Dicimus enim: *Sed verum illud: Ergo & hoc: Sed hoc non est: Ergo nec illud.* Item: *Verum primum, verum igitur & postremum.* Item: *Sed est antecedens: ergo & consequens, &c.*

Et connexorũ quidam etiã simpliciter cõcludi possunt, quidã nõ possunt. Item: Interdũ assumit antecedẽtis vel cõsequẽtis contrariũ & cõcluditur contrariũ alteriusutrius. Connexa forma demõstrationes Aristotelicæ item concludi possunt.

Quotuplex est connexus?

Duorum potissimũ modorum est, qui distinguuntur, primo & secundo.

In vsu tamen reperiuntur etiam plures modi, præsertim vbi propositiones sunt catholicæ ita vt reciprocet ratio. Sumitur autem distinctio à modis positionis & destructionis partium antecedentis & consequentis in propositione.

Quid

Quid est connexus primus?

Est qui assumit antecedens, & concludit consequens. Itaque hinc regula est: *A positione antecedentis ad positionem consequentis valet consequentia.*

Eo syllogismo Chrysippus in 2. de natura Deor. apud Ciceronem Deos esse colligit.

Aliud in paradoxis. Familiarissimus tuus de te priuilegium tulit, vt si inopertum Bona Dea accessisses, exulans. At te id feciſſe etiam gloriari soles. Quomodo igitur tot legibus in exilium eiectus, nomen exulis non perhorrescis?

Si (inquit) est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod ius, quod potestas humana efficere non possit, est certè id quod illud efficit homine melius. Atqui res cœlestes, omnesque hæ, quarum est ordo sempiternus ab homine confici non possunt. Est igitur quo illa conficiuntur homine melius. Id autem quid potius dixerimus quam Deum?

Nudus syllogismus:

Si quid in natura fit viribus humanis maius, id à meliore, nempe Deo, efficitur.

Sed fit in natura aliquid viribus humanis maius; Argumento quia res cœlestes, &c.

Fit igitur id à meliore nempe à Deo; & ex consequente, Deus est.

Ita in Paradoxis:

Si virtutes inter se sunt pares; paria esse etiam vitia necesse est.

At

At pares sunt virtutes:
Paria ergo vitia.

Hæc prolixè sic disputat: Quod si virtutes pares sunt inter se, paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorē, nec sapienti sapientiorem posse fieri facilimè potest perspici. An virum bonum dices, qui depositum nullo teste cùm lucrari impunè posset auri pondo decem reddiderit, si idem in decem millibus pondo auri non idem fecerit? Aut temperantem eum, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Vna virtus est consentiens cum ratione, & perpetua constantia. Nihil huic addi potest, quo magis virtus sit. Nihil demi, vt virtutis nomē relinquatur. Etenim si benè facta, rectè facta sunt, & nihil recto rectius est; certè nec bono quidem melius quicquam inueniri potest. Sequitur igitur, vt etiam vitia sint paria, si quidem prauitates animi rectè vitia dicuntur.

(Hæc refutantur in 4. de finibus, circa finem.)

In 3. offic. vtitur compendiosa collectione:

Si vna continemur omnes & eadem lege naturæ; certè violare alterum lege naturæ

prohibemur. Verum autem primum: Verum igitur & extremum, &c.

Frequenter hîc non assumitur idem, sed maius; interdum & minus; vt in 1. Ca-
„ til. Si te parentes timerent atque odis-
„ sent tui, neque illos vlla ratione placare
„ posses, vt opinor, ab eorum oculis aliquo
„ concederes.
„ Nunc te patria (quæ communis esto-
„ mnium parens) odit ac metuit, & iam diu
„ nihil de te iudicat, nisi de parricidio suo
„ cogitare. Huius tu neq; autoritatem ve-
„ rebere, neque iudicium sequêre, neque
„ vim pertimesces?
„ Minus assumitur; vt in hoc: Si vitæ in-
„ sidiatus fuisset tuæ, ignosceres forsan illi.
„ Nunc fortunas attigit paulo iniquius. An
„ non ignoscendum putes?

Concludendi hic modus idem est cum propositio est relata temporis, aut aliâs alterum respicit alterum, & ad id refertur. vt Ouid.

Propositio. *Cum Paris Oenone poterit spirare relicta:*
Ad fontem Xanti versa recurret aqua.
Conclus. *Xante retro propera, versæq; recurrite lymphæ.*
Assum. *Sustinet Oenonen deseruisse Paris.*

Assumitur & antecedentis contrariũ, & cõcluditur consequentis contrariũ; vt:

Si non venissem & dixissem eis, peccatum

tum non haberent:
At veni & dixi:
Habent ergo peccatum.
Quid est connexus secundus?

Est in quo tollitur propositionis consequens ad tollendum antecedens. Hinc regula est: Valet consequentia à destructione consequentis ad destructionem antecedentis; vt:

Si saperem, abstinerem poëmatis scribendis:
Sed non abstineo:
Non ergo sapio.

Hæc Ouid. ita:

Si saperem doctas odissem iure sorores; — *Propos.*
Numina cultori perniciosa suo. — *Prosyll.*
Sed nunc, tanta meo comes est insania morbo, — *Conclusio.*
Saxa memor refero rursus ad icta pedem. — *Assumtio.*

Potest & hic assumi impar; vt maius:

Si parentes obseruares, monitis eorum salubribus obtemperares:
At ne Deum quidem obseruas:
Multo minus itaque parentibus es morigerus.

Minus verò; vt in hoc: *Si liberali esses ingenio, præceptorẽ colerès: Atqui ne honorificã quidẽ vel verbulo eius facis mentionẽ: Illiberalissimũ ergo te oportet esse.*

Quænam formæ connexorum præterea sunt in vsu?

Connexus certius.

Tollitur interdum antecedens, vt tollatur consequens; vt in hoc:

Si eripuisses mihi animi virtutes, aliquã à te accepisse confiterer iniuriam.
Sed non potuisti illas eripere:
Non itaque me accepisse iniuriam fateor.

Hæc Cicero ita in paradoxo, quod omnes stulti insaniant:

„ Si mihi eripuisses diuturnam animi mei
„ constantiam, meas curas, vigilias, consilia,
„ quibus respub. inuicta stat: Si huius æter-
„ ni beneficij immortalem memoriam de-
„ leuisses: multo etiam magis si illam men-
„ tem, vnde hęc consilia manarunt mihi eri-
„ puisses, tum ego accepisse me confiterer
„ iniuriam. Sed si hæc nec feciſti, nec face-
„ re potuisti: (assumtio) reditum mihi glo-
„ riosum tua dedit iniuria, non exitum cala-
„ mitosum. Ergo ego semper ciuis erã, &c.

(Conclusio permutatur cõsectario: quasi dicat: Ergo nõ iniuriam à te accepi, seu non sum ignominia affectus tuo conatu, sed potius affectus gloria, cũ mihi reditus per istam exclusionem partus sit præclarus, &c.)

Hoc syllogismo vtitur & Gallio act. 18. sed paulo aliter assumendo:

Si qua iniuria esset (inquit) aut facinus, Iudæi,

Iudæi, merito vos sustinerē: Si vero quæ- «
stio est de sermone ac nominibus & lege «
vestra: vos ipsi videritis: Iudex ego horum «
esse nolo. «

Assumti prosyllogismus ponitur pro ipso; vt in conclusione additur consectarium ab opposito: q. d.

Si esset res politica, iudicem me præberem:
Sed non est res politica:
Iudicem ergo me non præbeo.

Quid est syllogismus disiunctus?

Est syllogismus compositus constans propositione disiuncta. Vulgo nominatur disiunctiuus.

Et disiunctionis membra pro natura diuisionis modo duo sunt, modo plura: necesseq; est semper vno posito reliquū « tolli, aut vno sublato, reliquum concludi. « Cū vtrumq; aut omnia tolluntur, ponuntúrve propositione nihilominus disiūctè enunciata; crypsin commissam intelliges.

Dilemmata familiaria sunt ex disiuncto.

Quot sunt modi disiuncti?

Duo: Primus tollit vnum, & reliquum concludit.

(Vulgo: *A remotione vnius partis proceditur ad asseuerationem alterius*)

Cic. pro Cluentio:

Aut accusandum aut moriendum:
Non moriendum: Accusandum ergo.

Hoc Cicero ita: Sed cum esset hæc illi proposita conditio, vt aut iustè pieq; accusaret, aut acerbè indigneque moreretur; accusare, quoquo modo posset, maluit, quam illo modo mori.

Ita: *Aut mater a me segreganda est, aut Philumena: Non mater: Philumena ergo.*

Propos. Segreganda à me est mater aut Philumena.

Assumt. Nunc me pietas matris commodum potius sequi iubet.

Consect. Illi exopto vt reliquam vitã exigat cum
Conclus. eo viro qui me sit fortunatior.

Conclusio. Quandoquidem illam à me abstrahit necessitas.

Si partes disiunctæ propositionis sint duabus plures, iudicandi concludendiq; „ ars erit eadem. Cic. Atqui videmus hęc „ in rerum natura tria fuisse, vt aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. „ Latere autẽ mortis instar erat turpissimæ; „ cũ Saturnino esse, furoris virtus & honestas & pudor cum cõsulibus esse cogebat.

Aut cum Saturnino, aut consulibus esse aut latere debuit:
Sed nec cũ Saturnino esse potuit nec latere:

Ergo

Ergo cum consulibus versari coactus fuit.

Adduntur autem assumti duo prosyllogismi; & conclusionis argumentum nouum.

In sacris quoq; crebra sunt exẽpla; vt illud Pauli: *Aut ex lege est hæreditas & iustitia, aut ex promissione: Non ex illa: Ex hac ergo.*

Cum vtrumque negatur, crypsis defectus est in propositione; vt si dicas:

Aut bestia est aut homo: At neutrum: Non ergo animal: pro: Si animal esset, &c. Et iudicatur legibus connexi. Aut ita:

Aut homo vel bestia est, aut animal non est: Sed neutrum illorum est: Animal ergo non est. Et iudicatur legibus disiunctiprimi.

Eiusmodi assumtio & conclusio existit etiã ex negato copulato, & disiuncto; vt:

Non & bestia & homo est leo: Sed non est homo: Bestia ergo. vel: *Si bestia est homo non est: Sed non est homo: Bestia ergo.*

Qui est disiuncti modus secundus?

Est qui assumit vnum & reliquum tollit; vt:

Aut morietur Turnus, aut ego fallar: Sed ego fallar: Ne ergo moriatur.

Hæc Iuno apud Virg. ita:

------Quid si quod voce grauaris
Mente dares, atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet insontem grauis exitus. Aut ego veri (falsa
Vana feror, quod vt ô potius formidine
Ludar, & in melius tua qui potes orsa reflectas, &c.

Paulus ad Gal. 3.

Iustitia aut ex operibus legis est, aut ex prædicatione fidei:
Sed ex fidei prædicatione:
Non ergo ex operibus legis.

Hæc Paulus ita:

» Qui subministrat vobis spiritũ, & ope-
» ratur virtutes in vobis, vtrum ex operibus
» legis, an ex prædicatione fidei id facit? A-
» brahã credidit Deo & imputatũ illi est ad
» iusticiã. Scitis igitur qd̃ qui ex fide sunt, ij
» sint filij Abrahę, &c. Et mox cõclusio, &c.
» Quotquot ex operibus legis sunt, execra-
» tioni sunt obnoxij, &c. Item: Quod au-
» tem in lege nullus iustificetur apud Deũ,
» palam est, &c.

Eiusmodi syllogismus efficitur etiam è propositione copulata negata, quæ negata complexio dicitur, quæq́; disiũctionis affirmatæ vim habet; vt:

Non & dies & nox est:
At dies est: Non ergo nox.

Potest

Potest & fieri è connexione.

Si dies est, nox non est.

At dies est. Nox igitur non est.

Videtur & propositio altera parte esse negata, vt:

Aut viuũt animæ post obitũ, aut nõ viuũt:

Sed viuunt. Non igitur non viuunt.

Verum in eiusmodi exemplis non est negatio axiomatica, sed topica contradictio, & nihilominus propositionis vtraq; pars intelligitur affirmata. Itaque per se in disiuncto secundo omnes partes propositionis sunt affirmatæ: aliàs committitur asyllogistia.

Quædam exempla sunt valdè captiosa, vt:

Aut Dion est qui venit, aut familiarium nullus:

Sed Dion venit: Ergo familiariũ nullus.

Cum tamen constet Dionem inter familiares esse. Sed ratio ostendit concludendum esse à positione vnius ad destructionem alterius. Itaque concludendum erat: Ergo familiarium non nullus. Possunt & hìc plura esse membra, vt:

Aut tactu percipitur calor, aut visu, aut auditu, aut gustu, aut perceptibilis sensu non est.

Sed percipitur tactu. Non ergo visu, &c.

Tantum de iudicio syllogistico.

Exercitatio de iudicio syllogistico.

» Cicero in paradoxo ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀ-
» γαθόν. Potestne bonum cuique malo esse?
» Aut potest quisquam in abundantia bo-
» norum ipse esse non bonus?
» Atqui ista omnia talia videmus, vt et-
» iam improbi habeant, & obsint probis.
» Quamobrem licet irrideat si quis vult,
» plus apud me tamen vera ratio valebit
» quam vulgi opinio.

Quæ est sententia horum verborum?

Negat Cicero bona fortunæ vulgo dicta: vt sunt pecuniæ, magnifica ædificia, opes, imperia, & voluptates, esse bona, argumento, quia ista sint etiam malis & improbis; & quia obsint probis.

Quomodo affecta sunt illa argumenta ad quæstionem?

Quæstio habet duas partes, antecedentem, quæ est: Fortunæ res: & consequentem, quæ est: Non sunt bona. Argumentum tertium seu medium primum, quod est, adesse improbis, sumtum potissimum est ad partem antecedentem, quam arguit vi adiunctorum. Res possessa enim subiectum est; possessor adiunctum. A parte consequente seu prædicato id dissentit. Nam adesse malo, non consentit bono, Ciceronis iudicio.

Secun-

Secundum medium, obesse probis; item sumitur ad antecedēs, cum quo consentit vi effecti. Nam res fortunæ hìc considerantur causaliter, quarum vi sit effectus iste nempe obesse probis. A parte consequente seu prædicato dissentit idem diuersitatis aut disparationis dissensu.

Quomodo fit inde syllogismus?

Medium cum prædicato dispositum propositionem seu maiorem exhibet, quæ est:

Ce *Bona non assunt malis, nec obsunt probis.*

Dispositum vero cum antecedente, gignit assumtionem, quæ est:

sa *Res fortunæ assunt malis, & obsunt probis: inde infertur conclusio.*

re *Ergo res fortunæ non sunt bona.*

Hæc non ita sonant vt dixit Cicero, quæ est ratio mutationis?

Complexionem ille occultauit crypsi omissionis & pleonasmi. Nam quod consequens conclusionis erat: id posuit pro conclusione omissa quasi sic dixisset:

Ergo res fortunæ non sunt bona, & per consequens, cum hæc ratio sit vera, quanquam rideatur, tamen plus valebit apud me opinione.

Hæc

Hæc adiuncta sunt complexioni totiq; syllogismo, & discrete enunciata propter immistã prolepsin. Deinde propositioné auxit prosyllogismo; & sic commisit crypsin pleonasmi. Nam quod bonum non assit malo; indicat contradictorio boni, quod fieri non possit vt abundans bono non sit bonus. Enũciatur vtrumque axioma figuratè, more rhetorum, per interrogationem communicatoriam. In assumtione copulatur argumentum alii, quod erat in propositione omissum.

Quinam ergo est syllogismus?

Perfectus est, constans omnibus partib. integris (crypsin enim in conclusione commissam non multum curamus vtpote cum Aristoteli conclusio non sit vera pars syllogismi: 1. priorum cap. 26.) atque insuper etiam prosyllogismo propositionis. Est & simplex figuræ secundæ negatus generalis; atque ob id legitimus cum consequentia necessaria.

Cur ita iudicas?

Simplicem iudico quia non tota quæstio est in propositione, sed saltem eius prędicatum; quanquam axiomata sint copulata.

Propter dispositionem medii, quod sequitur seu prædicati locum obtinet in vtraque præmissa dico esse figuræ secundæ.

dæ. Huius enim forma hæc est. Generalis est ex toto antecedẽte generali. Quanquam enim non adduntur signa, Nullus & Omnis, tamẽ logicus facile intelligit ex attributione generali; axiomata esse generalia, quasi dictum sit:

Nullum bonum adest malo, quia omnis boni possessor bonus est.

Omnes res fortunæ assunt etiam malo.

Nulla ergo res fortunæ est bonum.

Negatum ideo dico, quia cõclusio negata est cum propositione. Hæc dispositio congruit formæ seu modo qui Cæsare nuncupatur.

Si consequentia est necessaria & syllogismi forma bona, ideone axioma conclusum est verum necessario?

Non est. Nam conclusio exurgit ex præmissis, tanquam ex hypothesi, vt si illæ sint, hæc inde sequatur necessario, quasi verum sit hominem esse quadrupedem, si verum sit eundem esse lonem. Ex hoc enim sequitur illud necessario.

Quid si falsum concludatur?

Tunc necesse est hypothesin esse aut falsam aut aliâs vitiosam. Itaque vitium quærendum est in antecedente seu præmissis, si forma sit bona. Hoc autem nominatur, ad materiam respondere.

Vnde

Vnde oritur vitium præmissarum?

Ex indebita seu illegitima dispositione medii cum partibus quæstionis. Itaque & iudicio axiomatico iudicatur.

Ostende hoc in exemplo præsente:

Res fortunæ negantur bona esse, quia assunt & malis, bona vero malis non assunt. Hic si vera argumentorum affectio spectanda est, inuentio quod bonum consentiat etiam malo viro, non tantum bono: sed illud non quâ malus sed quâ bonus. Nam bonum & malum hic non sunt opposita, sed diuersa; Itaque competere possunt vni subiecto, sed ratione, tempore, respectuque diuersis. Hinc dispositio fit ambigua, & propositio labefactatur. Nã bona interdũ & aliqua ratione assunt malis. Itaque fit vt contradictorium propositionis item possit esse verum. In assumtione res fortunæ dicuntur adesse malis; id quidem verè; sed contingenter, & accidentariè. Non enim assunt malis quâ mali; sed qua possessores quidam eius boni quod inest citra rationem boni & mali, seu quod nec bonos nec malos principaliter facit, cui consentiunt etiam sacra oracula, quæ dicunt Deum pluere & solem præbere bonis & malis.

Quoma-

Quomodo ergo responderes ad syllogismum?

Consequentiam non possum negare, quia legitima est. At quæ supponuntur, præmittunturq; , ea dico esse sophistica, quia tantum sunt contingentia , quæ & aliter se habere possunt, quorumq; iudicium est opinio.

Hinc efficitur elenchus ignoratus. Nã argumento illo, quo axiomata fiunt contingentia , necessaria veritas non potest cõcludi. Est & elenchus accidentis. Nam accidit bonis fortunæ adesse homini aliâs malo.

Sed quid de altero argumento, quod est, obsunt probis?

Effectum quidem est bonorum fortunæ, sed planè accidentarium , & non perpetuum. Multi enim sunt satis diuites & imperiosi, sed hinc mali non euadunt; verum boni manent. Deinde ex accidente euenit vt quod vitiosi animi est , id asscribatur possessionibus. Quem sua cupiditas, & vsus bonorum improbus facit improbum, is culpam non potest in bonum conferre, cuius natura est anceps.

Bona ergo fortunæ, nec bona per se erunt nec mala?

Certa quadam ratione, quia per se nec bonos nec malos efficiunt, quanquam ad vtrum-

vtrumq; possint aliquid afferre adiumenti, in medio relinquuntur. Quia vero humana vita sine iis, non benè potest esse; itaque etiam suo loco bona nominantur, dum scilicet aliquid boni & emolumenti afferunt ad vitam traducendam. Locus autem illis & dignitas externa debetur. Sunt enim in assistentibus foris, non in internis & connatis, &c.

Itaque & bona sunt; sed non summa, quæ interdum propter excellentiam nominantur sola bona, vel verè bona, cum quibus si comparentur externa; hæc tam exilia deprehẽduntur, vt vix in aliqua boni parte locum inueniant.

Quæ est vulgaris ratio soluendi vitiosa?

Cum in syllogismo spectetur materia & forma; hæcque est in syllogistica dispotione; illa in axiomatis: Negatur sequi si forma est mala, dicitúrque inconsequentia, seu ἀσυλλογισία: ad materiam vero respondetur vel inficiatione, si aliqua propositio est falsa; vel distinctione, si est ambigua, vel data instantia, hoc est, nihil quidem dicitur ad obiectum, sed producitur exemplum illustrius, in quo contrarium elucet. Rectius tamen est de axiomatis iudicare secundum præcepta axiomatica, de forma vero, secundum syllogisticas regu-

regulas, cum constet ex vero verum sequi, ex falso falsum, ex ambiguo falsum aut ambiguum. Nam facta ex principiis, congruunt principiorum naturæ.

Quomodo soluunt Aristotelici?

Certas fallaciarum classes habent, quas vocant elenchos sophisticos. Hos diuiserunt in fallacias in dictione, & fallacias in sententia, seu extra dictionem. Fallaciæ in dictione sunt; Æquiuocatio, Amphibologia, compositio, diuisio, accentus, figura dictionis.

Versus: Æquiuocãs; amphi, componit: diuidit: Ac. fig. Acci. Quid: Ignarus: petit: infert: causa: rogat plus.

Fallaciæ extra dictionem. Accidentis fallacia. A dicto secundum quid ad dictum simpliciter: Ignoratio elenchi: petitio principii; fallacia consequentis. Secundum non causam vt causam. Plures interrogationes; quibus aliqui addiderũt appellationem conscientiæ propriæ.

Fallacias in dictione penè omnes Grãmatica, rhetorica & linguæ notitia vndè notatio logica oritur, discutit. Quę in sententia sunt, ad inuentionem argumenti medii rectam axiomaticumque & syllogisticum pertinent iudicium.

Quid est æquiuocatio?

Est cum vox ambiguæ significationis vsurpatur, & in eodem syllogismo modo hæc, modo alia significatio sumitur, vt:

Verbum est vox loquentis.
Filius Dei est verbum.
Ergo filius Dei est vox loquentis.

Hic ludit homonymia vocabuli VERBVM; quod non tantum vox loquentis est, sed & filiũ Dei signat autoritate scripturæ diuinæ. Hinc fit propositio particularis. Itaque & impingitur in legem syllogisticam, & violatur dispositio Darii.

Quid est Amphibologia?

Est fallacia structuræ ancipitis, quę sententiam gignit diuersam, ita vt aliter significet alibi, vt:

Virtutem sequi diuitias æquum est.
Ergo quærenda pecunia primum est; Virtus post nummos.

Elenchus ambiguæ locutionis est propter structuræ ambiguitatem. Significatur enim quod diuitiæ debeant sequi virtutem, & non antecedere.

Quid est compositionis elenchus?

Est cum componuntur ea quæ dirimi debebant, & ad vnum sumuntur pertinentia ad diuersa, vt:

Qui vnum, duo & tria oua habet, is sex habet.
Qui tria habet oua, is habet vnum, duo, tria.
Ergo qui tria habet oua, is sex habet.

In

In assumtione componuntur separanda. Et est reuera elenchus ignoratus. Nam illo argumento quæstio non arguitur, cũ tria habens non possit sex habere, quia vnum, duo, tria habet ratione, at non re dissentanea.

Quid est diuisionis fallacia?

Est cum diuiduntur componenda, vt:

Paulus est Apostolus Gentium.
Ergo est Gentium (vel ex gentibus, aut gentilis) *& Apostolus.*
Bucephalus est equus.
Ergo magnus est & caput habet.
Bene canit Psaltria:
Ergo bona est & cantrix.

Sumitur & in his medium non argues. Peccatur ergo in inuentionis præcepta.

Quies est vacatio à motu.
Tu es qui es. Ergo es vacatio à motu.

Hic diuiduntur coniungenda. Est & fallacia accentus.

Quid est fallacia accentus?

Est cum vocum & partium earum sono, distinctioneq; argumentum ludit, vt:

Non tangas, non gustes, non attrectes, &c.
Ergo abstinendum certis cibis.

Hic pronunciatio variat, quæ μιμητικῶς elata, effert simpliciter, & imperiose. Ita:

Si manus dicat non sum corporis:

Ergo non est corporis. Vbi interrogatio pronunciando dissimulatur, fitque elenchus accentus. Nam sensus est, Non ideo non esse corporis, quia id neget.

Quid est fallacia figuræ dictionis?

Huc pertinent solœcismi Hebraismi, Hellenismi, &c.

Est cum propter habitum dictionis (seu vocis seu phraseos) mutatum fit deceptio. Itaque huc pertinent figurata pro simplicibus adducta & contra; Item linguarum commutationes, veluti cum interpretes Bibliorum latini sæpè retinent Hebraismum; & cum artificum sermones pro plebeis ponuntur; seu vocabula secundæ intentionis & noëmata secunda, pro noëmatis primis aut vocibus primæ intentionis vt loquuntur, &c. Tale est hoc vulgare:

Ego indurabo cor Pharaonis.
Ergo Deus causa malitiæ est.

Indurare Hebraismo signat, tolerare, & sustinere, seu nõ prohibere quo minus pertinax sit quispiã. Ita: in hoc te excitaui vt in te ostendam potentiam meam; peculiaris locutio est, quasi dicat sciebam te pertinacem fore, sed siui nasci & peruenire ad regnum illius gratia, vt in te, &c.

Quid est fallacia accidentis?

Est fallacia sententiæ, in qua quod ex accidente est, pro eo quod per se est, adducitur, vt:

Euan-

Euangelium creat lites, & infelicitatem in hoc seculo: Abiiciendum ergo.

Respondetur elencho accidentis. Non enim id per se est Euangelii, sed ei tribuitur, quia accidit lites fieri cum incredulitas redarguitur: accidit miseria, cum Diabolus & alii aduersarii, item peccatorum pœnæ ad conuersionem salutarem imminent, &c. Euangelii per se est recreare læto gratiæ diuinæ propter Christum vera fide apprehendendum nuncio, &c.

Quid est fallacia secundum quid?

Est cum in sententia particulare ponitur pro vniuersali, & contingens pro necessario; vt:

Pater maior me est, inquit Christus.
Ergo filius Dei non est æqualis patri.

Soluitur hoc elencho, quod antecedēs κατὰ μέρος sit, non καθόλου. Pater enim non est maior essentia diuina, sed respectu legantis mittentisque, & quia non humiliauit se assumendo naturā humanam, &c. Filius minor est κατὰ τὸ ὑπ obœdiendo vsque ad mortem crucis, veniendo in mundum &c.

Euenit autem illa particularitas vel ratione partiū; vt animal est rationale, quod « tantum competit homini; Item, Homo « sapit, quod non corpori congruit sed ani- «

mæ: vel ratione circumstantiarum, temporis scilicet, loci, personarum, respectuum & aliarum, vt Cretenses semper mendaces; hoc de procliuitate ad mentiendum dictum est; non de perpetuo actu; Item de plærisque, &c. Huc pertinet solutio per potentiam & actum, vt:

Potentia infans musicus est; at non actu.

Respectus nascuntur è diuersis; vt idem aër est grauis respectu ignis; leuis, respectu aquæ & terræ; ita aqua grauis est & leuis, &c.

Quid est ignoratio elenchi?

Est cum argumentum sumitur quod nullam vim ad probandum habet; seu pro argumento ponitur quod non est affectum ad arguendam quæstionem. Et hoc argumẽtum potest interdum concedi; sed non offendit thesin, vt: Occidẽdus
» est Christus: quia dixit se destructurũ tẽ-
» plum, & repositurũ triduo. Fac ipsum hoc
» dixisse; at ideo non est occidendus.
» Item: è medio tollendi sunt Christiani,
» dicebat Nero, quia Romam incenderunt.
» Hic argumentum planè falsum sumitur.
» Quidam ita iudicauit: Suspendendus est,
» quia si non fecit furtum, meditatur tamen.
Est ignoratus elenchus; quia meditari furtum non satis est ad crucem.

Quid

Quid est petitio principii?

Est cum id postulatur cõcedi tanquam probatum, quod tamen est dubium. Itaque cum principia quæstionum sint argumenta, & antecedens in syllogismo; cum vel argumentum tertium precario sumitur, vel antecedens, aut aliqua præmissarum pro firma & demonstrata ponitur, quæ prius erat probanda; principium petitur. Et est principium causa & fundamentum conclusionis scientificæ. Tale est hoc:

Plato scripsit stellas esse Deos.
Stellæ ergo sunt dii.

Petitur principium. Nam nondum cõstat scripseritne verè Plato an non. Itaq; hoc principium non est, sed petitur tanquam principium. Ita in omni genere humanorum testimoniorum potest esse, quin & interpretatione diuinorum ambigua, vt:

Cometa ensiformis incubuit Solymis, illi oppido portendens defensionem.
Ergo non capietur à Romanis.

Petitur principium dum interpretatio ambigua sumitur pro certa. Pompeius vincet Cæsarem, quia vidit somnio se in Throno sedentem honoribus affluere.

Hic euentus oſtendit pro principio habitum fuiſſe id quod principium non eſt. Nam omne principium per ſe certum eſt, nec habet aliquid ſe prius quo probetur.

Quid eſt elenchus non ſequentis?

Eſt vitium in forma ſyllogiſmi, cum id pro conſequente attexitur φ non conſequitur. Idque fit cum aut planè nulla eſt connexio; aut nulla neceſſitas cõſequentiæ, aut non perpetua: quæ iudicari poſſunt ex legibus ſyllogiſmi cum ex puris particularibus, aut meris negatis, &c. concluditur. Vocatur ἀσυλλογισία, vt:

Quod dignius eſt prius eſt.
Anima dignior eſt corpore:
Prior ergo tempore eſt, ſeu vetuſtior.

Nego ſequi. Nam ex antecedente non poteſt inferri prius tẽpore; ſed quodammodo prius. Ita:

Liberi ſunt Chriſtiani:
Ergo nulli magiſtratui obnoxii.

Hic coincidit elẽchus homonymiæ, ex quo non hoc eſt conſequens. Interdum conſequens verum eſt toto antecedente falſo, vt:

Omnis magiſtratus eſt impius.
N. pius eſt magiſtratus.
N. ergo pius eſt impius.

Eſt vitium in forma repugnans primæ figuræ;

figuræ; & consequens verũ est, sed non propter antecedens. Potest & modus congruere; vt:

Nullus Imperator est impius:
Omnis pius est Imperator:
Nullus ergo pius est impius.

Est & consequens falsum vero antecedente; sed hoc verum & necessarium antecedens non est; vt:

Si Nero esset Christianus, homo esset:
Sed non est Christianus:
Non ergo homo.

Elenchus consequentis est. Nam Neronem non esse hominem non consequitur ex negatione Christiani, cum conueniat Christiano, & non Christiano, seu Ethnico, &c. Concurrit hîc elenchus ignoratus. Item illa forma in connexis pro asyllogisto habetur.

Planè dissoluta sunt hæc:

Petrus fuit Episcopus Romæ:
Papa est successor Petri:
Ergo Papæ debetur imperium Romanum.

Non sequitur perpetuo; vt in his:

Ingrediar aulam:
Ergo ero fortunatus, & equus me portabit, alet rex.

Concurrit hîc elenchus accidentis.

Quid est fallacia non causæ?

Est elenchus in sententia, cum in causa assumenda peccatur. Itaq; cum propria causa omittitur, sumitur autem aliena; vel accidentaria substituitur causæ per se; aut vna ponitur, vbi ponendæ erant plures; aut plures vbi vna; aut peruertuntur causæ, efficiensque dicitur, quę finalis est, aut materialis, &c.

Vitium in causa committitur. Pari autem modo elenchi reliquis argumẽtis aduersantes constitui poterant; vt non effecti, non subiecti, non adiuncti, non similis, non dissentanei, nõ definitionis, malæ notationis, non testimonij, &c. quæ referuntur etiam ad elenchi ignorationem. Malè autem sumitur causa in his:

Bona est indole:
Fiet ergo doctus.

Hìc non sufficiens causa ponitur. Requiritur & cultura & exercitium, in primisque Diuina benedictio & pietas, quæ est initium sapientiæ.

Paulus seminat: Apollo rigat: Ergo crescet seges.

Item non est sufficiens causa. Principalis enim omittitur. Deus enim dat incrementum.

Magnus ardet rogus: Magna est aëris incensio: Dies ergo est.

Non

Non est hæc diei causa, sed sol. Ita:

Terra fœcunda irrigatur imbribus, accedit q3 aeris clementia, & solis operatio:
Gigni ergo possunt homines ex terra vt senserunt veteres.

Est elenchus non causæ:

Homo gignit hominem; non sol.
Sum in coniugio:
Suscipiam ergo sobolem.

Elenchus non causæ est. Non istud est perpetuum. Et concurrunt causæ plures.

Scit Rhetoricam & Dialecticam:
Ergo est bonus orator.
Multa loquitur de chymia:
Ergo faciet aurum.

Ibi non est sufficiens causa: Hic non est per se causa. Non erat miles aut imperator Phormio, etiamsi multa coram Annibale de bello deblateraret.

Quid est fallacia plurium interrogationum?

Est cum plura simul interrogantur. Et hoc fit vel vna quæstione ambigui sensus; vel pluribus cumulatis. Olim erat frequens hic elenchus, cum disputationes fierent per interrogata; & ex responsionibus concluderetur sophisticè; vt.

Putasne? *Est Cicero bonus orator, an nõ?* R. *Ita.* Concludens: *Ergo est bonus & non*

non bonus. vel: *Ergo non bonus.* Si respondeas: *Est:* Sophista concludet: *Ergo Cicero viuit.* Ita:

Androgynos est ne mas an fœmina, an neutrum? Resp. *Neutrum.* Sophista: *Ergo est generis neutri.*

Nostris temporibus multa interrogãtur potissimum tunc cum quęstiones sunt ambigui sensus, itaque contorti syllogismi aut responsiones vt vtroque modo possint intelligi, quo pacto Caluiniani solent; velut:

Quod Christus iussit edere in institutione cœnæ dominicæ, id est, in sacramento:
Sed verum corpus suum iussit edere:
Id ergo est in sacramento.

Hìc multa interrogantur, & concluditur contortè. Nam verum corpus illi intelligunt quidem, sed typo signatum, ita vt edatur non ipsum, sed eius symbolum. Nos autẽ nõ quęrebamus de vero corpore quod signatur, quâ signatur, sed de vero in sua substantiã. Ita in aliis quoque loquuntur & docent verbis orthodoxorum, sed aliud intelligunt. Coincidit autem hic amphibologia, homonymia & alij elenchi.

Interdum cumulo obruitur interrogatus, & si non responderit ad singula ordine,

ne, exagitatur. Vtebantur hîc olim sophi- "
stæ celeritate verborum, longis circum- "
ductionibus, & irritationibus, quibus cõ- "
citatus respondẽs animo vacillaret, vt re- "
sponderet de alliis, interrogatus de cæpis, "
&c. Item oscitantem faciebant, & minimè attentum, &c. posteaque vrgebant se- "
uerius. Hæc etiam nunc euenire solent in disputationibus. Sophistæ itaque tales repellantur elencho multarum interrogationum: Et cogantur sigillatim aperteque proponere, & ordinem obseruare; nec interpellare aut à scopo per indirectum abducere respondentem sinantur. Ita respondens non sinendus est subterfugere per aliena, per circumductiones longas, historias, fabulas, &c. Sed continendus in præsente causa, & vrgendus vt ad syllogismos respondeat breuiter, monstretque apertè quid, & quam partem, & quatenus neget, aut concedat. Plurimum itaque inseruit hic elenchus disputationibus benè instituendis.

Plærunque à re discedi-tur ad personas; quo vitio odiosè peccant plurimum Iuristæ quos vocant, seu Aduocati.

DE METHODO.

Quid est Methodus?

Est dispositio variorum axiomatum homogeneorum, quorum quæ clariora & generaliora sunt naturâ suâ, præponuntur; quæ minus clara, & subalterna,

na, ea succedunt ordine, quodque suo. Vnde omnium inter se conuenientia iudicatur, & propter ordinem naturalem memoria comprehenditur.

Itaq; in methodo clarius præcedit; sequitur obscurius; iudicatur ordo omniũ, & ex eius ratione etiam confusio. Quod absoluta notione primum est, primo loco, quod secundum secundo, tertium tertio loco ponitur, & ita deinceps.

Quotuplex est methodus?

Vna est specie: nempe quam analyticam vulgo vocant, quæ ab vniuersalibus ad singularia perpetuò progreditur ordine naturæ obseruato. Hac methodo artes docentur. Itaque & artium methodus vocari solet.

Affectionibus verò, alia est recta integraque, alia est deflectens. Est & particularis, in quaque arte vel artis parte.

Quæ est recta methodus?

Quæ exacta constat lege, perpetuumque obseruat à generalibus ad specialia in axiomatis homogeneis ordinẽ. Et est illa quæ vnica artium instituendarum via antè est appellata.

Quænam axiomata requirit hæc methodus?

Homogenea, hoc est, ea quæ sunt eiusdem

dem generis & ad idem artis ſubiectum pertinent; veluti axiomata arithmetica omnia ſunt de numeris. Quicquid numeros non attinet, heterogeneum eſt, & alienum in illa arte.

Ex quibus argumentis fiunt talia axiomata?

Ex definitione & definito primum. Itaque in omni arte, omniſque artis membro definitio obtinet primas. Definitionem ſtatim ſequuntur proprietates, nempe propria effecta, propria adiuncta, &c. quę diſponuntur cum ſuis cauſis & ſubiectis. Inde ſequuntur diſtributiones; in quibus partes iterum definiuntur, proprietatibus explicantur, & diuiduntur, donec perueniatur vſq; ad vltimũ ſeu indiuiduũ cuiuſque, quod eſt exemplum ſpecialiſſimum, in quo vnaquælibet diſtributio deſinit. Duæ autem potiſſimum diſtributiones in artibus inueniuntur; integri ſcilicet in membra; & generis in ſpecies. Illa vbi eſt; præcedit hanc. Hæc ſequitur, diſtribuitque potiſſimum ſubiectum artis: & nonnunquam pro ſpeciebus ponuntur formæ. Vbi longior eſt ſpecierum procurſus; tranſitionis formula colligantur.

Quid eſt tranſitio?

Eſt cum in methodo vna ſpecie explicata

cata prolixius, redimus ad alteram nominando fines & initia.

Quotuplex est transitio?

Duplex est: Perfecta & imperfecta.

Perfecta constat epilogo & propositione; veluti cum dico: Hactenus de syllogismo: Est epilogus: Sequitur de methodo; Est propositio.

Imperfecta tantum alterutram partem habet, siue epilogum tantum, siue propositionem.

Explica methodum artium exemplo.

Omnes definitiones, distributiones, regulæque Grammaticæ repertæ sint, atque vnaquælibet sigillatim iudicata. Hæc documenta omnia variis tabellis inscripta vnà confundantur, & cõturbentur in hydria aliqua, vt in sortitionibus ollarum fieri solet. Hìc si quæras quæ pars Dialecticę te doceat has regulas ita confusas disponere & in ordinem redigere; primo loco inuentione nõ est opus. Iam enim omnia sunt inuenta. Deinde nõ opus est iudicio axiomatico, cum quodq; axioma probatũ & æstimatũ sit; insuper nec egemus iudicio syllogistico, quia omnes rerum controuersiæ his de rebus disceptatæ sunt & conclusę; & licet syllogismi interdum immisceantur; tamen ij sequuntur sua axiomata & conclusiones, nec ordinem indicant.

cant. Sola itaque ſupereſt methodus. Dialecticus igitur lumine methodi artificioſæ ſeliget in hac hydria definitionẽ Grammaticæ, & quia eſt generaliſſima, primo loco ſtatuet: Grammatica eſt ars benè loquendi. Tum requiret in eadem vrna proprietatem generalem; ſi qua eſt. Sin nulla occurrit; partitionem prehendet & deinceps collocabit; vt: Partes Grammaticæ ſunt duæ; Etymologia & Syntaxis. Poſtea in eodem vaſe aſſumet definitionem ethymologię, eamque adiunget prioribus; vt: Etymologia eſt prima pars Grammaticæ quæ vocum ſingularum proprietates interpretatur.

Sequetur proprietas; & definitio vocis: Vox eſt nota qua vnumquodque vocamus. Porro vocis partes ponet, quæ ſunt literæ & ſyllabæ: Inde ſpecies; vox eſt vel numeri vel ſine numero. Exitus notabit tranſitionibus; vt: adhuc de vocibus in numero, ſequuntur voces ſine numero. Singulis adiiciet exempla vltima. Atque ita omnium etymologiæ partium definitiones, diſtributiones, colligationes, exempla denique ſpecialiſſima in ſingulis diſponet: Et idem faciet in ſyntaxi.

Hanc viam omnes artes ſibi propoſuerunt.

Estne ea obseruata etiam ab Aristotele?

Est: & continentur eius præceptain libris demonstrationum. Nam Aristoteles principia demonstrationum cõstituit definitionem, causas, proprietates, & distributiones; quibus omnibus essentia rei
2.post.1. & propria explicantur. Et huc contendunt etiam quæstiones scientificæ. Nam quæstio εἰ ὅτι de subiecto disputat, idque sumit & distribuit; & non de subiecto tantum scientiæ, sed & de scientia ipsa; quam positam secat in membra, & tunc transit in notam ὅτι ὅτι. Quæstio τί ὅτι, definitionem indagat: Quæstio ὅτι distributionis partes firmat, & exemplis illustrat: Existit ergo ex quæstione εἰ ὅτι. Quæstio tandem διάτι, seu διότι quærit proprietates subiecti; easque concludit per causam æternam vniuersalem. Vnde & huic astipulatur ὅτι ὅτι. Non tamen semper quæruntur omnia. Sed vbi dubitatur de rei proprietate, quæritur εἰ ὅτι; vbi de causis; διότι, &c. In quibusdam quærimus si sit; & inuentum explicamus definitione.

Cum autem postea Aristoteles artes ipsas informat: sequitur quidem propositam methodum; sed quia interpres & inuentor disputatorque simul est; euenit vt in-

vt interpretamenta, modus inuentionis, modus iudicij, & contrariorum repudia simul sint adhibita; quæ tamen notis facilè possunt separari.

Quæ est methodus deflectens?

Quæ discedit à directo processu, seque accommodat ad circumstantias. Et hæc vocatur methodus prudentiæ, ob eam ipsam circumspectam accommodationẽ; vocatur & cryptica, vt quæ deflectendo quodammodo se occultat.

Quot modis deflectit methodus?

Tribus: Aut enim aliquid homogeneorum omittitur, veluti definitionum, partitionum, vel transitionum lumina: Aut aliquid heterogenei assumitur, veluti in digressionibus, longisque commorationibus & circumductionibus rerum: Aut ordo varie immutatur, dũ iam à medio incipimus, iam à postremo, varieque partes permutamus, citra tamen confusionem & stoliditatem, vt facile agnosci possint membra. Itaq; & digressiones nõ debent esse nimis alienæ, itaq; institutę vt quasi re tractus ad eas videaris; quãquam interdum & inopina vis cogat. Sed nec nimis prolixæ debent esse, ipsæq; reuersiones ad ordinem institutum molles. Crypsis defectus non debet esse præceps, ne saltus committatur absurdus.

Quinam potissimum vtuntur methodo prudentiæ?

Interpretes, oratores, poëtæ, historici, epistolarum scriptores, concionatores & disputatores.

Quæ est ratio interpretum?

Quod interpretandũ susceperunt, non tantum dilucidioribus reddũt verbis, sed & copiosioribus illustrant argumentis & exemplis accommodant euidenter, ita vt vsus & exercitatio appareat.

Interpretantur autem opera modo cõcisius, modo plenius: rudius eruditius p captu. Sententia verbis inclusa est. Itaque primum officium interpretis est, verba expedire. Deinde sententia redigitur ad summam quandam constantem ex quæstione & argumentis principalibus. Huic succedit analysis seu anatomia omnium membrorum, in qua etiam genera eorum logica & vires ostenduntur. Itaque sequitur interpres ductum Grammaticæ, linguæ, Rhetoricæ & Dialecticæ: Et si exemplum ad imitandum proponitur: eadem via inuenire, disponere, tractareque simile vel contrarium iubet: Sin ad discendum præcipuè, fusioribus rationibus rem firmat & illustrat.

Præterea heterogenea assumuntur, & quæ opponi poterant diluuntur. Hinc

decem

decem quæstiones rei simplicis plærunque in scholis sequuntur. Quærunt enim primum vocabuli significatum; Deinde, an sit res; postea quid sit, insuper quas habeat partes, quas species, causas, effecta, adiacentia, cognata, pugnantia.

Quæ in his spectant ad methodum & quæ exorbitant?

Significatio vocabuli abundat. Nam ad linguam, Grammaticum aut Rhetorem pertinet, & in logicis notatione expeditur. In methodo verò definitio satis aperit quid vox signet, vt non opus sit peculiari in arte perfecta admonitione.

Abundat & secunda quæstio. Nam dum experientia & vsus, vnde artium prima est origo, rem monstrat, superuacaneum est quærere an sit.

Itaque & Aristoteles ait, poni scientiarum subiecta seu sumi, non demonstrari. Præbet autem ea ansam quæstioni ὅτι. Quæstio quid sit, quas partes habeat & species, item quæ adiacentia, hoc est propria, sunt methodi rectæ. Quæstio de causis, effectis & cognatis, si proprietatem & essentiam complectuntur vel in definitione, vel propriis regulis & consectariis continentur. Aliâs abundant. Abundat & quæstio de pugnantibus.

Comprehendunt hæ quæstiones ampliſſimum omnium doctrinarum campum. Itaque potiſſimum munus interpretis eſt poſt linguarum noticiam, omnium artium, potiſſimum autem vicinarum cognitio, quæ ſapientia nuncupatur. Requiritur & in ipſo experientia potiſſimum eius artificij quod profitetur, & vſus expeditus. Nam & imitatio ad ipſum pertinet, cui ancillantur ſyntheſis operum & analyſis, quarum hæc ipſam methodi vniuerſalis vim etiam accuratius exprimit. Nam cum opus retexitur, à toto per partes proceditur.

Quæ eſt methodus oratorum?

Partes orationis.

Sex partes orationis plærumque conſtituunt; Exordium, ſcilicet, Narrationem, Propoſitionem, Confirmationem, Confutationem & Concluſionem ſeu Epilogum, qui & Peroratio nominatur.

Genera cauſarum.

Deinde omnem quæſtionem reuocant ad genera quædam cauſarum, quas in foro olim incidere deprehenderunt. Genera illa ſunt Demonſtratiuum, cuius potiſſimum ſunt laudes & vituperia, &c. ſiue res ſpectes ſiue perſonas: Deliberatiuum, cuius ſunt ſuaſiones, adhortationes, petitiones, conſolationes & ſimilia: Tertium eſt Iudiciale, in quo de iudiciis, iure, legibus, factis, &c. quæritur.

Addi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [298] - 294
PUBLIC DOMAIN

Addiderunt recẽtiores quartum quod vocant didaſcalicum, ad docendum in ſcholis accommodatum. Cuilibet autem generi propria argumenta ad theſes tractandas addiderunt; veluti in demonſtratiuo cum perſonæ tractantur inſpexerunt patriam, ſexus, natales, ingenium, educationem, diſciplinam, doctrinam, res geſtas, præmia, vitæ exitum & opinionem poſt mortem. Cum tractarunt facta, honeſtum, vtile, facile, difficile quæſiuerunt. In deliberatiuo eadem obſeruarunt quæ in factis laudandis, addito ſuaui, neceſſario, impoſſibili, &c. In iudiciali, tres inuenerunt ſtatus, ſeu principales quæſtiones, in quibus iudicium occuparetur. Status autem ſunt, primus Coniecturalis, in quo quæritur an ſit; & argumentorum loco conſideratur voluntas & facultas: Voluntas diuiditur in impulſionem continentem affectus; & ratiocinationem à cauſa finali. Secundus ſtatus eſt Iuridicialis, in quo quæritur, quale ſit factum, iuſtúmne an iniuſtũ. Argumenta hìc ſunt natura, lex, cõſuetudo, æquum, bonum, iudicatum, pactum. Accenſentur his ſtatus legales quos obſeruant Doctores in interpretatione iuris. Sunt autem, definitio, leges contrarię, ſcriptũ, ſententia, ambiguũ, ratiocinatio,

Demonſtratiuum.

Deliberatiuum.

Iudiciale. Status.

Coniecturalis.

Iuridicialis.

Status finitiuus ſeu legitimus.

translatio. Hos dicunt oriri ex quæstione quid sit.

Didascalicum. In genere didascalico si simplex est quæstio decem vtuntur locis in officio interpretis dictis; sin coniuncta, hoc est axioma; argumenta petunt ex inuentione logica.

Exordia. Notandum autem est oratores in exordiis parare sibi viam ad causam, & auditores reddere attentos, beneuolos, dociles. Quin exordium cum vestibulum orationis sit, quasi parua oratio est item continens suum thema & argumenta. Interdum à thesi procedit ad hypothesin; hoc est generalem quæstionem tractat, indeque paulatim discedit ad specialem, quæ & principaliter fuerat proposita. Continet interdum & affectus. Omnino vel homogeneum est propositioni, vel heterogeneum, quorum illud præbet res ipsa; hoc etiam vndelibet sumi potest.

Narratio. Narratio in aliquibus continuatur, vt in genere demonstratiuo; vbi tamen sententiæ aliaque argumenta insperguntur. In aliquibus pauca est; in aliquibus omittitur.

Propositio. Propositio si simplex & vna est, simpliciter ponitur. Sæpe tamẽ in membra diuiditur.

ditur. Sæpè ea est causæ κρινόμενον, hoc est, cum oratione aliquid obtinere quodam argumento volumus, idque cum quæstione syllogismo includimus; aliqua antecedentis pars est contingentis veritatis, & plærumque assumtio. Circa eam tota lis hæret; & si probata fuerit, causa euicta est; vt in Miloniana syllogismus est:

Qui vim vi repulit vel iure interfecit aduersarium absoluendus est.
Milo vim vi repulit, &c.
Absoluendus ergo à cæde est.

In assumti probatione occupatur tota causa. Itaque & hoc potissimum proponitur, & status controuersiæ vocatur.

Confirmatio.

Confirmatio sumit argumenta ea quæ rhetores in singulis generib. annotarunt. Non raro omnis generis comportantur documenta ex topicis logicæ. Ex iisdem sumuntur & amplificationes argumentorum; & potissimũ copiæ inseruit distributio. Notatur hic, vt quia ad victoriam omnia referunt, firmissimum quodque primo loco ponatur, dum tamen ea quæ æque excellunt seruentur ad vltimũ: mediocria coniiciantur in turbam mediam.

Confutatio ea diluit, quæ aduersarius obiecit, aut obiicere potuit. Non raro prolepseon forma inter alias partes tractatur, & Cicero etiam exordio aliquan-

do immiſcuit confutationes. Ad eam pertinent excuſationes, & apologiæ.

Epilogus euidentiſſima cauſæ argumẽta repetit paucis & cum ſingulari emphaſi additis etiam affectibus, & tandem concludit. Interdum & conſequens quæſtionis principalis addit. Hæc obſeruari ſolent ab oratoribus. Hodie apud nos in foro diuerſiſſima eſt ratio vel pro diſpoſitione Cameræ imperialis vel more cuiuſlibet reipub.

Quæ in his attingunt methodum rectam?

Exordium exotericum ſeu heterogeneum abũdat. Quod vero homogeneum eſt & quæſtionis generalia continet, aſſequitur rectam methodum. Perinde enim eſt ac ſi à generalibus ad ſpecialia deſcendiſſes diuidendo. Theſin ſequuntur argumenta confirmationis tanquam genus ſpecies. Nam latiſſima eſt theſis, cum ad eam omnia contendant argumenta. Si diuiditur, & ſingulæ partes ſuis argumentis explicantur; item methodus recta adumbratur. Narratio vbi eſt, nihil aliud eſt quam explicatio quæſtionis per cauſas & circumſtantias. Itaq; pro hypotypoſi ſeu definitione quadam eſt, & methodum attingit. Confutatio heterogenea eſt. Itaque digreſſionem in methodo prudentiæ

tiæ repræsentat. Epilogus item est superuacaneus, ad crypsin pleonasmi pertinēs. Generum quibus subiiciuntur causæ, inuentio, speciem quidem methodi habet; sed in foro potius valent quam aliàs. Itaque & plærunque opera luditur & frustrà sudatur in omni quæstione generib. subiicienda. Rectius eæ suis asscribuntur artibus.

Quæ est poëtarum methodus?

Propter licentiam multiplex. Lyrici poëtæ plærunque thesin certam habent quam argumentis suis demonstrant. Et interdum præmittitur thesis; interdum sequitur; quæ est inuersionis methodus. Satyrici liberius omnia dicunt; & non raro confundunt varia prout suppeditant mores. Solent tamen & hi theses suis argumentis confirmare; sique paulo accuratius scribunt, tacitè satyras in certas digerere classes: quasi integram orationem diuisissent in membra.

Comici à protasi quæ negotiū ꝓponit, ad epitasin pueniunt, quę firmationes, cōfutationes, variaq; pericula & dubia continet. Inde sequitur catastrophe. Præmittitur illis prologus. Possunt hæc membra dici comœdiæ integræ. Possunt & ad oratorum modum accommodari. Prologus enim vice exordii est; & interdum crypsi pleo-

Pleonasmi abundat. Protasis est propositu & propositione. Epitasis confirmationis argumenta & confutationem continet. Itaque partim erit homogenea, partim heterogenea. Catastrophe est homogenea, vtpote deducta ex præmissis causis. Eadem methodo incedunt & Tragici, nisi quod apud hos catastrophe est truculenta, & tristis; antecedentes partes lætiores: apud Comicos antecedētia sunt tristia, & catastrophe placata lætaque. Inter hæc interiicitur tragico comœdia. Omnino res fabularum digerūtur in actus & scenas obseruatis in his illis partibus.

Epici Poëtæ more homerico in longo opere à medio incipiunt, indeque redeunt ad principium & tandem addunt vltima, quod Horatius probauit, & imitati sunt Virgilius, Silius, Vidas, &c. Interdū partiuntur opera sua in aliquot membra, vt Virgilius Georgica, &c. Elegiaci & epigrammata; epithalamia, epicedia, &c. scribentes lyricos sequuntur.

Quid in his congruit cum methodo recta?

Distributio integri poëmatis in membra, siue id expresse fiat, siue tacitè. Congruunt & transitiones. Ita cum Thesis arguitur argumentis ordine; adumbratur genericus seu vniuersalis ordo tendens ad

ad ſpecies. Digreſſiones autem hîc ſunt multæ; multæ etiam omiſſiones. Ita Virgilius, etſi in quàtuor partes diuidit Georgica; tamen partes integras non perſequitur vſque ad indiuidua.

Quæ eſt methodus diſputatorum?

Qui problemata proponunt, plærumque ordine artium à definitione incipiũt & diuidendo procedunt. Euenit tamen vt pugnantia inſerant confutentque vbi licet. Vitioſum hic eſt vti exordiis, Epilogis, tranſitionibus, &c. Aliquando obſeruant decem quæſtiones vulgares: Aliquando vnam theſim argumentis firmant pluribus: Aliquando certa conſtituunt membra. Qui verò non proponunt certam rem diſceptandam, vt olim Sophiſtæ, Stoici, Peripatetici, quod cuique in mentem venit arripiunt ſine ordine rerum.

In arguendo tamen ſyllogiſmis vtũtur, & in his ordinem vel rectum vſurpant, vel crypticum. Opponens ſeu interrogans heterogenea & aliena à theſibus vel ſententia affert; reſpondens repetit obiecta, & confutat.

Peſſimæ digreſſiones hîc ſunt, quæ omiſſis rebus præſentibus in planè alienas rapiuntur, quæ impertinentes vocantur, & crebro hoc nomine à præſide vel reſpon-

ſpondente repudiantur; Infeliciſſimæ omnium hæ; quæ item omiſſis præſentibus rebus feruntur ad crimina & conuitia perſonarum, tandemque conſerunt manus, & armis loco argumentorum certant. Hoc nihil aliud eſt quam confundere omnia & planè amethodicum eſſe.

Quid ex diſputationibus iſtis methodum rectam aſſequitur?

Proceſſus à definitione per diuiſionem ad vltima vel aliquo vſque. Item partitio integri in membra. Ita in ſyllogiſmo frequentius propoſitio eſt generalis: inde ſequitur aſſumtio & concluſio, &c.

Quæ eſt methodus epiſtolarum?

Quæ accuratius ſcribuntur ad oratores accedunt. Quæ neglectius, vt ſunt familiares rudius diſtinguunt membra, & ſæpè reuertuntur ad priora, quaſi ſine methodo eſſent ſcriptę. Nam epiſtola eſt ſermo abſentis cum abſente fungens colloquii præſentis & familiaris officio. Illud autem varium pro occaſione, rebus & animis. Semper qui diligentius ſcribunt, membratim ſcribunt, etiamſi non appareat ordo conſequentiæ, quo alterum ex altero naſcatur. In omni eſt inſcriptio quæ eſt externa: deinde membra quædam interna, in quibus eſt ſalutatio, res ipſa, & valedictio. Res ipſa diſtinguitur

Notæ familiares epiſtolæ elegantiores ſunt, quæ videntur neglectim ſcriptæ, interim tamen certa habẽt membra collectis homogeneis in vnum locum, & certum ordinem.

tur vt ante dictum est. Partes transitiunculis aliquando notantur. Si responsorias concinnamus, plærumque sequimur ordinem eius cui respõdemus, qui frequenter est arbitrarius. Aliquãdo à re sumitur. Scribunt & poëtæ epistolas eadem methodo prudentiæ; Poëticè tamen argumentis licenter vsurpatis auctisque.

Quæ methodus historicorum est?

Vniuersam historiam partiuntur in membra quædam, siue secundum annos, siue gentes, siue rerum gestarum capita, siue personas. Membra postea ipsa explicantur ordine dictorum factorumque obseruata homogenia aliquo vsque, ne fiat confusio alienorum. Si desitum est in aliquo, & interiecta historia alia; exitus & reuersiones solẽt indicari transitionum formulis.

Ita in libros & decadas suam historiam diuisit Liuius & has partes minutius rerũ gestarum capitibus distinxit. Alii consulum & imperatorum tempora secuti sunt, vt Plutarchus & alii multi. Herodotus nouem libris expediit sua; & eos subdistinxit rebus barbarorum in Persia, Media, Ægypto, &c. & rebus Græcorum. Annorum seriem secutus est Funccius. Gentium diuersitatem Philippus & Peucerus

cerus. Sigonius texuit historiam secundum respublicas, Romanam, Athenienſem, Spartanam, Hebræam, &c. In alio opere regnum Orietale & Occidentale est secutus. Omnibus tamen astipulantur temporum sectiones; vt ita vniuersalis methodus à toto ad partes progrediens non negligatur ab historicis. Si poëtæ historias scribunt, quia ad oblectamentum & fructum Ethicum spectant potius quam ad rei gestæ veritatem & ordinem; maiore quidem vtuntur licentia, sed nec hæc planè caret methodi euidentia, vt in Homeri Iliade, & Odyssea. Item Virgilii Æneide, &c. videre est. Lucanus historiæ fidem & ordinem obseruat strictius. Ouidius in metamorphosi liberior est; vtpote in opere sparso. Veruntamen ita connectit fabulas, vt ordine quodam naturali altera nata videatur ex altera. In fastis menses & dies obseruat: Et omnino omnes libros librorumque intersectiones quasi integrum in membra partirentur cõcinnè & naturali velut ordine connexa, sequi & obseruare conantur.

Qua methodo concionatores incedunt?

Plerumque oratorum via; interdum & interpretum. Legunt textum Biblicum. Hoc est integrum. Huius recitant summam

mam vel ſtatim, vel præmiſſo exordio; quod ſumitur vel ex theſi generali, vel ſimili aliqua ſententia aut hiſtoria, vel more oratorum ex quauis occaſione, quod etiam tractari poteſt per argumenta ſua & theſin tanquam oratio parua; & ſyllogiſticè exponi, vt ſit in eo theſis, propoſitio, aſſumtio & harum probationes cum antitheſi. Summa autem illa nihil eſt aliud quam imago & adumbratio integri apertior, vt conſpici membra poſſint, & aliquando pro narratione rhetorum ponitur. E ſumma exurgit propoſitio, quæ ſi ſimplex eſt; membratim ſtatim diuiditur, ita vt ab vno membro fiat tranſitus ad alterum. Membra autē ſunt potiſſimum argumenta, ſi arguunt theſin firmando vel explicando ad ſeriem quæſtionum decem, vel topicum ordinem; ſin hiſtoriam perſequuntur; partes ſunt diſcretæ, quas ita ſolent tractare, vt doctrinæ inde colligantur ad ſcientiam, ad conſolationem, ad correptionē, &c. Si multiplex eſt propoſitio, quod tunc fit, cum non hiſtoriæ decurſus obſeruatur, ſed ex hiſtoria excerpta quædam capita principalia; hæc ſtatim diuiſa proponuntur, ordineque abſoluuntur, ſed hoc artificio, vt ipſa tacitè in membra quædam ſint ſubdiuiſa, vel argumenta & quæſtiones attendendo, vel

capita doctrinarum. Ita prolixæ concionēs facile memoriæ mandantur. In fine concionum additur Epilogus. Generatim etiam omnis incipit à precibus & in iisdem desinit.

Quæ est particularis methodus?

Est methodus accommodata ad artes particulares, artiumque membra. Eiusmodi est Arithmetica, Geometrica, &c. Item Topica, critica, diuisiua, definitiua, causalis, &c. axiomatica, syllogistica. Topica incedit eo ordine quo inuētio logica est tractata; Critica eo, quo iudicium, hoc est, illa per causas, affecta, subiecta, adiuncta, diuersa, oppositа, comparata, coniugata, notationes, diuisiones, definitiones & testimonia procedit in inueniendis argumentis quæstionum; quo pacto fieret, si de homine tractares, & ordine per illa argumenta incederes.

Quomodo incedit critica?

De axiomatis quęrit ordine affirmationē negationem, veritatem falsitatē, contingentiam necessitatem, simplicitatem compositionem, generalitatem particularitatem, &c. De syllogismis item præscripta artis lege primum cōsiderans simplicitatem, compositionem, postea membra & argumenta; item affirmatum negatum, figuras, &c. Sic in methodo proce-

di

di potest vt interrogemus sitne methodus aliqua, & quæ sit, recta vel deflectens, & quomodo sit instituta.

Quomodo causalis & reliquæ?

Omnes hæ secundum generalem tractationem logicæ in singulis argumentis; vt in causis quæritur primum de efficiente, postea de efficientis modis; inde de materiali, formali, finali, &c. In definitione indagamus modum constituendi definitiones vt primum genus, deinde formam, & quæ sunt formæ loco; de consentaneis, de dissentaneis, & omnino de perfecta & imperfecta definitione, quomodo sit cõstituta. Ita de diuisiua est. Exploramus enim sitne res diuisa; & qua arte, qua specie, &c. Neque hîc quicquam est aliud quam genesis, & analysis exemplorum ad seriem & modum præceptorum institutæ.

FINIS DIALECTICÆ,
Deo gloria.

Cicero in 4. Acad.

NEscio quomodo plærique errare malunt, eamq; sententiam quam adamauerunt, pugnacissimè defendere, quam sine pertinacia quid constantissimè dicatur, exquirere.

NOTÆ

NOTÆ AND. LIBAVII

IN DIALECTICAM P. RAMI, QVIBVS RIGOR ET PERTINACIA *Ramæorum insolens in artium informatione redarguitur.*

PRÆCLARAM admodum & nunquam satis laudandam in artium constitutione, illustrationeque operam acutissimo vir ingenio, PETRVS RAMVS posuit, dum DIALECTICAM, vnicam benè vtendæ rationis humanæ regulam, ea eloborauit solertia, vt nunquam fuerit castigatior, factaque sit eius informatio aliarum scientiarum similiter tradendarum exemplum & norma. Verumenimuero, quanquam is sibi nihil diligentiæ, nihil experientiæ & industriæ, quo quidem in ea re vtendum esse iudicauit, fecerit reliqui, creditusque

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [313] - 309
PUBLIC DOMAIN

à multis sit logicam planè consummasse, omnibusque perfectam edidisse numeris, defendentibus eius studium ob id acutissimis logicis, & Aristoteleis nihil ferè; illi vero omnia absoluta, adeo vt etiam vocabulorum minutias in illo mordicus retinere conentur, nec possint permittere exorbitasse alicubi magistrum, aut dormitasse, tribuentibus: maxima tamen eruditorum pars est, cui nec Ramus, nec Rami asseclæ pertinaces possunt vnquam satisfacere, deprehenditurque multum deesse illi, quam iactitãt Ramæi, ἀκριβείᾳ.

Primo enim quo artium constituendarum vtitur fundamento, id conuellitur quadamtenus à plærisque, non friuolis inanibusve, sed splendidis admodum argumentis, quibus euincitur P. Ramum non sat castigatum circumspectumque vsurpasse elenchum, dubio illo, quod loco principii sibi arrogauit.

Putat ille in artium præceptis nullum esse debere, quin sit exactè constitutum ad præscriptum trium regularum seu potius notarum quas Aristoteles in axiomatis scientificis & demonstratiuis adhibuit iudicandis. Sunt autem eæ κατὰ παντὸς, κατ' αὐτό, καθ' ὅλου πρώτου. Hic certum quidem est Aristotelem illas notas posuisse

De logicis sunt nobis trib. axiomatis

fuisse. Sed in incertissimis relictum est primum vtrum ille ipse autor omne artis præceptum voluerit ad eas compositum; an saltem axiomata scientifica, seu theoremata quædam. Vtrum item ita accommodauerit explicaueritque an vero non. Si exquiras, huc potius quam ad Rami latus acclinat veritas. Etenim ipse autor istarum Notarum non tantum catholica ἁπλῶς demonstratiua facit, sed & τὰ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Ita enim scribit in 1. post. 24. Fortuitorum non est demonstratio, quia nec necessaria sunt, nec vt plurimum. Demonstratio autem est vtriusque horum, &c. Et in 2. post. 13. Itaque Aristoteles eas regulas latius accipit quam Ramus, quod & demonstratiua exempla indicant. Deinde si cõstet philosophũ à Rami mẽte nõ dissentire, nihilominus quæstio est, debeatne illi prodesse autoritas huius quẽ in aliis tã acerbè & penè scurriliter insectatur, eluditq;. Certè Ramus in Aristotele probat & repudiat pro arbitrio quicqd placet, nec si aliter interpreteris, ipse admittit. Vt itaq; verum scripserit is philosophus, tamen id à Rami latere stare non potest. Sed & benè scripserit Aristoteles, & planè ex sententia Rami; liceat etiam eidem hac vti autoritate; tamen περὶ δυνάμεως ingens re-

ſtat dubium. Cum enim neque ipſe Ariſtoteles in inuentione artiũ, & iudicio declarationeque, neque alii eum ſecuti, imò ne Ramus quidem exactam earum legum potuerit obſeruare rationem; conſequens eſt nullum artificem aſſequi eas poſſe. Quod ergo præſcriptum illud eſt, quod ne ſi velis quidem, adhibere queas? Ariſtotelem autem non accommodaſſe præcepta omnino ad illas leges, luce meridiana clarius eſt, teſtanturq; ipſi Ramæi verum, quanquam nimiam ſibi permittant in iudicando, licentiam omni penè axiomati & pronunciato Ariſtoteleo peccati notam appingentes. Idem iudicium eſt de aliis. Nemo enim quicquam ſapere permittitur, niſi Ramæus ſit, quod arguit tot diſputationum & animaduerſionum in omnem autorem turba. Ipſos vero Rami aſſeclas, quanquam videri velint, tamen nunquam ne in ipſa quidẽ logica, id obtinuiſſe, palam faciunt tot odioſæ ipſorum inter ſe de vna logica digladiationes. Si proponas in mediũ axioma quoddam ad iſtas regulas iudicandũ; pomum Eridis proponis. Hic enim iudicabit κατὰ παντὸς, alius κατὰ μέρος, & ſic deinceps, vnuſquiſq; prout ſcit, vel ſcire ſibi videtur. Magno iudice obtinẽdum eſt ſi certũ & immotum abſolutè quid cupias: quin id eſt vltra hominem

minem. Cum enim vt aliquid iudices certum è lege illa triplici, omnium exacta requiratur noticia, hæc autem excedat captum humanum: aqua in iudicio hærebit perpetuo. Non curo quid tu scias vel iudices, sed quid tibi sciendum & iudicãdum sit, si velis rigorem regularum sequi, inquiro. Apertum itaque est quam morbida sit causa Rami, & totius factionis, nisi de pertinacia remittere quid velint. Ita verò mihi moderanda videtur ratio, vt illi solent qui ad ideas sua componunt, quarum exemplum absolutum fingas citius, quam monstres. Propositas nobis velim illas regulas tanquam scopum, ad quem sint dirigenda tela. Si assequaris, ad vnguẽ; est quo solidè glorieris. Si nõ queas; contendas non procul abesse.

Præter hoc fundamentum vtitur Ramus etiam historia, inductione, experientia, sensu, &c. Et præcepta ita instituit vt in vsu singularium exemplorum inuenit, putatque se solido, & planè irrefragabili niti iudicio. Genere consentimus omnes, quod quidem attinet præceptorum inuentionem quo ad nos, vt loquitur philosophus. Verè enim id præceptum legitimum est quod vsus experientiaque & ratio ipsa comprobat euidenter. Sed cum Ramus in vsus & experientiæ declaratio-

ne sit priuatus, & scientia prima catholica artiumque informatio à prioribus naturâ seu vniuersalibus procedat, quæ sunt in mente non in sensu : conuellitur & hoc fundamentum. Plæraque ille iudicat ad vsum poëtarum, oratorum, & historicorum. Nonnunquam obliquè etiam Aristotelem adducit. Si ipsas artium ab ipso mundi exordio constitutiones, & peripateticam tot annorum consuetudinem, quin & Socraticum Academicumq; cites morem, & quæ interpretes tot præstantissimi proposuerint, item afferas ; si ad scholasticas disputationes, ad colloquia familiaria, & alia vsitata confugias ; si denique artes è priore natura deducas ; non patitur Ramus. Poëtarum, oratorum, historicorum scripta præfert omnibus, & non quod sensui in genere & historiæ καθ' ὅλου placet, sed quod suo sensui iudicioque excerpit. Interdum vbi lubitum est, & poëtica licentia nutat, ad suæ rationis, non autem ad communis, accurrit tribunal, & statuit non quod pronunciare poterant plurimi sapientes, quod vult Aristoteles, sed quod sibi videtur, siue consentiant alij, siue dissentiant. Sed dona hoc Ramo, vt liceat statuere de præceptis logicis ex vsu poëtarum, oratorum, & historico-

ricorum ſuo iudicio expoſitorum : de aliarum artium materia vnde erit iudicium faciendum ? Dicet ex conſtituta logica : Inquam ego , nihil logicum eſſe ſecundum has , niſi quod his primùm ineſt. Nam inductio à particularibus artibus procedit ad vniuerſalem; & ſunt illæ natura ſingularitatis ſuæ priores , hæc poſterior. Si ergo ita conſtituere volebat logicam Ramus , vt vſus particularium artium habet ; cadet cauſa. Non enim ea emerſiſſet logica , ſed peripatetica. Sed & hoc interrogemus. Omnes poëtæ & oratores qui interceſſerunt Ariſtotelem & Ramum , nulla alia agnoſcunt præcepta præterquam Ariſtotelea. Ramus certè Ariſtotelem carpere potius quam ſequi videtur. Ipſorum iam autorum voluntate & iudicio non Ramæa conſtitutio , ſed Ariſtotelea valebit. Ipſa item exempla illorum autorum dubiæ ſunt accommodationis. Alius enim ſic exponit ; alius aliter : ſuntque tot analyſes, quot commentatores ; quod qui credere non vult , ille centum Ramæos & totidem Ariſtoteleos ſeorſim concludat, proponatque idem opus retexendum ; tot modos inueniet, quot capita. Quantæ iam incertitudinis eſt ex operibus poëtarum & oratorum neglectis

Analyſes diſſimilimae eiuſdem operis.

arti-

artificum priorũ præceptis, velle extruere artes? Quam verò absurdum est repudiare philosophiæ antistites & magistros logicorum præceptorum non auscultare, sed tantum à poëtis, oratoribus, historicis eorũ discipulis pendere? Cui maior fides est, poëtæne an præceptori? Interpretes & præceptores veteres nõ audit Ramus, poëtas audit. Horum exẽpla tolerat, quæ artifex finxit abiicit. Meliúsne finxerit poëta quam artifices & interpretes exercitatissimi? Schramus. Proposuit sibi Schramus, & alius quidam, eandem Rami viam; sed quę pepererunt monstra? Si omnino ex orationibus Ciceronis & aliorum erat extruenda ars generalis, cur non ea, quam ipse autor Cicero exposuit, & non alia, sed sua præceptą est secutus? Gentium conspiratio aduersatur Ramo. Qui artifices ex veterum modo euaserunt præclari; suo exemplo confirmant, satis commodam esse illam ad humanam societatem conseruandam iuuandamque methodum. Quid opus est fatigare ingenia nouo modo? Autor Ramus suam ipsius labefactat censuram, dum alicubi poëtas & oratores sequitur, alicubi planè negligit; & modo sua commenta digerit, modo ab aliis aliquid abradit, & quidem ab his quos exagitat magna cum iracundia. Quæ explicare

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [320] - 316
PUBLIC DOMAIN

plicare & ad sibi propositã amussim sempiternè fixam flectere non potest, more poëtarum omittit, negatque in arte habere locum. An non hoc est insolentiæ non ferendæ? Eiusmodi est etiam in terminis artium, vt vocant, eligendis, in quibus assectæ eius ad stulticiam vsque sunt pertinaces. Rameæ argutiæ non sunt tanti, vt tot seculorum consuetudo in artibus, quibus non minus inseruitum est generi humano ac hodie, sit immutanda tam insolenter.

Moderatio sententiæ.

Ego in hac quoq; contentione aliquid desiderem moderationis, ne scilicet omnia adimãtur veteribus, nec omnia donentur Ramo.

Modum rerum & artium explicandarum quod attinet; is ob circumstantiarũ multitudinem & diuersitatem ingeniorum comprehẽdi non potest. Videndum non quid factum sit, cuius circumstantiæ omnes nos lateant, sed quid rectè fieri debuerit, si regulam per se spectes. Certè quem modum in artibus tradendis obseruarunt veteres; is non multum abludit à Rameæa industria. Requirit Ramus præceptorum tractationem nudam & propriam ex lege methodi & iudicio axiomatum scientifico, prout & ipse princeps philosophiæ Aristoteles statuit. Commentá-

mentatori frenum tam rigidum non iniicit, vt non possit suo vti arbitrio, & ad circumstantias se accommodare. Veteres commentaria miscuerunt præceptis. Inde euenit vt legem veram sequi volentes, non vsque adeo obseruarint. Esse autem illam quam Ramus nudè proposuit, omnium seculorum autoritate potest comprobari ne quid dicam de ratione recta. Quæstio nunquam deciditur, si spectare velis quomodo hic, quomodo ille accommodet exempla. Si tibi licet sequi tuum arbitrium, cur non & Ramo, qui tamen suum coniunxit cum vsus optimi constantia? Quis tam vesanus est, quin, si temporum processus ostendit aliquid probius, enucleatius, rectius, hoc amplectatur paulatim deposito illo? Quæ ars sibi vnquam nomine vetustatis potuit præscribere? An non in vestiaria, & reliquis subinde excogitat aliquid ingeniosius ipse vsus? Philosophi hoc axioma est, posterioribus priora semper esse rudiora; & ipse agnouit in logicis suam imperfectionem, dum principij inuentionem sibi tribuit, aliis relicta cultura. Nec refert si multitudo ita statuit. Ex multorum sententiis multis eligendæ sunt constantissimæ & optimæ, & hæ sequen-

quendæ. Non legendi autores, sed eligendi, nisi sint castigatissimi. Quod rectum constansque est, amplectendum est, etiamsi vnus duntaxat profiteretur.

Recentes profecto multa in pulpitis suis cum docent Dialecticam, declamant de subtilitate præceptorum & aliis. Vsus eorum vbi? In disputationibus vix ferunt syllogismum. Nam & eò peruenit apud quosdam, vt sententiosè, non syllogisticè proponant sua; responsiones verò sumant non è logico penu, sed vndecunque. In aliis operibus sequuntur præscriptum oratorum, poetarum, historicorum, eò peruenientes amentiæ, vt negent Dialecticam esse ministram artium omnium ratione inueniendarum & iudicandarum. Interpretes quam friuolè nugantur?

Elaborarunt veteres in inueniendo. Nos decet è singulorum inuentis optimis, artium integritatem colligere. Huius illiúsve imbecillitas non debet rerum luci, incremento & profectui posterorum veritatique obstare. Quæ præcepta oratores confinxerunt, ea ipsi ad forensia negotia accommodarunt; nec sunt purè logica, vt nec purè rhetorica, sed communis vsus artium plurium. Vnde

Rhetorum præcepta

& ipsi

& ipsi dicunt non posse nec debere de omnibus præcipi in arte oratoria, de quibus professio est oratoris. Quis hoc paradoxum ferat, si ipsorum institutum sit prò arte syncera nudaque acceptandum? An nõ ars est principium artificialium? Principium in arte quod nullum habet, idne queat artificiosè tractari? Aristotelica Ramus repudiauit, sed non omnia, verum ea quæ vsum habent nullum, nec experientia probantur, suntque luxuriantis ingenij speculationes. Id non Ramus tantum statuit, sed & Viues, Rhodolphus, Cæsareus, Philippus & reliqui qui non Organum inculcant ita vt scripsit Aristoteles; sed electum, excerptis præceptis frugiferis. Alioquin Ramus sana omnia quæ sunt apud Aristotelem, & ipse habet, & libenter eius testimonio comprobat. In voculis ne simus tam inuidi, & interpretes maligni, quin si quid castigatius dictum à probatis autoribus est, id velimus à nobis quoque obseruatum. Quod si lis ob eas est; loquamur sanè vt volunt qui disputant. Temerè rixamur de voculis vbi rerum certi sumus. Sed & Rami sectatores admoniros velim, ne adeo superciliosè & insolenter in artibus dominentur. Non omnia debemus poëtis, historicis, oratoribus. Est sua laus etiam artibus

ipsis

ipsis ad docendum aptatis ; est sua etiam eruditis disputationibus, colloquiis, epistolis. Multa dicuntur in corona philosophorum acutè & aptè, quæ fugiat poëta, orator, historicus. Multa adolescentibus traduntur, quorum vsus non in istis duntaxat est, sed in multis conuersationibus. Condonandum itaq; aliquid huic quoq; consuetudini est; non omnia innouanda. Omittere quæ placent, & inserere quę videntur ratione sua, quã est superbi dominij? Futiles argutias ad excusanda magistrorũ errata proferre, est cuiusuis. Atqui & nos scimus quid distent ęra lupinis. Negas in arte ponendas esse regulas & consectaria præceptorũ, quia tautologian metuis. Atqui tuus magister non raro vel interpretamenta alieniora immiscuit, & cõsectaria sæpe addidit. Si vno in præcepto id iustum est, cur non in omnibus? Vbi tu aliquid repetiuisti, quod tautologian sapit, σοφὸν φάρμακον in promtu est, factum scilicet istud esse speciali accommodatione è præcepto generali. Si hoc est iuris, quid obstat quin omnes generales doctrinas repetamus in specialibus? Si tibi id licet sine tautologia, quid succenses nobis? Sed & non raro dicis hoc consequi ex illo. At nemo id viderat, nisi tu monuisses: Et sæpenumero etiam miramur acumen,

quo consequens id ponis quod tamen qua ratione sit consequens non apparet. Patere quæso nos regulas attexere præceptis, & sic inseruire discentibus. Tibi liceat breuitati studenti incurrere obscuritatem, qua nota non parum infamis est Ramea diligẽtia: Nos malumus cum mediocri prolixitate perspicui esse, quam σκοτεινοί. Ramus sæpè plus indulsit affectui quam rationi. Non est is idoneus ad præcipiendum magister. Hæc adeo sunt fundamenta Rami. Sed & in logicis vbi videtur dormitasse, indicemus, nõ quidem ideo quasi repudiemus omnia, sed vt rigidos aristarchos ad humanitatem flectamus, ne sibi indulgeant omnia, nobis verò nihil.

obscuritas Ramea

Definitio Dialectica. (Ars plantatoria etiã est ars benè disserendi. Cum item hæc definitio congruat particularibus artibus è logica instructis; logica sit genus, aliæ species, &c. dicũt quidã.)

Definitur Dialectica quod sit ars benè disserendi. Non dico contendere inter se Rameos de hac ipsa definitione, vnde apparet potius contentiosam esse, hoc est sophisticam, quam scientificam, ipsorum iudicio è facto elucẽte; sed interpretationem additam noto. Ait enim Ramus: quo sensu logica dicta est. Dicite censores, an non hæc interpretatio abundat? Estne ea præceptum, an præcepti declaratio? An non commẽtum? Si ego simili modo adderem; quanquam veteres Dialecticã tantum eam dixerint, quæ de contingentibus

seu

seu mutabilibus ageret; iniquum me appellares. Ita si dicerem, ab Aristotele eam integram variis partibus quibus diuersa sint nomina explicari, item me delirare assereres. At qui minus ius mihi est quam P. Ramo? Vsfit Ramum quod plærique logicas artes, quas dicendi nominant, trino numero continerent, & Grammaticam, Rhetoricamque vnà comprehenderent, in quibus tamen Dialectica κατ' ἐξοχὴν nonnunquam logica sigillatim appellabatur. Hanc suam iram voluit tancito præcepto diluere. Hinc illæ lachrymæ. Hæc origo illius additamenti: quanquam eius sectatores sputum quoq; magistri lingentes, nescio qua sanctitate dictum excipiant.

Commentatio addita argumenti definitioni.

Ita vbi definitum argumentum est, annotatio, seu commentatio adiicitur: Quales sunt singulæ notiones seu rationes solæ & per se consideratæ. Intelligamus ergo & nobis licere, si addamus; Ciceroni vocem Argumenti vsurpatam angustius, hîc generalius accipi de conceptu illo quem philosophus vocat simplicem, eumque in arte generalissima, generalissimum, ita vt non Enti tantum tribui possit, sed & fictis rebus, quanquam nihil est vspiam, quin fingi simile possit: adeo vt hoc

iudicium potius ad confusionem artium valeat, quam discretionem, contrà ac Ramus volebat.

Primum argumentum. Primum argumentum definitur quod est suæ originis. Non accuso. Sed si dixissem, quod nullum habet prius; seu quod à nullo oritur alio; reprehendisset me Ramus, quia negato & ob id heterogeneo fuissem vsus. Atqui negata talia æquivalent affirmatis, distantque non sententia, sed verbis. Et ipse magister Ramus negatione vsus est aliquoties, vt in testimonio, &c.

Consentaneum. In consentaneo non additur, quod cõsensus quidem in quatuor argumentis sit principaliter; sed qui inde se dilatet & extendat etiam ad comparata & orta: vt appareat ratio cur & in illis alterum alteri insit, nec iudicet adolescens nullibi consensum & cognationem esse nisi in causa, effecto, subiecto & adiuncto.

Affectio. In argumento quoque vtiliter moneri poterat de affectione stabili & mutabili; quod quanquam semper causa afficiatur effecto; tamen in exemplis vnde extructa sunt præcepta generalia, quędam afficiantur perpetuo, quædam mutabiliter. Hinc emicuisset fundamentum necessitatis & contingentiæ, sed magistro licuit quædam præterire.

Dum

Dum item argumenta nominãtur singulæ rationes solæ & per se consideratæ; non alienum fuerat addidisse, illas rationes interdum in integra sententia esse, vt in comparatis; interdum in vnica nota, quamquam pluribus verbis enunciata, vt in simplicibus, &c. Id lumen attulisset cõparatis è simplicibus, ostendissetq; fundamentum distributionis. *Rationes.*

In explicatione causæ non præceptorẽ tãtum sed & cõmentatorem agit Ramus. Nam ait primũ locum esse causam. Quis hoc non videbat? Deinde fontem omnis scientiæ nominat, quæ est proprietas causæ; additq; interpretamentum valde ταυτόλογον dũ dicit; *Scire demum creditur*, &c. quod nihil est aliud, quã causam esse sciẽtiæ fontem; q.d. ex causa scire dicimur; ne quid omissum sit, adiicit & versum Virgilij. Itáne licet præcipere? Itáne præcepta sine violatione legum & methodi possunt illustrari, & tu reprehendis cum Philippici addunt maximas? Vide ne parum æquus sis iudex. Atqui assunt χρησφύγετα frigida huic magistro, quibus defendi possit. Si licet vnum præceptum poëtico versu, & communi sententia confirmare, quid ni & reliqua? Quæ est huius loci prærogatiua? Philosophus ait etiam aiam scientiam esse præter demonstrati- *In causa Ramus copiosè commentatur.*

uam, nempe principiorum, & aliorum argumentorum, cur hoc omittitur? Sed & cur in scientificis axiomatis dicitur scientia esse fructus necessarij affirmatique iudicij? An omne necessarium fit ex causa & effecto? Sed & quam multæ causæ non sunt scientificæ? De forma & materia, imo potius genere & specie, integro membris, definitione, & propriis id enunciauerat philosophus, quì fit vt ad causam simpliciter apponatur? An non vult Ramus generaliter non dici specialia? Si multæ efficientes sunt friuolæ, nec possunt scientiam gignere, cur generaliter id præcipitur? Eadem est ratio absolutè consentanei. Interpretantur enim hoc de causa & effectu omnino; cum tamen in multis adiunctis subiectisque longè perfectior sit consensus quam in causis aliquibus. Defensor putat genera respici. Ridiculum. At id non conuenit omni speciei. Quî potest ergo tribui generi καθόλου? Sed tamen quia commoda est admonitio, non repudio. Satis est admonuisse Ramæos suarum legum & pertinaciæ ridiculæ, ne dicam stultæ.

Absolutè consentaneum.

Efficientis distinctio.

In distinctione efficientis Ramus est planè arbitrarius. Longè vberiores inueniuntur, & visitatiores passim. Sed ille neglectis aliis suo iudicio est vsus. Experientia

tia & hiſtoria cum poëtis, oratoribus & hiſtoricis parum valebunt. In tertia diſtinctione inuidit omnibus phyſicis, fortunæ filiis & Iureconſultis. Omnia enim horũ in logicam cõiecit, non exẽplariter, ſed vt præcepta genuina. Id ſi eſſet, conſequens fuerat in logicis tradere de vniuerſa natura, de cõſilio omni, de arte omni, omni violentia & fortuna. Nam ſi natura res logica eſt, cur non naturæ ſpecies? Sed defenſor agnouit erratum, & molli ſpongia induxit, negans Ramum hic ſibi ſatisfeciſſe. Rectius fuerat Ariſtotelicam diuiſionem retinuiſſe, & efficientem per ſe diſtinxiſſe ab efficiente per accidens, ita vt & philoſophus loquitur, & res conſentit. Sed Ramo aliud placuit, idque forte in odium Ariſtotelis, ne fortunam, motum, locum, tempus & naturam in phyſicis rectè poſuiſſe poſſet iudicari. Fatetur fortunam nihil eſſe niſi inane nomen, & Iuuenalis verſus citat.

Natura & conſilium.

Per ſe; per accidens.

Ramus commentatur.

Hoc iterum eſt commentatoris; non præceptoris. Meminerint Ramæi eodem vitio peccaſſe ſuum magiſtrum, cuius accuſant Ariſtoteleos.

In argumento formæ additur cõſectarium quod res à cæteris rebus diſtinguatur forma. At diſtinctio omnis eſt diſſentaneorum, Ramo ipſo teſte. Cur ergo in

Forma.

consentaneo mentionem eius facit? Addit ibidem etiam consectaria. Desinant ergo reprehendere alios Ramæi in similibus.

Finis. In fine non incommodè moneri poterat, aliquando, eo ipso occultari formã, vt in definitionibus artium & aliarũ rerum explicatio esset facilior, & ne imperfectæ haberentur quæ sunt perfectæ. Sed Ramus potuit versus poëtarum in artem recipere; admonitiones artificum non potuit. Dicent nunquam ita cõuenire, quin rationes ex definitionibus & propria natura intelligantur. Verum istud quidẽ, sed non omnes ita sunt perspicaces. Si Ramus dicit, BENE differere esse finem logicæ; & præter genus insuper in definitione nihil est, vnde agnoscet tyro formam.

BENE *in ratione finis.* Deinde cum omnium artiũ finem esse ait οὗ ἕνεκα τέλειον, disputant quidam τὸ οὗ in singularibus non debere repeti. Defensor adhibet sapiens pharmacum dicitque specialiter adhiberi τὸ οὗ. Si hoc ita licet, cur non repetuntur eo prætextu etiã alia? Cur non similiter dico, Dialectica est ars bene differendi, materiâ sua forma methodica cõprehensa, seu prẹceptis homogeneis legitima methodo p genera & species vsque ad exempla vltima expositis? Erat & hæc specialis accommodatio. Sed

Ramæis

Ramæis priuilegium est paradoxa crassa argutis mendaciis oblinere. Aliis non est. Cum de effectu præcipit Ramus, generationis, corruptionis, motus, rerumque motu effectarum meminit. Hæc si exemplariter intelligas, verè sunt præcepta. At assecłæ quidam adeo supercilioſe interpretantur, vt non possint ferre philosophum in physicis docere generationem, corruptionem & motum, quia nempe, vt aiunt, hæc congruunt omni enti & non enti. Sed litigant temerè? Si ista sunt nullius artis nisi logicæ, cur motus refertur ad astronomian? Cur non & res effectæ motu sunt meræ dialecticæ? Dictum ante est argumentum entis & non entis friuolum esse. Multa communicantur non κατ' εἶδος, sed modificatè: quo pacto fingere licet admodum liberaliter, & Numerum item logicum efficere quia numerari possunt & ficta. Quod si omnino generatio, & omnino motus sunt res logicæ; deficit Rami tractatio, quia motum non est persecutus vsque ad exempla, seu individua. Addit ille quod laudes & vituperia sint illius loci. Si interroges, sitne hoc præceptum καθόλου; negatè respondendum erit. Non enim omnis laus ex effectis est, nec semper. Non rarò ex adiunctis, causis & aliis petitur. Nec audiendus est Defensor dicens

Effectus.

Motus.

Mira Ramæorũ tractatio, dum in arte saltẽ instituũt catalogum generum & specierum, non explicata singulorũ natura, & Deũ in physicis ponunt, qua circa Deum sunt, non dicũt. Ita leonem ponũt,

leonis naturam relinquunt, &c. Sed nec omnia animalia & plantas recenſent, &c. nec eorum naturam expediunt. Defectus in exemplis.

dicens propriam inde laudem eſſe. Non ita præcepit Ramus; nec quæ ex adiunctis eſt, laus non eſt. Mirificè etiam in exemplis animaduerſores & propugnatores digladiantur; & ipſe magiſter Ramus reuera non ſatis circumſpectè præcepit, nec dextrè adhibuit exempla. Non ſatis eſt appoſuiſſe ſententiam præcepto. Cum vna eademque enunciari poſſit ſecundum varias affectiones; cui præcepto ſubiicitur & in præſens adhibetur; eius affectionem debet & ſermone repræſentare, veluti: *Parmenio eſt multatus; quia ſuſpectus coniurationis fuit.* Hoc reuera ad parmenionem adiunctiue enunciatum eſt; ad multam vero cauſaliter. Si effectiua affectio erat notanda, aliter fuerat pronunciandum, nempe, quia coniurauit aduerſus Alexandrum, ſeu conſpirationem iniit, &c. Atque hoc modo creberrimè peccat Ramus. Nos æquanimiter ſolemus eius ſententiam exponere. Sed non poſſumus ſimilem beneuolentiam à gregariis eius obtinere. Notandum autem eſt quod ita debeant eſſe exempla, ſiquidem in iudicio de vero præcipitur, quod ſit id quod enunciat vt res eſt, ſeu vt affectio argumentorum naturaliter requirit, quod non tantum de conſenſu, diſſenſu, comparatis, &c. intelligendum

gendum est, sed & de causis, effectis, &c. Vt affectio adiuncti & subiecti enuncietur ex sua natura, & non causaliter vel definitiue aut aliter, vt: *Deus fecit mundum*; Non: *Deus est mundi, vel mundus, &c.*

In argumento subiectorum rationem redditurus cur anima sit subiectum scientiæ ignorantiæ, virtutis, vitii, &c. ait, quia hæc præter essentiam accedunt. Rectius dixisset, quia his subiicitur anima, vel hæc adiunguntur animæ. Nam illo argumento nec locus debebat esse in subiectis, nec sensilia reliquaq;, quæ occupantia nominantur, cum omnia præter essentiam accedant. Et quidem physici de loco certi sunt quod sit accidens rei; de occupantibus vero concedunt ea esse obiecta, quæ & materiæ circa quas nuncupãtur, quod tã molliter potuerat monere Ramus, q̃ cũ Dialecticæ definitionẽ interpretatus est voce Logicæ, & versus poëtarũ adhibuit. *Subiectum.* *Locus.*

De loco mouent physicis rixas, contendentes eum esse rem logicam: sed friuolè. Locus χωρίως physicum accidens est. Inde tribuitur aliis per tropum. Generalem considerationem philosophus in categoriis retinuit, & πῶ vocauit. Quod si omnino erat ens logicum, malè egit cum eius nullas diuisiones & proprietates explicauit, cum tamẽ sint multæ. Nec excu-

sabit

sabit ipsum defensor eo περεπίσμαπ quod proprietates & diuisiones non sint constantes. Imò indicat hoc ipso, locum rem logicam non esse, quia eius differentiæ non sint tam communes. Ridiculum est dicere, Deum esse adiunctum loci, vt habet definitio Ramæa, cum Deus ante omnem locum fuerit. Quod si tropicam locutionem agnosceret; facilè suppeteret interpretatio commoda; sed tunc locus non nisi exemplum subiecti logici foret, quod vocamus comprehendens. Est & hoc ineptum quod ait Geometras suis figuris assignare locum, vbi manifestum est, significare vocem modificatè: sicut » cum dico: Virtuti suus est locus apud la- » cedæmonios; animæ suus in cœlo locus » est; potentiæ ratiocinandi suus locus est » in anima, &c.

Deus loco adiungitur.

Sensilia.

Cum explicat sensilia, addit, quod ea sint subiecta suorum sensuum argumento, quia sensus in his sensilibus occupentur. At id erat mihi & aliis quibus non sordet peripatus, παυτόλογον, quia ex definitione notum est: & Ramus consectaria, & repetitiones in arte ferre non potest. Si quæras quid est subiectum occupans, Ramus tacet. Atqui id est res logica. O logicum informatorem qui in methodo tam diligenter præcipit de definitione,

Ramus sæpe non definit.

& sæ-

& sæpè non definit. Sed & obscurus est dum inquit: sensilia hoc modo nominantur subiecta sensuum. Quonam tandem modo? An loci? Is enim proximè præcesserat. Neutiquam verò; sed nouo modo, nempe subiecti occupantis. At id non intelligebam, cum non dixisset quid subiectum occupans. Eo vitio peccat etiam in efficientum modis. Non enim dicit quid sit causa procreans, nec quid conseruans; cum tamen definiat causam per se, & causam per accidens. Omittit & definitionem causæ solitariæ, & sociæ, &c. omnia pro arbitrio. Defensor dicet, non oportere definiri: quia modus declaret sitq; pro definitione: at inquam ego, si non definiri debet, poterit aliquid esse in arte diuisum sine definitione; & si vnum definitur modo explicatum cur non & alia? Cur definitur syllogismus cõpositus, cùm vox hæc æquè facile poterat eum declarare ac procreans efficientem causam? Ita motum definire non potuit magister, & alia multa, quæ in peripateticis ignominiosè taxarentur. Atqui locum definiuit, & tempus? In adiuncto commentatorem item agit, dum explicat adiuncti proprietatem, eamque firmat poëtico versu, qui tamen de amoris remedio loquitur. Impingit item in catholicum, dum id leuius subiecto

Cõmenta in adiuncto.

cto facit, cum quædam longè sint firmiora grauioraque, vt adiuncta propria, subiectis communibus & fortuitis. Nec hìc iterum audio defensorem de toto blaterantem, cum totum non sit nisi omni constans parte. Tune ferres me si de omni homine enunciarem quod esset eruditus, cum tamen id conueniat duntaxat aliquibus? Adhibuero autem erga Ramum hanc æquitatem, vt dicam, eum intellexisse, inter adiuncta id inueniri, sicut inter homines inuenitur eruditio; sed postulauero ab assectis beneuolentiam parem: quanquam magno pharmaco obtinendum sit τὸ leuius esse, proprie competere adiuncto, cum & notationi insit & aliis.

Non satis erat definiuisse adiunctum; ex qua definitione facilè intelligere erat, id esse quod extrinsecus subiecto accedit, hoc est præter essentiam: sed Ramo præcipienti iterum licet commentari & idem dicere. Condonate & nobis tale facinus ô Ramæi, si id humanitus incurrerimus.

Ita commentatur dum ait: *Vt locus est in subiectis, &c.* quod non præcipientis est, sed rhetorisantis. Erat id dictum in subiecto; cur repetitur?

Tempus definitum mirifice.

Ridiculè definit tempus, quod sit rerum duratio præsens, præterita, futura.

His

His discretionibus videtur vnum quoddam genericum designasse, sicut aliquando solent partes in locum totius innominati euehi. Sed non considerauit tempus ita in Deum cadere non posse, cum tamen omni enti debeat competere. Verumenimuero & hoc est accidens physicum, quod aliis immateriatis κατὰ συμβεβηκὸς ἢ τρόπον assignatur. Nec semper est adiunctum. Non raro fit subiectum, veluti: Dies paschatis est sanctus. Nos relinquimus id in exemplis adiunctorum mutabilibus.

Tempus & subiecti exemplum est.

Adiunctis accenset etiam qualitates; excipiens eas quæ causæ fiunt: vt cum calor dicitur calefacere. Hoc quoque non satis considerate posuit præceptor. Nam Ramæi nullas ferunt in artibus exceptiones. At & hîc vna est, & infra in iudicio sequetur altera.

Qualitates.

Exceptio.

Mirum est cum liceat per formas diuidere, cur qualitates non diuiserit aperte in proprias & communes. Atqui definiuit proprias. Defensor hîc quoque ridiculum affert cataplasma. Forte nulli alii arti relinquent qualitates, quia fingi possunt, ita vt sunt. Mirifica item est communium definitio. *Communes sunt*, inquit, *quæ non sunt eo modo propriæ.* Atqui Ramæi omnia artium axiomata omnesque definitiones in

Qualitates indiuisæ.

Communes. Definitio negata.

in illis requirunt affirmatas. Si hoc regulare esse contendet defensor; feret me si Dialecticam definiam, quod sit ars, quæ non ita est vt aliæ artes. Nec est quicquam prærogatiuæ. Nos non putamus peccatum, si omnia argumenta discreuerimus proprietate & communitate. Nec nos potest iure accusare defensor, quasi proprium & commune sit tantum qualitatum, insitque ratione qualitatis. Proprietatem enim qualitatem esse concedimus, vt & communitatem: sed quarum affectio possit conuenire multis. Ista autem distinctio suam vtilitatem habet in agnoscendis reciprocis, & non reciprocis axiomatis, quorum fundamentum aliâs Ramus non satis expressit.

Circumstantiæ.

Alii logici diligenter meminerunt circumstantiarum. Ramus vix in vestitu & comitatu eas attigit. At non paruam habent vtilitatem in magnis quæstionibus. Si nolebat simul explicare, at meminisset sigillatim. Locum enim vocant circumstantiam, vocant tempus, socios, comitatum, &c.

Cognatio & ident.

In fine consentaneorum positum est præceptum de identitate, vnitate, cognatione, quod harũ primi & simplices fontes sint in consentaneis. Si generalia debent generali loco poni, isque est primus, secun-

secundum præcessionem vt habet methodi definitio, cur hæ duæ notæ in fine consentaneorum ponuntur ? Cur non statim à definitione consentanei ? Ibi certè mouendum erat, quod consensus sit duplex ratio, simplex scilicet primæuaque, & comparata ortaque. Deinde quod consensu spectetur cognatio & identitas. Sed fortassis Ramo idem est præcedere & sequi. Nobis non ita licet esse confusis. Benè tamen factum interpretabimur, si nobis similia condonauerint peccata.

Diuersa.

In argumẽto diuersorum defensor negat Ramum sibi satisfeciſſe. Cadet ergo aliquid autoritatis de regulis scientificis. Et certè est ambigua eorum affectio. Consentiunt enim partim, partim dissentiunt ; & consensu transeunt in adiuncta, aut partes, cum penes eas distinguitur totum. Notæ diuersorum sunt etiam oppositis communes, velint nolint Ramæi. videant ergo an non dormitarit præceptor, inter medias leges scientiarum, veluti : Non est bestia sed homo, &c.

Modos ostẽdit Ramus, non explicat.

In eodem loco cum duos modos alios ostendit per exempla ; benè cauit ingenio. Cur eos modos non explicat ? An poterat poëticis versiculis interpretari præcepta, & hîc est mutus ?

Aut dubitauit, aut ignorauit. Vtrum sit; non bene stabunt regulæ quæ scire faciunt.

In relatis tam copiosus est interpres, vt etiam nomen exponat. Cur vero hoc oblitus est in aliis argumentis? An non omnia præcepta sunt necessaria κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου? Dicendum certè erat; atque inde definitio dicta est; inde diuisio; inde Dialectica, &c. Quasi vero difficilius esset videre vnde relatum sit dictum, quam vnde notatio, &c. Hic omissa est mentio correlati, sicut & in aliis multis præteriit nomen affecti: quia nimirum inquit defensor, id patet sponte. Cur verò hoc non animaduersum est in definitione, & diuisione? An omnes pariter acutum cernunt? Certe quidam dubitant sitne notationis affectum res notata, an nota; Et in comparationibus sintne rationes argumenta, an termini rei. Poterat Ramus declamare de adiunctis quod si non prosint, &c. At hoc valde vtile ad perspicuitatem monere non poterat. Certe & nos aliquando sumus obliuiosi. Dimittemus Ramum, si sponsionem fecerint Ramæi, & obsides dederint pro nobis.

Inter exempla recitatur illud Ciceronis, quo absurdum collegit ex inuer-

sa

sa rerum natura. Ramus dicit Ciceronem indicasse ibi studiũ quoddam suum. Quæso Ramæi nigrumne dixit an album vester interpres? Quæ res non ita posset declarari? *Mira Ramĩ declaratio.*

In fine exemplorum apposita est admonitio, relata diuersa tractatione fieri consentanea, transireque ad causas & effecta. Si peripateticus hoc dixisset, stoliditatem arguisset, quia cum vni rei plurimæ possint inesse affectiones, non sit sigillatim monendum de illis, sed agnitio committenda præceptis & definitionibus. Sed an non hic quoque dormitauit magister? Cum relata tractantur consentaneè; quæso sunt ne tunc relata, an non? Si sunt relata; erunt contraria dissentanea: Quia præceptor Ramus titulum hunc in nullo habet præterquam in dissentaneo. Sed Ramus negat habere quicquam contrarii. Videndum ergo an sint non relata, cum dico, pater gignit filium. *Relata consentanea.*

Cum item dictum sit contraria tantum duo esse; relata vero plura possint opponi vni, ratio discrepantiæ erat indicanda. Si enim in logicis ea non est, vbi igitur? Dic ergo cur frater & soror simul opponantur fratri & sorori: cur item affines affinibus, cognati cogna-

tis, &c. hoc est, differe relatorum nomina interdum communia esse, interdum distincta, interdum intellecta, interdum expressa, &c.

Bis peccatũ in eodem axiomate.

Cum ait: Argumentum talis relationis contrarium nihil habet; peccat magister primum cum relationem nominat, quæ tamen non potest esse, si relata sunt sua natura contraria. Deinde in arte secundũ necessarias scientificasque leges instituta axioma ponit negatum. Hocne in peripatetico probauerit defensor? κατὰ παντὸς nullum est nisi sit affirmatum. Si negata recipiuntur in artes, violatur lex κατὰ παντός. Sed æqui erimus æquitatem experti.

Aduersa.

In aduersorum definitione, quod loco differentiæ positum est, competit & priuantibus. Ferimus hoc si ferturin nobis, quanq̃ aliâs differentia tota debeat habere vim formæ. Sed cũ genere sumta possit sane etiam communis definitionem constituere reciprocam.

Contraria negantia.

Definitio contrariorum negãtium parum distat ab axiomatis contradictoriis. Possunt enim & hæc definiri, quod sint quorum alterum ait, alterum negat idem. Sed defensor occurret subintellecto argumento. Verum quæro sitne hoc artem perspicuè & necessario tradidisse? Vtile

hîc

hîc conſectarium erat de Nihil negante, & nihil priuante: quia in quibuſdam controuerſiis adhibetur. Sed nugatorias explicationes poteſt interdum admittere Ramus, eas quæ ſunt alicuius momenti, non poteſt ſemper.

Priuantia.

In exemplis priuantium ponit motum & quietem, euertens ſuummet ipſius iudicium. Si enim quies non negat vbique; nec motus erit vbiq;. Quomodo ergo eſt ens logicum, ſi non competit omni enti, & non enti? Inueni emplaſtrum ſalubre defenſor.

Motus non poteſt eſſe ens logicum.

Differentia.

In fine diſſentaneorum item monet de generali vſu omnium diſſentaneorum, quod ſcilicet inſeruiant differẽtiis. At harum quaſdam etiam formæ in conſentaneis appoſuerat. Et vitium cõmittit dum generaliora non ſinit præcedere, prout exigit methodus. In conſentaneorum fructu adiecerat notam, quod identitas illa ſit prima & ſimplex. Cur ea hîc omittitur? An non par vtrobique eſt ratio?

Comparata.

Comparata valde definiuntur ieiune. Permittimus tamen iſtud Ramo è coniugatis; ſi Ariſtotelem ſimiliter ferre poteſt.

Propoſitio & alia vocabula multa cõmunia.

Cum propoſitionẽ vocat alteram partem comparationis plenæ, meminerint eenſores peripateticorum, nec ſibi eſſe nomi-

nomina propria ſemper. Itaque ſi peripatetici propoſitionem dicunt pro axiomate, pro theſi orationis, pro parte ſyllogiſmi, parte comparationis, &c. non ſuccenſeant. Ita cum voce ſubiecti vtuntur aliter. Propoſitionis vox Ramo & hic vſurpatur, & in ſyllogiſmo, & in methodi illuſtratione. Ita vox proprietatis, neceſſitatis, affirmationis, negationis, ſimplicitatis, compoſitionis, &c. Ramo multis attribuitur. Cur ergo in vocabulis tam odioſe ſunt rigidi eius defenſores? Licetne Ramo è Grammatica in rhetoricã & Dialecticam transferre nomina (coniunctiones, verba, notas, &c.) aliis non eſt cõceſſum? Cur adeo dementer improbi eſtis? Ridiculum eſt quod defenſor ait è Dialectica illas voces veniſſe in Grammaticam; & τὸ proprium, eſſe nomen logicum. Sed ſinamus hominem ſua lætari melãcholia.

Quantitas qualitas.

Definitio quantitatis & qualitatis non ſat eſt caſtigata. Ariſtoteleis non licet tam liberè dicere; Quantitas eſt quaẽs comparatæ dicuntur quãtæ; qualitas qua quales. An non & ſimplicia ſunt hæc? Dicent comparata intelligi. Delirant. Non diſputo tum ipſorũ intellectu, nec eo doceor. Ex verbis colligo ſenſum. Comparata in quanto definienda erant, non quantitas. Iam autem etiam ille Ariſtarchus rhetorico

rico vocabulo DICITVR vtitur. Quid logico cum DICITVR? An dicitur, & non est? Si rectè iudicarunt Ramæi, cur relata secundum DICI explodunt?

Scio & peripateticis id familiare esse. Desinant ergo tantopere in eos sæuire, quorum facta dictaque imitantur.

Parium definitioni subiicitur explicatio: quod argumentum paris sit, cum par explicatur à pari. Definitio hic arithmetica genuit definitionem logicam. Eodem modo definit par & arithmeticus. At Ramus ex aliis artibus nihil immiscet logicæ. Imò fastidit regulas & consectaria, meraque habet præcepta catapantica, catholica, homogenea. Scilicet. Dicit defensor, vocem explicari, esse propriam definitionis. Saltem ergo hic alienè locutus est Ramus. *Paria.*

Aiunt per notas intelligi non Grammaticas sed mentales. Crediderim istud. Ego vero latinas voces audio. Fortè Græci, Hebræi & aliarum nationum logici habent alias, quarum exempla dum non recitat Ramus, certè mancum quid præcepit. Non est solus latinus logicus. Quæso autem Ramæos, vt concipiant mihi mente, Tanto, quanto, sine vocibus grammaticis, seu potius linguæ: & dicant mihi istum suum conceptum, vel saltem pingant. *Nota.*

gant. Species vocum etiam in mente est; nec mens res sine nota concipit. Non desinit esse Grammaticum nomẽ, cum concipitur mente, nisi velis Grammaticam quoque ipsam desinere esse Grammaticam cum intelligitur. Non est in solo sono vox. Ita nec color desinit esse color aut sensile non est sensile, licet mente concipiatur, quanquam noua ei accedat ratio.

Imparia.

Imparia definiuntur quod sint, quorum quantitas non est vna. At necessitas scientifica eiusmodi negationes fugit. Cõcesseritne Ramus si dixerim, effectum est quod non est causa? Dissimile est quod non est simile: consentaneum quod non dissentit à re: Dissentaneum, quod non consentit? At eiusmodi definitiones non raro sunt fallaces. Non enim explicant rei naturam in sua forma, sed quid non sit, dicunt. Dic quid est; non, quid non est? Sin licet id Ramo; liceat & nobis: hoc est, possimus aliquando in locum affirmati substituere negatum, atque ita aliqua negata artibus concedantur. Non autem ei deerat affirmatum; vt: Imparia sunt quorum quantitas est alia; vel impar, &c. Est insuper ea definitio etiam Arithmetica.

Nota imparis.

Propriam notam imparis maioris vult esse non solum sed etiam. Intelligitur autem tunc à maiore argui, si dixerim: Non

plebs

plebs ſolum luxit Niniuis, ſed etiam rex, & « vice verſa, non rex ſolum, ſed etiam plebs; « ſumne vſus ratione benè, an non? Vulgare certè eſt ita permutare; ſiue genuinum ſit, ſiue abuſiuum. Ita enim loquimur: Non « Petrus tantum venit, ſed & Paulus; Non « ego tantum loquor, ſed & Plato; Non « mentitur duntaxat Cretenſis, ſed & Gal- « lus: Non Crœſus tantum diues eſt, ſed & « Fabricius, &c. Vbi videtur & paria & mi- « nora enunciari.

Cum dicit Ramus: Quædam gradatio logica inde ſumitur: Item; Interdum cõiuncta climaci rhetorico; intelligamus & particularia axiomata, & neutiquam reciproca in artibus eſſe poſſe. Qui fit ergo vt proiiciantur tanto cum faſtu ampullæ illæ κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον? An non eſt κατὰ μέρος cum dico Quædam? At hoc dato, dantur & exceptiones. Gaudeant aduerſarij Ramæorum quod adiuuentur armis Ramæis. Iam enim valent exceptiones, teſtibus Ramo & Rami præceptis. *Quædam gradatio.*

Cum de minore dicitur: Minus ſæpe indicatur notis propriis: intelligimus & exceptiones & particularia iterum valere. Nam illud ſæpè nõ eſt καθ' ὅλου πρῶτον, cum non ſit conuertibile. *Minus ſæpè.*

Præcipit & hoc Ramus quod negatio *Negatio parium.*

parium referatur ad minora. Hoc sitne constans & perpetuum? Quid si ita dicã: Non est conferendus cum Crœso Irus;& viciſſim; nec cum Iro Crœsus? Nihil est ad rhombum;vbi certè argumentum maius est; res arguta,minus.

Aliquando. Rursus præceptor mandat: Aliquando nota est nulla. Est & hoc particulare. Dicet defensor,imo est generalis precepti particula, cuius pars altera erat illa superior; sæpe notæ sunt propriæ. Licet ergo dispergere præcepta. Sed cur nõ altera pars ex oppositorum lege ita enunciabatur: aliquando nota non est propria. Si diuisi præcepti pars est, vbi diuisionis leges? Agnoscunt etiam hic nullas notas. At mens nunquam caret nota minorum: Ergóne non mentis tantum sed & Grammaticæ notæ valent in logicis? O defensores acutos.

Qualitas. In qualitatis definitione eadẽ sunt monenda quæ in quantitate. Vtitur hic laconismo valde suspecto autor. Si enunciandum est vt res est, cur tam præcipitat verba, & non expedit definitionem & diuisionem iustam? Ita nec apertè distinguit similitudinem plenam & contractam, quod tamen ad perspicuitatem plurimum valebat. At in nobis iudicandis illi sunt tam lyncei.

Poni-

Ponitur & hic particulare: Aliquando nulla prorsus est nota. Et valdè suspectum est illud Nulla prorsus. Ita enim & menti sua deesset. Sed vnde agnoscis similia?

In similibus ait excellere Æsopicos apologos. In inuidiam Theologiæ, & veterum poëtarum hoc dictum est. Ego profecto vtrosq; præferrem, & sacris parabolis plus tribuerem Æsopicis. Potest & Ramus mentiri, & mendacia pro scientificis obtrudere. *Æsopica excellunt.*

Dissimilium definitio valdè est sophistica. Quid enim sunt? Comparata qualitatis diuersæ. Genus accipio. Differentia ne vitiosæ quidẽ nucis est. Esse enim qualitatis diuersæ commune est qualitatibus simplicibus, & argumento partim diuersorum. Sed quid dicit Ramus in distributione? Species & formas seu differentias negat esse communes & consentaneas, quia debeant esse propriæ & dissentaneæ. Satisfecítne sibi Ramus crebrò ita definiendo? Si monuisset magister, interdum formas seu differentias aliquid ex genere sibi asciscere; ferrem. Sed is non monuit, nec nobis est sat propitius similiter definientibus. *Dissimilia.*

Est & illud valde catholicũ quod dicit, Dispar esse notam dissimilitudinis. Cur non *Dispar.*

non sit imparium, maioris minorisque? Cum dicitur, fistula dispar nodis, an inæqualem volumus an verò dissimilem? Ita ait poëta:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, &c.

An non imparibus? Hoc saltem præceptum vacillabit. Nam falsum est illam esse propriã notam dissimilitudinis. Nec catachresticum debebat Ramus pro proprio acceptare.

Iterum particulare ponitur cum præcipitur; Nota plærunque in dissimilibus nulla est.

Orta indefinita.

Prima argumenta definiebantur, quod essent suæ originis. Orta nullam habent definitionem. Qui istud? An non par ratio erat contrariorum? At Ramus nusquam violat methodum iudice defensore.

Orta ex ortis.

Postea orta à primis ait. Ac non hoc solum est. Quoties definit Ramus per coniugata? Quoties definitio oritur ex diuisione? Sunt ergo quædam orta ex ortis. Dicet defensor, illa orta tunc habent rationem primorum.

At ego non inueniebam in numero primorum coniugata. Nec sum tam agilis, vt cum definitio sit ex coniugato, re-

filiam

siliam ad prima, præterito coniugato.

Mirabile est quod coniugatorum genus ponit Nomen. Cur non verius argumenta sunt? An iam licet Grammaticam miscere logicæ? At lex homogenea omnes alios arguit; Ramo parcit. Quam sæuiunt cum Philippus syllogismum & propositionem vocat orationem? Ramo coniugata sunt nomina deducta variè ab eodem principio, quæ est ipsa vocum deriuatarum in Grammaticis definitio. Defensor propugnabit dicens, mentis nomina intelligi. Quid mihi, inquam, cum tuo intellectu? An logica nihil habebat quo Grammaticum deriuatũ distinguere poterat à coniugato logico? Quæ nota in verbis est, eam & mens concipit. Quid mihi oggannis illud mentale? Non repudio rem. Sed vt sæpius moneo, æquitatem à Ramæis posco, & gloriam illam regularum adeo insolentem deprimo. Non possunt vitare, quod vitandum suadebat ratio ipsorum.

Nomen.

Definitio grammatica.

In notatione dicitur quod sit nominis interpretatio. Est & hîc scrupulus. Cur non vocis? An non est notatio sententiæ constructæ? non verbi & aliarum vocum? Licet Ramo ampliare nomina; nobis non licet. Defensor synecdochen afferet. Sed omne particulare vitium eo colore

Notatio.

colore poteſt induci. Meminerit rigoris legum ſcientificarum.

Falſa notatio. Cum ait, *Si vera notatione, &c.* Innuit aliquã eſſe falſam. De hac quid præcipitur? Partem diſtributionis negligere non eſt methodicum. Notandum hic & hoc eſt.

Syllogiſmus materialis. Ramus ait in methodo nõ opus eſſe ſyllogiſmo; Ergo nec argumento tertio, qđ eſt ſyllogiſmi pars eſſentialis. Iam enim, inqt, omnia ſunt iudicata. Atqui hic argumentũ tertium eſt. Si enim quæras cur notatio ſit nominis interpretatio; argumentũ affert, quia nomina ſunt rerum notæ. Notas autẽ quod explicat notatio eſt. Vide nunc an methodum ſecutus ſit Ramus. Intonat etiã eo nomine in demonſtrationem Ariſtotelicam eamq́; eiicit ex omni ſcientia, quia ſcientiæ non ferant ſyllogiſmos. At hic vtitur eo Ramus ipſe.

Inſuper omnia præcepta ſunt principia; quia omnia æſtimantur principiorum legibus. At principio non opus erat probatione. Nutat ergo cauſa Rami. Eſt & argumentũ quæſtione prius & notius. At methodus volebat præcedere prius & illuſtrius. Peccauit ergo Ramus in methodũ poſtponendo argumentum quæſtioni. Excuſabit ſe crypſi prudentiæ.

Accipimus excuſationẽ, ſed ita vt nobis ſit vſus eius nõ inferiore iure cõceſſus.

At

At crypsis prudentię beneficio, nulla culpa potest in Aristotelem, nec in alium quemuis scriptorem conferri. Hoc enim clypeo omnes latent. Quorsum ergo opus fuit Ramo tantopere in omnes debacchari? *Crypsi prædicta omnes veteres & recentes excusantur.*

In calce notationis monet quod notationi sit affectio ad suã notam, & vicissim. Idẽ & in testimonio & aliis quibusdam facit. At erat omniũ argumentorum correlatorũ. Cur non in genere acquieuit? Defensor dicet, specialis est accommodatio. Agnosco istud; sed cur non similiter præcipiendũ est in aliis? An non & diuerso ad diuersum est sua affectio, & ita in aliis? Quo priuilegio vero generaliter dicta specialiter sunt accõmodanda à præcipiẽte? Si in vno hoc valet, cur non in aliis? Cur non ex definitione Dialecticæ repetendum est, quod notatione bene disseramus? Eia verò fatere Ramum non sat castigatè scripsisse, nec potuisse obseruare quod in aliis requisiuit. Peccatum est in eodem præcepto ratione ordinis. Cum enim generalius sit singularibus notationibus & exemplis; debebat statim à definitione positum fuisse, si ponendum erat. *Affectio notationis.*

Post transitionem ad argumenta distributionis & definitionis, recte quidẽ dicitur in *Distributio.*

tur in vtroque esse affectionem reciprocationis: sed quod subiicitur; in distributione esse reciprocationem omnium partium cum toto; in definitione, definitionis cum definito; id non suo est loco positum, adeoque contra methodum specialia immista generalibus. Nam reciprocari distributionem cum distributo, à definitione distributionis erat locandum: Definitionem verò cum definito, à definitione definitionis; vbi repetitur his verbis: Definitio vicissim argui potest definito. Itáne Ramus non errauerit? Defensor subterfugia quærit; sed temerè. Scholastes ait reciprocationem esse conuersionem vulgo dictam, ipseq; definit arguendi vicissitudinem; si hoc ita est, & conuersio omnibus propriè affectis competit, ex natura relatorum quæ inest omnibus, cur non sit generalius præceptum? Causa certè vicissim arguitur effectu, simile simili, & sic in aliis. Aiunt hic peculiarem intelligi reciprocationem. At ea mirabilis ratio præcipiendi est, quæ aliud loquitur, & aliud intelligit. Si est, cur non disertè dicis?

Ordo neglectus.

Genus.

Genus definit obscurissimè, quod sit totum partibus essentiale; cur nō id quod complectitur species, iisq; suam largitur essentiam? Sed & philosophi quærunt

vtrum

vtrum genus constituat species, an species genus. Certè inductio vniuersale constituit ex partibus: & passim notum est, vniuersale & genus aut nihil esse aut posterius esse. Si Ramus inconstantia in arte nõ tulit, cur hanc definitionem posuit? Ego dixerim genus esse totum, quod comprehendit species. In hoc argumento vt & generalius in distributione, &c. multa poterant vtiliter moueri, quæ ad proprietatem & vsum generis & reliquorum pertinent; sed defensor excusat omissionem Rami, iubetq; intelligere & diuinare. Si sartor ita doceret discipulum, non fungeretur boni magistri officio. Sed istud tectorium ignorantiæ, aut inuidiæ, aut ignauiæ est, simulque incurrit in iudicium Horatianum; Breuis esse laboro; obscurus fio; sectantem leuia nerui deficiunt, &c.

Defectus in genere.

Genus generalissimum definitur Nullo genere negata forma seu differentia. Id non audebat Aristoteles; qui summum appellabat. Vnde facile intelligere est, summo non esse superius. Cum item statim definitioni generis subiicit definitionem speciei, & post distributionem vtriusque ex abrupto ponit, methodum nõ obseruat. Huius enim requisito statim à definitione sequitur distributio; & vbi

Genus generalissimum.

absoluta vna pars est, transitur ad alteram, eaque tunc item definitur & distribuitur. Sed Ramus omnia censere poterat, sua magna ex parte neglexit, non considerans quod turpe sit doctori cum culpa redarguit ipsum.

Testimonium. Definitio testimonij heterogeneum includit; nempe, non arguere sua natura. At hoc vitium erat in peripateticis: & defensor ait tautologian ita fieri, quia eiusmodi res facilè pateant ex affirmatis: veluti, qui scit testimonium arguere aliena natura, citra admonitionem intelligit, non arguere sua. Itaque hoc superuacaneum.

Plærunque. In ciuilibus asserit hoc argumentum plærunque præcipuã fidem habere è moribus. Si plærunque; ergo non semper & vbiuis. Et hoc non est necessarium, sed contingens. Si hoc; nec erit κατὰ παντὸς, nec καθ' αὐτὸ, nec καθ' ὅλου: Imo & contingentia præcepta erunt artium, contra ac disputant Ramæi.

Non solum. Cum inquit: *In diuinis numerantur non solum diuina oracula, sed & vatum responsa, &c.* Cogitet quam firmum sit præceptũ superius, quod volebat notam propriam maioris esse, Non solum, sed etiam. Equidem credo Deorũ oracula in quanto excedere; vatum responsa excedi.

Est &

Est & aliud quod Ramus non attendit. Nec diuinum testimonium, nec humanum definiuit. At methodus requirit, vt dicatur in arte quidnã sint artis membra. *Definitio relicta.*

NOTÆ AD SECVNDVM LIBRVM DIALECTICÆ Rameæ.

DEFINITVR illa pars, quod sit secunda logicæ de disponendis argumentis ad benè iudicãdum. In hac definitione valeat sanè humanitas, & beneuola interpretatio. Quod si summo vel eo iure agẽdum sit quo vsus est Ramus in Aristotelẽ; certè methodus nõ cõprehendi iudicãda est. Ea enim nõ est dè argumẽtis disponẽdis, sed de axiomatis, sicut ipse Ramus demõstrat. Nec valet χρησφύγελον, q̃ axiomata argumentis insint. Non.n.de potẽtia talibus, sed de actu definitio est. Et si illa excusatio recipiẽda esset, foret itẽ de orationibus omnq̃; genere operũ ex omni arte concinnatorũ. Deinde in definitione iudicium pro fine & fructu habetur. At secunda pars etiam de iudicando præcepta habet, non ad iudicandum tendit. Nec potest dicere defensor perinde se ista habere. Differunt enim finis seu fructus, & id qd̃ est finis gratia. Excusatio per synecdochen admittitur quidem ratione tituli, *Definitio manca.*

sed non ratione definitionis. Videndum
» an non rectius ita : Iudicium est secunda
» pars logicæ de disponendis argumentis,
» & dispositis iudicandis.

Subiicitur definitioni argumentũ tertium quo comprobatur, quod dispositio fiat ad iudicandum, quod quidem verum est, sed non de dispositione tantum in ea parte præcipitur. Notamus iterum acerbitatem Rami in aliis, & indulgentiam in propriis. Probat suas definitiones argumentis, vt intelligas eas non esse principia, sed quæstiones, de quarum veritate possis dubitare : & sic syllogismos item methodo inserit, quod tamen peruicaciter alibi negat à se factum præterquam in geometricis.

Axioma. » Axioma definitur ita : Axioma est dis-
» positio argumenti cũ argumento, qua esse
» aliquid aut non esse iudicatur. Hic omittitur primum definitio iudicij axiomatici; à qua proxima erat via ad axioma. Deinde ita informatur definitio axiomatis, vt non possit separatim de affirmato axiomate, de vero, &c. dici, quod tamen necesse est. Si enim quæras de affirmato axiomate, quid sit; respondendum est, esse axioma; & sic simul totam definitionem respondisti. At de hoc non potest dici, quod in eo esse aliquid aut non esse iudicetur; cum saltem

saltem esse insit. Diuidere hoc est, non definire. Respondebit defensor; duo contradictoria posita esse pro vno generali, quod ex illis est intelligendum. Inquam ego posse quidem aliâs in distributione ex binis speciebus intelligi genus, sicut inductio permutatur vniuersali collecto; sed id non vbiuis locum habet, propterea quod non planè sit vnum & idem duæ species & vnum genus. Apparet hoc ex definitione. In hac genus habet primum locum. Si iam omisso genere velles binas species ponere; vt: Argumentum est argumentum artificiale vel inartificiale; Diuersum est consentaneum vel dissentaneum: Petrus est homo vel bestia, &c. an non ridiculus fieres? Non ergo vbiuis possunt binæ species locum generis sustinere. Adde quod tunc coniunctim, non disiunctim debebat dici; sicut cum causa distribuitur in efficientem & materiam; Et: formam finemque; non in efficientem vel materiam. Disiunctionis enim vis est alterutrum tantum statuere. In aliis certè reprehendunt hoc Ramæi, vt cum peccatum definitur quod sit inclinatio, vel actio, vel habitus, &c. Ego, certè illud, Non esse, planè omitterem. Intelligitur facile, quod axiomate iudicetur aliquid esse affirma-

An liceat in definitione duo contraria pro vno genericò intellecto ponere.

firmatum, esse negatum, verum, falsum, &c.

Nomina axiomatis.

Illustratum axioma est multis appellationibus. Hoc si peripateticus fecisset, pleonasmum commisisset, & heterogeneum. Quid enim ad essentiale præceptū multitudo nominum? Vsitate dicitur & propositio, prædicatio, thesis, &c. Cur hæc nomina omittuntur?

Defectus partitionis.

Sequitur axiomatis distributio in affirmatum & negatum. At illum saltum redarguit præceptio methodica, quæ vult vt integri distributio in membra præcedat. Defensor emplastrum assuit, dicens facilè intelligi ex definitione. Dico ego, cur non & partitio logicę in inuentionem & iudicium omittebatur? An hæc non poterat intelligi ex definitione? Sed dementis errati delira est excusatio. Cum mox fit mētio vinculi, antecedentis & consequentis; certè præcedere debebat noticia vinculi per definitionem & distributionem. Ita & categorematis & syncategorematis. Sed Ramus breuiter docturus per præcipitia ruere maluit quam molli cliuo se demittere.

In definitione affirmati & negati desunt fontes affirmationis & negationis. Hi autem debebant ostendi ex affectione argumentorum, vt ita vtilitas argumentorū & funda-

fundamentum dispositionis ad instituendum iudicium solidum apparerent. Sed festinat Ramus; & relinquit discipulo cogitanda reliqua. Ita infidelis vix est Aristoteles.

Contradictio.

Contradictio definitur quidē in transcursu; sed nō diuiditur, quasi perpetuo foret vniusmodi. Debacchātur autē hic Rami valde in oppositiones axiomaticas Aristotelis, putantq; nullū vsum esse cōtradicētium, contrariorū & subalternorum. At philosophus adhibuit ea ideo, vt iudiciū veritatis ampliaretur. Nam omne cōtradictorium alteri oppositum distinguit verū à falso, siuē ita vt statim vnū sit verū, alterū falsum; siue ita, vt vtroq; falso, subalterna vtraq; arguatur vera; & contra ex vtraq; subalterna vera, arguātur opposita generalia falsa. Hic fructus non est nullus, quanquam eum non agnoscunt Ramæi, & tamen præterire non possunt dum alicubi notant, quod contradictio hæc, illa, diuidat verum à falso.

Oppositiones.

Est & hoc animaduertendū, quod prę-
ceptum de contradictione nō sit catholicum, ἐν κατὰ παντός. Nam in subalternis negatur idem vinculum & affirmatur; at nulla fit iudicio Ramæorum cōtradictio; vt: Quoddam animal loquitur: Quoddā " animal nō loquitur. Annotat interpres ea "

hîc esse considerandа, quæ in argumentis oppositis notata sunt; vt scilicet oppositio sit vnius, modo, & ratione vnius, &c. Sed magister huius erat oblitus; nec ad categoremata faciebat contradictionem, sed ad vinculum. Scimus aliud esse topicè contradicere; aliud criticè. Vbi dixit Ramus vtrobique eodem modo se habere? Cur id definitione non expressit? Declamare poterat per poëticos versus; at non necessaria præcepta addere. Quam benè etiam monuisset de negationis diuersitate, ne in errorem imprudens incideret discipulus. Non omnes statim intelligunt aliquando vinculo apponi negationem, aliquando non, sed saltem eò dirigi.

Negatio.

Frustra blaterat defensor de mentis conceptu. Ita enim concipit mens, sicut notæ repræsentant. Nec ego vocem Nullus in lingua prępono; in mente postpono.

Verum & falsum.

Quære ex Rami discipulo quid est falsum? Respondebit: Contrà.

O præceptorem.

Regulæ Rameæ nõ ferunt diuisionem in verum & falsum. Id indicat autor ipse, cum falsum non definit, sed saltem dicit contrà esse, quasi ex vero per consequens possit intelligi falsum. An non risu magister sit excipiendus? Cur non definit falsum? Nolunt alioqui in artibus poni debere heterogenea; veluti negant Theologum

logum & ethicum de vitiis præcipere posse, quia ea sint heterogenea, & possint intelligi ex virtutibus. At Noster magister falsum axioma in logicis habet, quod item poterat intelligi ex vero. An vero Ethicus morales habitus debet diuidere in virtutes & vitia, & omisso hoc membro saltem de virtutibus præcipere? Emite emplastra defensores.

Affirmatum axioma definitur quod sit id cuius vinculum affirmatur. At par est ratio veri. Si falsum debet intelligi ad verum & non definiri; cur non & negatum? Ita è simplici syllogismo facile intelligitur compositus; An & hic non est definiendus? Dicet defensor; definitionem esse obliquè insinuatam per contra? Si ergo interrogem discipulum quid est falsum; is respondebit, contrà. Male certe. Quis vero dignior ferula? *Affirmatũ.*

Interrumpitur & hîc methodus. Nam prius præcipitur de falso, quam verum absoluatur. O regularum obseruatorem Ramum. *Methodus dissecta.*

Nec adduntur fundamenta veri & falsi ex affectionibus topicis, quæ tamen ideo inculcantur vt iudicio inseruiant. Ita nec contingentiæ nec necessitatis primi fontes conspiciuntur in præceptione Ramæa. In topicis nihil dicitur de hoc

miniſterio perſpicue : in criticis ſiletur.

Opinio. Opinioni ſubiicitur regula partim affirmata, partim negata, vt & hinc intelligamus ſtupidos eſſe qui negata axiomata in artibus non ferunt;& ſic ſcientificas regulas non eſſe neceſſario obſeruandas.Eſt autem ſententia: Opinio futurorum per naturam non poteſt eſſe admodum certa:

Exceptio. Et additur exceptio, quanq̃ Deo ſit certa, vt cui omnia ſint præſentia.Eſt & antecedens axioma veritatis contingentis. Nam opinio præſentium & præteritorum dicitur homini certa eſſe poſſe : ſed & fieri poteſt vt non ſit certa.Itaq; in artibus non ſunt mera neceſſaria, nec regulas illas neceſſe eſt obſeruare. Agit hic Ramus bonũ interpretem. Nam conſectarium apponit præcepto ex autoritate Martialis. Quorſum tam ſæpe citat poëtas?Credo vt intelligas à poëtis ipſum artem potius petere quam à philoſopho Ariſtotele, quem tamen in methodo præfigere pudor coëgit.

Neceſſariũ. In neceſſario dicitur, quod non poſſit eſſe falſum. Tam pudibundus erat autor vt falſum non auderet definire,quia ex vero intelligebatur. At hic factus eſt valde audax, addendo definitioni τὸ ἑτεροῤῥυές. An non quod ſemper verum eſt,nunquã eſt falſum? Quorſum ergo additur, non poteſt?

poteſt? An quid noui dicitur, negatione ἀδυναμίας? Nihil penitus. Si enim poteſt vnquam eſſe falſum, non eſt ſemper verũ. Quam vtilis fuerat admonitio, quod aliquando videatur mutabile, quod ſua natura non eſt; veluti cum hic vel ille nõ intelligit neceſſitatem. Vnde & neceſſaria veniunt in quæſtionẽ, de quibus aliâs nemo ſapiens quærit. Dic autem: Homo eſt bipes; eſtne neceſſarium an contingens? Homo poteſt eſſe etiã ſine pedibus. Non ſemper ergo. At philoſopho eſt neceſſarium, quia vt plurimum ita eſt.

Affirmatum neceſſarium dicitur nominari κατὰ παντὸς, de omni. At veteres omne generale affirmatũ vocant κατὰ παντὸς; non tantum neceſſarium. Itaque hic Ramus cum ad rem ventum fuerit, teſte carebit. Debebamus è contrario etiam ſcire, quod negatum diceretur κατ' ἀδενὸς; ſicut falſum erat contra verum. Sed magiſtro ita placuit præcipere. Mirum autem eſt quam inſolenter explicent illud κατὰ παντός. κατὰ παντὸς.

Aliqui volunt genericum & vniuerſale deſignari quod diſtinctim enunciatur per ſignum Omne: aliqui aiunt, ſignari Omnino verum, vt comprehendatur etiam particulare & proprium. Quis fidem faciet? Certe exturbant Ramei aliâs ex artibus

tibus propria & particularia; qa etsi forte possint esse κατὰ παντὸς, tamen non sunt καθόλου πρῶτον. Vnde Theologus non debet præcipere, quod Christus sit Deus & homo, quia speciale: quod contra distinguitur generali cum quo semper est τὸ κατὰ παντὸς ἢ καθόλου vt aiunt. An non elleborum Ramæis? Laborat defensor vt hûc secet nodum; & viam non inuenit.

Impossibile ex abrupto attexitur. Absoluto vero debebat magister definire falsum, & diuidere. Defensor eum excusat per analogian quæ sit intelligenda. Sed quæ ellipsis ita non potest defendi? Dici-
Impossibile. tur autem impossibile esse contrà. Sed non tam ieiune, vt falsum; verum, quod de nullo vnquam verum esse possit: quæ definitio non exacte respondet necessario contrà. Debebat enim ita enunciari contra: impossibile est quod nunquam est verum; seu semper falsum; nec verum esse potest. Omnino in arbitrio magistri tunc fuit logica. Itaque illud tautologum fuerat si dixisset: falsum contra; quod nõ pronunciat vt res est: At hoc non est tautologum. Itaque licet dicere: impossibile contrà: quod de nullo vnquam verum esse potest. Est autem & hoc negatum. Discimus ergo in medio necessario, posse esse præcepta artis vniuersalia negata, & quidem

quidem tali definitione, vt res sit absurdior.

Ab axiomatis necessarii catholica præceptione transit ad doctrinam de axiomatis artium; Et in mediis regulis scientificis ab illis ipsis discedit. Quæso enim vbinam erat præcipiendum de materia artium in genere? An non ibi vbi de omni arte informanda, hoc est, ibi vbi de Bene facere, & artis definitione constitutioneque essentiali? At hoc prius est ipsa logica; quia logica est sub artis complexu. At magister Ramus hîc speciale præceptum habet ratione necessarii axiomatis, quod non tantum arti præscribit, sed & operibus artium, & omnino omni exercitio: Generalius vero hoc est ipsa logica, quia non de logica informatione differit, sed omnino de arte, quæ logicam transcendit. Desiderabunt in me æquitatem, quia logica & sui informandæ præcepta habeat, atque adeo omnium aliarum artium. Dono hoc quidem; at illud nondum possum, nisi Ramæi etiam peripateticis talem audaciam concesserint. *Axiomata artium.*

Iam oritur noua diuisio quod axioma aliud sit κατὰ παντὸς; aliud homogeneum, aliud catholicum; quę tamen tantummodo artibus tribuitur, nõ omni enti & non enti. Hoc si catholicum est, mirum est.

Sed

Sed cur non dicitur axioma neceſſarium ita ſaltem diuidi? Et quidem non omne, ſed duntaxat affirmatum, & artificioſum? Certe diſcipulus hic circumſpectam & fidelem præceptionem deſiderabit.

Dicitur idem artis axioma non tantum de omni eſſe debere, ſed & homogeneum, & catholicum. Bene quidem ſi haberi poſſunt. Sed quid ſi ſaltem ſit homogeneum, & ſic methodo conſentaneum; an non ſit axioma artis? Nondum opinor ſatisfactum eſt peripateticis, qui aiunt Ramum inſidioſe accommodaſſe notas illas Ariſtoteleas artium regulę omni, cum eas philoſophus ſolummodo principiis iudicandis adhibuerit. Mihi tamen facile perſuaderi poſſet, ſi omnia in artibus talia ſiue ipſe Ariſtoteles habuiſſet, ſiue haberi poſſe dixiſſet. Suſpicio enim eſt ipſum hęc pro ſcopo poſuiſſe, quo ſit collimandum, etiamſi non omnino eum aſſequamur. Demonſtrationis principia ad eam exegit amuſſim. Sed quæ ars ex meris à nobis poteſt conſtitui? Ramus ipſe regat exemplum demonſtrationis Ariſtoteleæ datum eſſe, aut dari poſſe. Negat ergo Ariſtotelem illas notas vlli arti potuiſſe accommodare. Quem ergo ſequimur in his regulis, num inuentorem Ariſtotelem?

lem? Ramo censore nullo modo. Imo ne possumus quidem. Quem tandem? Ramum accommodatorem, qui tamen nec ipse assecutus eas est, nec eius assecla. Nimirum

Parturiunt montes nascetur ridiculus mus.

Homogeneũ definitur quod sit quando partes sunt inter se essentiales; partes autem intelligit consequens in axiomate & antecedens, vt est forma & formatum, &c. Sed quid est essentiale esse? In definitione generis apparebat esse idẽ, quod daret essentiam ex se. Ita enim genus est essentiale speciebus. Estne ita & hic? Neutiquam: quia formatum formæ essentiam non largitur, multo minus proprium adiunctum subiecto. Ecce vero constantiam Rami in sermone. Explicatur etiam essentiale per materiam & formam, & horum symbola. Sed id non est in exemplo subiecti & adiuncti. Datur ergo definitio κατὰ μέρος in ipso campo catholico & catapantico. *Homogeneum.* *Essentiale.*

In exemplo reciproco catholico est & hoc; Numerus est par vel impar. Si hoc conuertere velis; comparatum in quanto æquali & inæquali erit numerus. Attamen Ramus nusquam impropriè loquitur; impingit nusquam. *Par impar.*

Post

Ordo neglectus.

Poſt definitionem & exempla illarum legum, ſequitur generale axioma quod proprietatem & vſum omnium ſimul indicat. At methodus iterum vult vt generales regulæ præmittantur. Quoties peccandum eſt in eodem? Idem iudicium eſt

Nomina honoraria.

de nominibus honorariis; quæ ipſe confinxit Ramus. Nuſquam enim extant. At ille gloriari ſolet ſua extructa eſſe exſenſu, hiſtoria, vſu, experientia?

Scientia.

Tandem & aliud genericum axioma ſeu conſectariũ adiicitur, quod iudicium eiuſmodi axiomatum ſit veriſſima & prima ſcientia. Alii dicunt ſapientia. Lis eſto Ramæorum. Interim notemus quod ſupra dictum erat de cauſa quod ſit primus fons omnis ſcientiæ. At in his axiomatis admittitur etiam diſpoſitio proprii adiuncti cum ſubiecto: Et dicitur item quod ſit prima & veriſſima ſcientia. Poſtea diſcendum eſt in artibus etiam hyperbolas va-

Hyperbola Ramæa.

lere. Multa ſunt neceſſaria quæ non admittunt eas regulas; at non minus ſunt vera: vt nullus homo eſt beſtia; tam verum eſt quam, Omnis homo eſt animal; vel omnis homo loquitur. Corollarii gratia quærimus ex Ramæis an non ſit ponendum in arte tale axioma: Omnis homo caput habet; Item, Deus eſt ſapiens; Angelus eſt ſpiritus; Iuſtitia eſt virtus; Nix eſt alba,

alba,&c. Si negant, pro insanis habebũtur. Si aiunt, aduersantur regulæ catholicæ, quia hæc non reciprocant. Defensor dicet, poni posse, sed non vt integra axiomata, sed vt partes definitionum, vel aliorum, inde excerptæ, aut è generalibus ad specialia accommodatæ. Concedo ex rigore legum. At Gentium consensu sæpissimè dicitur solitariè; cœlum mouetur; & præcipitur similiter, terra quiescit. Nũ Ramæorum pertinacia erit anteponenda iuri gentium?

Exceptio.

In axiomatis simplicis explicatione Exceptio locum habet, contra tantam Ramæorum pertinaciam. Dicit enim autor: Exceptis plenis comparationibus & distributionibus. Alii hic iustè notant defectum. Nam quædam diuersa item non possunt simpliciter disponi, vt: Vlysses non quidem formosus est, facundus tamẽ est: vel; etsi non est formosus, tamen amore torquet Deas æquoreas. Mira hic commentatur defensor, & negat in diuersis sibi satisfeciſſe Ramum.

Ramus deficit.

Generale & speciale etiam in compositis.

Diuiditur axioma simplex in generale & speciale. At generale & speciale etiã est in compositis. Si non est, nulla ars poterit composito axiomate constare, quia teste Ramo: Omne artis axioma est catholicum & catapãticum, quibus certe generale in-

cluditur, adeo vt omne catholicum simul sit generale. Si iam compositum catholicũ in arte est; generale quoq; erit; & sic composita erũt generalia. Si itẽ syllogismus simplex omnis aut generalis est aut specialis aut proprius; quidam vero ex meris compositis axiomatis constant; fieri non potest quin composita sint item generalia & specialia, aut talis syllogismus in nulla forma locum habebit, sicque doctrina syllogismorum erit manca. Præterea cum affectio & ratio generalitatis & specialitatis sit in compositis, cur non & generale & speciale? Inesse autem ostendunt hæc exempla: Si homo est, loq; potest; & rationis est particeps; quod genericum & vniuersale est; Item, si homo est diues est; quod sensu suo est particulare. Insuper Ramus ipse in compositis ait, Tollere idem esse ac specialem cõtradictionem ponere. Agnoscit ergo in toto composito generalitatem. Nam speciale contradicit generali negatum affirmato, vel contrà. Ob has causas non sit incongruum inter generales distinctiones etiam hanc reposuisse.

Contradictionis praua tractatio.

Generali axiomati subiicitur regula, quod in eo contradictio non semper diuidat verum & falsum, sed quod contingentiũ vtraque pars possit esse falsa. Item

non

non contingentium. Hìc primũ deſiderabit ſcire diſcipulus quomodo cõtrà dicendũ ſit generali: Generaliterne an ſpecialiter. Accuſabit ergo magiſtrum neglectæ methodi; & legis catholicæ. Poſtea cũ negatum axioma ponitur, concludet id contra omnẽ regulã ſcientificam eſſe, quarum nulla patitur negatum; cumq; iſtarũ regularum fructus dicatur, veriſſima & prima ſcientia; negabit Ramum ſat verè ſciuiſſe cum iſtud ſcripſit. Deinde notamus & axioma contingẽs: hoc nempe: vtraq; pars contingentium poteſt eſſe falſa. Nam aliquando contrarium eſſe poteſt; nempe vtraque vera, vt de contingente tempore: *Omnis nix liqueſcit. Nulla nix liqueſcit.* Ita: *Omnis homo moritur. N. homo moritur.* Item de diuerſis ſeculis, &c.

Contingens.

Pomum eſt flauum. Pomum non eſt flauum.

Cum autem nullum contingens ſit in regulis ſcientificis; hic contra regulas præcepit Ramus. Inſuper cum dicit: Non cõtingentium; ſupercilioſe admodum dicit per negationem, quod debebat efferri affirmatè: Eſtque id ambiguum. Nam & neceſſarium & impoſſibile, poteſt intelligi. Notamus & hoc, quod hic ſigna Ramo admodum ſint grata; quodque fingat pro libitu; cum aliàs nihil admittat quod non extat apud aliquem autorem. Defenſor ait, logicam non curare ſigna; Ex attribu-

Signa.

tione enim apparere generalitatẽ, & ſpecialitatem, quanquam interdum diſtinctionis gratia adhibeantur. Si hoc ita eſt; male enunciauit Ramus:

Omne animal eſt rationale,
Nullum animal eſt rationale.

Nam natura & affectio argumentorum oſtendit horum neutrum eſſe generale; » ſed vtrumq; ſpeciale. Nam Quoddam a- » nimal rationale eſt. Quoddam non. Sed quid obſtat quin dicamus contradictionem adhibitis ſubalternis ſemper indicare veritatem & falſitatem? Eſt id certe ita vt ſupra diximus. Tandem potuit Ramus annotare exempla, vbi non fit diuiſio veri & falſi; hoc eſt heterogeneum explicauit; at vbi exempla diuiſi veri & falſi? Homogeneum magiſtro non ſuccurrit. Quærimus etiam an non ſit contradictio generalis & hæc:

Ramus omittit exempla, in quibus contradictio verum & falſum diuidit in regula generica.

Quoddam animal rationale,
Nullum animal rationale.

Certe Ramus ait particulari axiomati contradici generaliter. An non ergo ſit generalis contradictio? Si eſt, cur Ramus in ea illuſtranda defecit? Accuſauit is omnes logicos abũdantiæ, ipſe peccat contrario vitio.

Speciale. Sequitur ſpeciale, quod diuiditur in particulare & proprium: Et dicitur in eo ſem-

ſemper fieri diuiſionem veri & falſi contradicendo. Hic primum mirificum eſt cur particulare ſubiiciat ſpeciali, cum tamen pars ſit generalior ſpecie. Certe hoc hoc non eſt valde memoris. Deinde quid attinet ita dirimere axiomata? An non erat ſatius diuidere in vniuerſale & particulare; ſeu generale & ſpeciale; & addere, vtriuſque exempla ea in quibus antecedens ſit proprium vocari propria? Certe exempla quædã propria conueniunt cum vniuerſali, vt:

Christvs *eſt mediator.*

Paulus eſt Apoſtolus gentium.

Virgilius eſt Æneidos ſcriptor, &c.

Itaq; & reciprocant. Quædam vero accedunt ad particulare, vt:

Plato eſt doctus.

Æthiops eſt albus dentes, &c.

Hinc priores logici dixerunt propriorum quædam congruere regulæ κατὰ παντός. Dicit defenſor ſpeciale habere duas formas contra diſtinctas; Oportere ergo id diſtingui in particulare, & proprium. Sed formæ iſtæ ſeruantur etiam in priore modo: & eo argumento diuidendum etiam proprium erat, vt iam patuit. Non ergo ſat caſtigata eſt magiſtri diuiſio.

Contradictio in particulari.

Cum ſpeciali ſubiicit proprium & particulare; & regulam ponit quod contra-

dictio ſemper hic diuidat verũ & falſum; contradictio vero ſupra erat cum idem axioma affirmatur & negatur, quæro num in hoc particulari diuidatur verum à falſo:

Homo eſt doctus. Homo non eſt doctus.

Item in hoc proprio:

Socrates ambulat.
Socrates non ambulat.
Hæc aqua calida eſt.
Hæc aqua non eſt calida.

Proculdubio vtrumque poterit eſſe verum. Et tamen ſunt contradictoria vi definitionis. An hæc ſit circumſpecta præceptio? Lemures & lares aduocent defenſores. Opus erit θεῦ ἀπὸ μηχανῆς. Quomodo autem contradicitur proprio? Generaliter an ſpecialiter? Id magiſter omiſit. Dubitabat nempe. Ita in generali axiomate debuerat meminiſſe, quod illi dupliciter contradiceretur generaliter & ſpecialiter. Sed & illud omiſit. In ſolo particulari mẽtionẽ fecit contradictionis generalis. Atqui & illud exponere erat neceſſariũ. Ramus tunc in logica regnabat. In Ariſtotele vitia taxabat; ſua ſibi ignoſcebat.

Cõpoſitum axioma.

Axioma cõpoſitum definitur vinculo coniunctionis. Hoc ergo proculdubio erit res logica. At vbi definitur? vbi locum habuit ſuum?

Præceptum hoc: congregatiuũ enunciat

ciat omnia cõsentanea affirmando; omnia etiam dissentanea negãdo, non est catholicum. Non enim reciprocat ex æquo. Illa enim enunciatio etiam est axiomatis simplicis. Sin legitimum est; permittat & nobis quædã in arte ponere nõ æqualiter reciprocantia: & tunc de rigore suarum legum à se obseruatarum gloriari desinat. *Congregatiuum.*

In connexo axioma contingens & particulare hoc est: coniunctio interdum negatur apertius, &c. Vox interdum aduersatur voci semper: & sic ostendit particularem attributionem & contingentem. Si talia Ramus pro legitimis habet, feret nos similiter præcipiẽtes. Notetur hic cõmunicari axiomati consequẽtiam, ne soli debeatur syllogismo, quod tamen in methodo asseruit Ramus, cũ dixit: In syllogismo spectatur consequentia & inconsequẽtia. *Connexum.* *Consequentia.*

In discreto dicuntur præcipuè diuersa enunciari. Hoc contingens & particulare est. Nam indicatur non esse perpetuum enunciari diuersa discretè. Ita in disiuncto ait: Disiunctio plærunque ex conditione est. Non reprehendo talia, sed nec in nobis reprehendi cupio. Et si vitium non est in arte subintelligi alteram partem; ne sit vitium etiam posuisse, vt sic liceat addere; interdum & alia enunciat præter diuersa; interdum disiunctio non est ex condi- *Discretum.*

tione, seu ex absoluta necessitate. Ita negate: Disiunctio contingens non est absolutè vera: id quod Ramus connexe enunciauit; versutè vt opinor. Hac occasione quæro si non licet in arte ponere:

Nullum vitium est, laudabile.

An liceat ponere connexe:

Si vitium est, laudabile non est?

Trudam clauo clauum. Concedent enim mihi heterogenea negata sensu, licet forma orationis affirmentur, aut Ramus errauerit mecum. Ita Theologi:

Si Deus est, non potest odisse opus suum.

Et: *Deus non odit opus suum.*

Hæc eodem redeunt. Si vnum in arte toleratur, etiam alterum.

Dianoia. Dianoja definitur quod sit cum aliud axioma ex alio deducitur. Hic quæro genus. Si dices iudicium esse; opponam definitionem, qua dicebatur iudicium esse de disponendis argumentis ad bene iudicandum. Hoc non cõuenit Dianojæ, quæ non agit de disponendis argumẽtis ad bene iudicandum, sed de axiomatis. Si dispositionem velis loco generis ponere, redarguam Ramum, qui dicebat pro vno eodemque esse vtrumque. Si in tota secunda parte Dianoja genus non inuenit, neq; tamen est genus summum, cogitate quid sentiẽdum sit de obseruatis regulis scientificis

tificis & methodo. Est sanè perquam absurdum Dianoiæ deesse genus in tam benè constituta arte.

Syllogismi definitio non erat sat αὐτόπιστος. Itaque opus habebat tertio argumento, quo probaretur in syllogismo esse quæstionem & tertium argumētum cum eadem collocatum. Ramæi Aristarchi hoc riderent in Peripato, negarentque methodicum. *Syllogismus.*

Definitur syllogismi consequens statuiturque; at antecedens non definitur nec statuitur; sed intellectui committitur. At methodus artium debebat esse recta & integra. Non licet in artibus prudentia vti, secundum Ramum. Cur ergo ipse tot habet hiatus? *Consequens syllogismi.*

In enthymemate, & prosyllogismo; ordinis etiam mutatione nimis est concisus magister. Discipulus requirebat pinguiorem mineruam: & præsertim definitiones apertas. Mirum autem est, quod ordo mutatus prudenter, dicatur confusio. Intelligemus Rami sententia omnes qui nō obseruant ordinem strictum cōfusè scribere; cumq; ordo iudicetur propriè methodo, videat Ramus quo pacto prudentiam conciliet confusioni, quæ certè vitium est, & imprudentia. Aliter voluit loqui, dicet defensor. Cur ergo non locu- *Enthymema.*

tus est aliter? Mihi non conuenit cum his qui tam exactè præcepturi aliud sentiunt, & aliud loquuntur. Oportet tam acerbũ censorem extra vitium esse, aut audiet & ipse sua vituperia.

Syllogismus simplex.

Syllogismum simplicẽ distinguit affirmato negatoq;. Cur non & cõpositus ita distinguendus? An non axiomatis cõpositis cõgruit affirmatio & negatio? Syllogismus ita dicitur ex axiomatũ habitudine. Iure ergo optimo etiam cõpositus erit affirmatus & negatus. Sed tunc definitiones erunt paululum immutandæ. Nam affirmatus erit potissimum ex conclusione & propositione affirmata: Negatus ex negata conclusione & alterutra antecedentis. Defensor hic friuolè nugatur.

Vide in 2. de Oratore de testimonio & historia, &c.

Distinctio simplicis falsa & ridicula est. Omnes modi contracti dicti seu tertiæ figuræ inueniuntur in vsu explicati, prẽter, quod ego sciam, Datisi. Immerito ergo hæc forma dicitur contracta. Sed & aliæ inueniuntur contractæ; cur non sit communis hæc vox etiam aliis?

Defensor negat. In logicis nostris apposuimus exẽpla ad oculũ explicata. Putat ille in his quæ videntur integra, exemplũ plenum esse. Suauis homo. Quid est exẽplum plenum in forma contracta aliud quã pars antecedẽtis, in qua est pars quæstionis

ſtionis cum argumento? Vbi concluſio eſt, & vna pars antecedentis, ibi enthymema eſt neceſſario. At enthymema non eſt ſyllogiſmus contractus, ſed duntaxat deficiens parte antecedentis alterutra. Suo ergo ſe gladio iugulat.

Eſt & hoc mirificum quod formã ſyllogiſmi faciunt illam contractam, quam tamen negant in forma ſyllogiſmi reperiri. Non eſt ſyllogiſmus ſi quęſtio ponatur, & allegetur argumentum. Forma dat eſſe rei: non materia.

Mirum & hoc eſt, quod contractum explicato pręmittit, cum omne integrum mutilo ſit prius. Argumenti præceſſionem prætendunt. At inquam ego non tantum eſt in præceſſione quantum in virtutis robore & conſtantia. Ariſtotelica figura prima meritò præcedit ob dignitatem, valorem, & euidentiam conſequentiæ.

In methodo certe illuſtrius & generalius præcedit. At prima Ariſtotelica illuſtrior eſt reliquis, & ob id perfecta dicta ad quam reliquę poſſunt reduci & ſpectari. Cur itaque non præcedat?

Ad huius modum qui dicitur Barbara pertinet ſyllogiſmus demonſtratiuus ſimplex, cuius exemplũ ipſe Ramus ex Cicerone appoſuit, & tantopere aduerſatur demon-

demonſtrationi? Hic pręceptor nõ intermittet de ea ipſa præcipere ex ſentẽtia Ariſtotelis, & media experiẽtia cum ratione coniuncta. Vſus autem demonſtrationis, vt & integræ figuræ tertiæ ſi non tam frequens eſt apud poëtas, oratores, & hiſtoricos Ramæos: eſt in ſcholis & ingeniis philoſophorum de variis rebus diſputantium & docentium. Ramus nihil potuit allegare ex ſacris, nihil ex rerum ſacrarum interpretibus; nihil ex philoſophorum certaminibus, nihil ex docendi conſuetudine, nihil ex familiaribus colloquiis. Quaſi logica ſaltem in ſcriptis poëticis, hiſtoricis, & oratoriis eſſet, ita eam concinnauit, ſed nimis inſolenter; quis neget?

Intelligitur in tertia figura.

Ridendus eſt cum ſuo INTELLIGITVR. Si intelligi quædam extra vſum poſſunt, quæ nihilominus in cõſtantibus habeantur præceptis, quod chaos logicum ſit comportandum? Certè illud intelligere tam familiare eſt defenſori, vt quicquid omiſſum eſt contra leges, intelligere iubeat. At hic Ramus intelligenda explicat & in arte ponit. Redarguit ergo ſuum defenſorem, docetq; non ſatis eſſe intelligi; poni quoque & exprimi requirit.

Ramus interpres.

Cum ait: *Hic enim argumentum, &c.* Explicat formam contractam & ratione probat, ſicque agit non præceptorem ſed inter-

interpretem. Si licitum est interpretamẽta miscere præceptis, quo iure reprehendũtur veteres, qui omnes penè artes scripserunt simul interpretando?

Addit: Sic vsus differendi magister syllogistici iudicij contrahitur, nec aliter explicatur. Hoc falsum est fictumque. Vsus enim hanc formam sæpius explicat in omni penè genere exercitiorum, vt constanter probauimus, & probaturi sumus, si quis requirat. Non cogitauit Ramus cum hoc scripsit, perperam à se leges adhiberi posse, & posita falsa sentẽtia omnes præteriri. Ideoque & nullum præceptum hoc est, in locum pręcepti falsa Rami persuasione intrusum. *Falsa præceptio Rami.*

Quale verò & hoc est quod sequitur? Ita ait: Atque ista expositio principium syllogismi partibus explicati ab Aristotele efficitur, tanquam per se pleno syllogismi iudicio sit clarior & illustrior. Iamne valet autoritas Aristotelis cuius tam sæpe profanatur horribiliter exagitando industria? Et cur postponitur admonitio præmittẽda? Generaliter omnis syllogismi id principium est, & quidem materiale, cum dico: *Petrus homo est, quia loquitur: Canis homo non est, quia rationis est expers: Aliqui peccatores seruantur, vt pœnitentes. Nox non est, quia dies est.* Debebat ergo *Contracta forma dicitur ab Aristotele prælata.*

non

non in calce contractæ figuræ poni; ſed generaliter definitioni ſyllogiſmi adiungi. Modos autem diſtinctos figuræ tertię ſeu contractæ in ſuo intellectu Ramus inuenire nullos potuit. Itaque nullos expreſſit diſtinctim. At ſi Ariſtoteles ſequendus erat ibi, cur hic poſthabendus? Non minor huius eſt veritas, quam illius.

Explicatus indefinitus.

Contractum ſyllogiſmum definire poterat Ramus; explicatum non potuit. Dicet defenſor; imò definitus eſt regula, quę habet: In ſyllogiſmo explicato propoſitio » eſt generalis aut propria, & concluſio ſi- » milis antecedenti aut parti debiliori. At inquam ſitne hęc definitio, vbi forma definitionis nulla eſt? Non dicitur quid ſit, ſed quid in illo fiat. Definitio verò eſt argumentum quo explicatur quid res ſit, conſtatque omnis genere & differentia. Sed & valdè inſolenter id præceptum eſt. Cum iam conſtet etiam tertiæ figuræ quinque modos inueniri explicatos; cadet illa præceptio. Nam propoſitio aliquando eſt particularis.

Debilior pars explicatæ.

Cum ait parti debiliori; requiret diſcipulus, quænam ſit ea. Declamabat Ramus antè. Hìc mutus eſt. Ita ſæpè non neceſſaria immiſcet ex affectu vt aliquid teli intorqueat in peripateticos; neceſſaria omittit.

In ſe-

In ſecunda ſpecie explicati, ſeu figura Ariſtotelica prima, notetur demonſtratiuus ſyllogiſmus in Barbara à Ramo imprudente adhibitus. Quæſtio eſt: Honeſtũ vtile; vbi propria affectio quæritur de proprio ſubiecto. Argumentũ ſumitur ex cauſa honeſtatis iuſticia; quia nimirũ iuſtũ. Hæc adeo arctè inter ſe cõſentiunt, vt eſſentialiter omnia axiomata reciprocent ſecundũ veritatem philoſophicã à Cicerone aſſertam, quanquã diſſentiat vulgus. Concluditur ergo τὸ ὅτι per διότι; vt volebat demonſtratio Ariſtotelica. *Demonſtratio.*

In ſyllogiſmo compoſito regulam exhibet: Tollere in compoſito eſt ſpecialẽ contradictionẽ ponere. Hic obſcurior eſt definitio definito. Quid ſit ſpecialẽ contradictionẽ ponere in contradictionibus non aperuit præceptor. Nobis tollere eſt deſtruere, negare, &c. Cumq; non totum compoſitũ, ſed aliqua ſaltem eius pars negetur; ſit ſane particularis deſtructio. Cõſideretur tamen talis modus: *Aut in cœlo eſt chimæra animal, aut in terra: Sed nullibi: Non itaque eſt.* Vbi totum compoſitum tollitur. Sed excuſari per ἔλλειψιν poteſt: q.d. Si eſt, aut in cœlo, &c. *Tollere.*

Diuiſio connexi bipartita eſt. At vſus & ratio triplicem habet, ſicut in logicis oſtendimus. Errauit ergo hic genius Rami *Connexum.*

amore

amore διχολομιῶν. Defenſor mirifica affert commenta. Negat alios modos ponendos eſſe, quia ſint inconſtantes, nec in omni valeant exemplo: Item admonitionem probat, de aliis modis; at negat logicam eſſe. Ridendus ille homo eſt. Vbi habebit locum admonitio de ſyllogiſmo niſi in ea arte cuius eſt ſyllogiſmus? Nimirum hoc dixit, vt ſibi liceat ex arte excludere, pro libitu quod non placet: Vult alio modo concluſum debuiſſe: quia ex reciprocatione axiomatum ſaltem eueniat diuerſum, non ex lege artis. Scio id in quibuſdam exemplis euenire, non in compoſito tantum, ſed & in ſimplici; veluti hoc ex omnibus negatis:

Quod non eſt animal, homo non eſt:
Lapis non eſt animal,
Lapis ergo homo non eſt.

Propoſitio hic ex permutatione cõuertibiliũ eſt, & quia cõtraria ſunt contrariorũ conſequentia. At hoc debet iure in arte præcipi, vt iudicari poſſit. Sed Ramus oderat conuerſiones peripateticas. Itaque ne quis earum fructus appareret, noluit de talibus monere. Sed nimium hoc inſolenter. Verum & alia exempla conſtantis ſunt iudicij; veluti ex negatione antecedentis ad negationem conſequentis; veluti:

Sieſ-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [388] - 384
PUBLIC DOMAIN

Si esset forensis causa vos audirem:
Sed non est causa forensis:
Non itaque audio.

Hic tollitur antecedens propositionis, vsu & ratione approbante, & destruitur consequens. Sed defensor ideo repudiat hunc modum, quia sit fallax in aliis exemplis; veluti in hoc:

Si homo esset canis, animal esset:
Sed homo non est canis:
Non ergo animal.

At inquam ego eodem argumẽto nulla syllogismorum forma esset constans; quia fallaciter omnibus potest concludi; veluti:

Omne animal est homo:
Nullus canis est animal:
Nullus ergo canis est homo.

Hoc in prima figura est.

In secunda ita:

Nullus lapis est corpus:
Omnis homo est corpus:
Nullus ergo homo est lapis.

In tertia sic:

Quædam virtus est vituperanda:
Omnis virtus est vitium:
Quoddam ergo vitium vituperãdum.

In connexo primo ita:

Si homo est asinus, lapis est:
Sed est asinus: Lapis ergo.

In connexo secundo:

Si ignis est elementum, corpus est:
Sed corpus non est:
Non ergo elementum. Ita:
Si Nabal esset homo, saperet:
Sed non sapit:
Homo ergo non est.

In disiuncto:

Aut bibendum, aut abeundum:
Sed bibendum:
Ergo non abeundum.

Vbi vitium est omisso tertio.

Dicet defensor in his vitia euenire propter materiã. Quid ego inquam hoc curo? De forma syllogistica agimus, quæ teste Ramo potest esse cõstans, etiã inter vitia materiæ. Si hoc subterfugiũ ei hic apparet, cur non & in connexo tertio? Cur non eadẽ facilitate dicit non euenire falsum ob formam, sed ob materiam?

Nam: Si homo esset canis, animal esset: hoc ipsum est sophisticum & fraudulentũ. Nam non tantum si canis foret, animal esset, sed animal est, etiam si non sit canis. Male ergo sumtum argumentum intelligimus, & peccatum elencho ignorato. Non est repudianda forma syllogistica propter materiæ vitia. Itaque cum nobis pudorem incutit defensor, quod puerile iudicet non videre qua forma sit concludenda

denda materia; nos ei pudorem reponamus dicentes turpe esse propter vitium materiæ alicuius formam totam repudiare: imò non turpe tantũ sed & illegitimũ & iniustum insciticque plenum. Philippus hic melius Ramo præcepit circũspectionem, dum ait: Oppositiones spectandas esse non communibus differentiis, « sed propriis. Itaque satis cauit eiusmodi sophismatis. Nam ita dicendum fuerat: Si homo esset canis, latraret, &c.

Enthymemata.

Est & hoc notandum occasione cõpositorũ, quod Ramus enthymemata nec in simplicibus nec compositis speciatim expresserit; cum tamẽ non sit vna omniũ ratio, & interfit logici istud scire. Clamabit defensor: At istud facile patet ex integris. Inquã ego, tu præcipere ex lege artis debes etiã facilima. Qualis illa ars est, quę nõ nisi difficilia, obscura, intricata, & antecedẽtia habet? Monendũ est de omni vsu & perfectione artis; non quædam in carcere intellectus sophistici reponenda.

Omnis quæstio in aliqua figurã.

Deinde falsè admodum irridet Ramus Aristotelẽ quod scripserit omnẽ quęstionem syllogismo concludendam in aliqua trium figurarũ concludi. Insultat ei nomine cõpositorum syllogismorũ & ꝑpriorũ, qui non cõgruunt figuris simplicibus. Interim concedit philosopho axiomata

compoſita, & ſucceſſoribus eius perfectionē ſyllogiſmorum cōpoſitorū aſſcribit. At ego temerarium Rami impetū exibilandum iudico. Ariſtoteles compoſitos omnes enthymemate concludebat, non ſyllogiſmo, quem κατ' ἐξοχὴν intelligit perfectum. Perficere verò ſuperuacaneū iudicabat, & rationē eius reddebat, quia ita breuius, dilucidius, & validius in animos irreperet. Itaq; & enthymema ex contrariis, certis & probabilibus conſtituit, & rhetoricum ſyllogiſmum (alio vſu vocis) nominauit. Diſcipuli Ariſtotelis poſtea addiderunt propoſitionem. Conſentaneū eſt, id factum monitu præceptoris. De proprio verò ſciebat idem philoſophus, quod analogia congrueret ad modos ſimplicium; & id nos in logicis oſtendimus. Itaque temerarium fuiſſet de illo peculiariter præcepiſſe. Sed Ramæi caſtigent ſua vitia; & in Ariſtotele reprehendendo adhibeant circumſpectionem maiorem, ne damnari calumniæ & inſcitiæ poſſint.

Connexus primus.

In connexo primo ait Ramus frequenter aſſumi non idem ſed maius. Non attendit etiam minus aſſumi. Si illud monendū, cur hoc omittendum? Aſſumtio & concluſio etiam compendio non rarò ſolet enunciari per hæc: Sed hoc, ergo illud.

lud. Sed antecedens, ergo cõsequens, &c. « Hoc in vsu tritissimum est. Si declamare Ramus potuit inutiliter, cur nõ hoc quoque salubriter monere?

In fine secundi connexi ait: Hæ duæ syllogismi species sunt omnium vsitatissimæ. Si verum est quod dicit (non autem minus sunt vsitatæ formæ simplices prima & secunda, & enthymemata) saltem debuerat generali loco posuisse; quia vtrique modo hoc est commune. Defensor clamabit eiusmodi monitiones esse præceptorũ consectaria: & debere in postumis esse. Dicam ego id ordine inuentionis concedi; sed nõ ordine dispositionis methodicæ, vbi Ramus docet inter inuenta id debere præcedere quod est generalius. Esse autem hoc præceptum vtrique commune connexo, quis non videat? *Connexus secundus.*

In disiuncto secũdo monet de affectione quadam aliena, quando disiunctus fit è negata copulata. Defensor hic suo præceptori in faciem dicere poterat, non fieri syllogismũ talem vi dispositionis propriæ, sed accidere, propter affectionem alienã, quia nimirum negata copulatio sit consectarium disiunctionis. Sed hoc probat in Ramo; Nos si putamus monendum similiter de vi reciprocationis in aliis formis syllogisticis, peccamus. Ita prauè amat suũ *Disiunctus secundus.*

magiſtrum vt illi omnia condonet vitia, nobis nulla : Imo tam iniquus eſt vt ex noſtris virtutibus faciat vitia & puerilitates ; ex Rami vitiis virtutes. Humanum tamen eſt defendere præceptorem : ſed μηδὲν ὑπὲρ τὸ ὑγιές.

Ariſtoteles præteritus.

In omni penè præcepto logico præteritus eſt Ariſtoteles. Nullius inſcriptio præfert eius nomen. Non enim docetur Dialectica ſecundum Ariſtotelem; non inuẽtio ſecundum Ariſtotelem, nõ cauſa, non ſyllogiſmus ſecundum Ariſtotelem. Sola methodus ſecundum Ariſtotelem proponitur. Quid ergo? Hícne ſat idoneus eſt autor Ariſtoteles? Iámne incipimus nõ logicam καθ' ἁυτὼ docere, ſed κατ' ἀριστοτελέα? Defenſor tamen excuſationem inuenit: ſed friuolam.

Methodus.

Datur methodi deſcriptio ſat ponderoſa iuxtà ac obſcura. Ait eſſe Dianoiam. Noto iterum vocis inſolentiam. Addit Dianoiam axiomatum. At iudicij definitio generalis diſponebat argumenta, non axiomata, niſi fortè odioſus ille intellectus in Rami animum non ſat introſpexit. Sequitur: axiomatum homogeneorum : Intelligam quia homogeneum erat eſſentiale, quale eſt formatum formæ, ſpecies generi; methodum nullum admittere enunciatum niſi quod tale ſit:

vt ita

vt ita triplex genus recipiatur, vt Ramus ſupra allegauit. Sed demonſtratum eſt Ramum ipſum hoc crebrò neglexiſſe. Deinde homogeneum methodi non ſatis eſt explicatum. Videtur enim accipiendum eſſe de axiomatis inter ſe vno genere & ſubiecto cognatis; non de argumentis ſibi eſſentialibus. Hoc ſi eſt; certe Ramus non ſat prudenter aut fideliter præcepit. Dicuntur illa axiomata præcedere pro naturæ ſuæ claritate: Si hoc non declaraſſet in ſequentibus, vbi vult generalius & illuſtrius præmitti, ſpecialius & obſcurius ſequi, vnumquodque ordine ſuo quo ſe attingunt proximè, putaſſem omnia debere in methodo præcedere, & nihil eſſe ſecundum. Sed gratias illi agimus pro promta & liberali explicatione, quam vtinam adhibuiſſet etiam in aliis præceptis.

Homogeneum.

De memoria addidit verè quidē: Nam ordo memoriā iuuat: ſed volebat pungere rhetorculos, qui quintam rhetoricę partē faciunt memoriam, quam illis ereptam Ramus collocauit ad methodum logicā. Intelligenda autē eſt memoria artificioſa, quā iuuare etiā poterat inuentio incedens per genera & ſpecies; imo & imagines & alia multa. Phyſici eam facultatem ſibi attribuunt, & nullo modo cōcedunt Ramo

Memoria.

Memorioſi etiam confuſæ capiūt & reddunt.

eius possessionem, cum iuuetur quidem ordine, at p eum nõ sit. Si lis hęc ad tribunal veritatis venerit, causa cadet Ramus.

Methodi iudicia.

Dicit methodo non ordinem tantum, sed & cõfusionem iudicari, syllogismo inconsequentiam cum consequentia: At aliâs non ferunt istas heterogenias in præceptis Ramæi. Intelligi ista aiunt; quid opus est monere? Velim tamẽ moneri etiã ea quæ possim intelligere. Nam nõ omnia omni tempore & loco succurrunt.

Copia Rami.

Copiosus hic est interpres; quia videbatur hærere aqua; adeo vt etiam in plæriſq; euadat πωτόλογος. Illud suspectũ est, quod ait Aristotelem solam illam docuisse methodum, quæ ab vniuersalibus procedit ad particularia. Quid? Nihílne habeat de methodo prudentiæ? Dicet defensor, affectiones illę sunt methodi, non methodi peculiares. Quid tum inquam postea? Illa affectio tanta est, vt faciem methodi mutet in aliam. Itaque & à viris prudentissimis methodus varia est exposita, & Ramus ipse methodum prudentiæ nominat, fortassis distincturus hanc contra methodum artium, quæ non sit prudentiæ, sed temeritatis, quod tamen μὴ ψυέδε.

Defectus methodi Rameæ.

In artium methodo exponenda Ramus nihil habet nisi definitiones & distributiones

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [396] - 392
PUBLIC DOMAIN

tiones & tranſitiones. Vbi proprietates? Vbi regulæ, & admonitiones, interpretationes, declamationes, poëtici verſus, quę omnia in ipſo libro logico frequenter poſuit Ramus? Defenſor iubebit me intelligere. Vah intelligere? Cur non & definitionem iubet intelligere, cum facile ſit cogitatu, diuiſi partes quidnam ſint quæri ſtatim? Ita iubet intelligere etiam ſyllogiſmos pertinere ad methodum, quia trahantur à ſuis axiomatis, quæ vel αὐτόπιστα ſint principia, vel principiorum concluſiones. Quin iuſſerit totam intelligere logicam, nominatis ſaltem titulis.

In declaratione methodi per exempla poëtarum, hiſtoricorum, oratorum mirabilis eſt. Dixerat Ariſtotelem illam ſolam methodum docuiſſe. Vbi vero? Cur ſilet teſtimonium? Producatur locus, & elaboratio. Credo amplexum eſſe; at modone Ramæo? Cur produci poſſunt poëtæ; philoſopho in poſtremis relicto? Sed quod probare per illos ſuos amicos cupit, id non efficit. Ait enim: *Hanc viam ſequi volunt, quamuis non inſiſtant vſquequaque.* O argumentum fidele. Credam ego Ramum leges ſcientificas obſeruaſſe: quia eas ſequi voluit, licet non vſquequaque inſiſtat. Quid eſt temere præcipere, ſi hoc non eſt?

Ex Voluntate non ex facto. O HE.

Poëtæ, Oratores, hiſtorici potius methodo prudentiæ vſi ſunt, quam recta artium. Vtile hic fuerat admonere de exordio, narratione, theſi, confirmatione, confutatione & Epilogo; qua via penè in omni incedunt oratione & epiſtola. Si etiam oratores methodum confirmare poſſunt, qui fit vt ſibi aliam præſtituant, ſuaque diuidant in cauſarum genera, ſtatus, & certa argumenta? Poëta item non raro ordinem obſeruat ſyllogiſticum, vt in lyricis, epigrãmatis, &c. Ramus ſaltem vnum producit modum quo incipitur à medio, &c. In comicis dicitur methodus talis eſſe, vt fortuita videantur omnia, obſeruatis actibus & ſcenis. Cur non dicimus nihil poſſe ſcribi ἀμεθόδως?

Poeta.

Hactenus logica Rami. Dices: Omnia-ne improbas in illo autore? Non inquam ego, ſed quædam; Et ea magna ex parte in hunc finem vt ad mutuam condonationem cenſores Ariſtoteleorũ inuitem, ex hypotheſi regularum ſcientificarũ quę in nulla humana arte poſſunt obſeruare penitus. Placet mihi diligentia Rami; placet ἀκρίβεια in multis induſtriè correctis, qua felicitate effecit, vt in ipſam penè veritatem introſpicere poſſimus, eamque fundo eruere. Hoc merito non obſtiterim, quin eius ſepulchro imponatur

logi-

logicum monumentum. At omnia poterant fieri modestè. Si enim produxisset illa sua inuenta non aduersus Aristotelem & veteres, sed pro iis, quam benè stetisset? Emendarunt Aristotelica etiam alii; sed cum laude & approbatione eruditorum. Censeri vero etiam sua passus fuisset nec regnare maluisset solus. Sed satis est verborum.

DE QVIBVSDAM P. RAMO PARVM CONSTANTER & rectè obiectis.

Non est contemnendum Rami ingenium. Itaque monuerim quosdam, ne nimio Aristotelis amore inflammati etiam ea in Ramum intorqueant, quæ pueriles lusus, aut aniles fabulas resipiunt potius, quam syncere philosophantis, seuereque statuentis animum. Ait quidam Ramum eiusq; assecias se ornare alienis plumis, vigilias aliorum intercipere, veterum monumenta doctissima carpere; publicam vtilitatē non spectare, & his similia conuitia temere effutit. Quid hæc ad epos? Non contumeliis, sed veris argumētis pugnandum, aduersus eum virum, cui ingenium fuit sublime, & eruditio non vulgaris. Ad stultos stulta.

Negat

Regulæ demonstrationum.

Negat idem demonstrationum regulas posse aut debere accommodari arti scientiæque omni, quia is non fuerit Aristoteli sensus, nec aliis veteribus. Neque hoc facit aduersus Ramum. Aristoteles certe principia scientifica ita iudicanda cẽsuit. Ea vero sunt scientiarum ipsarum, quæ sunt primæ, præcepta, ex quibus petuntur demonstrationes, seu scientia secunda, quæ vocatur demonstratiua. Nec quædam ita iudicat, quædam non; sed omnia. Est enim omnium hactenus par ratio. Itaq; & axiomata illa appellat omnia. Cur ergo non accommodentur illæ regulæ scientiis? Euoluimus philosophi illa monumenta sat diligenter. De scientiis informandis constituendisque eum loqui in illis animaduertimus. Cur sit alienum à sensu eius adhibere iudicio scientificorum præceptorum notas ἐπιστημονικάς? Est & Aristoteli quod præcepta attinet scientia cum arte eadem. Ita enim accipit in 2. Elench. cap. vlt. 1. Rhet. c. 1. & 2. 1. metaph. & in vlt. 2. Post. Quid ni si scientias ita informat, etiam artes? Non ignoro eum tunc artem aliquando vocare, cum adhibitio præceptorum ad vsum seu opus, hoc est πρᾶξιν spectatur; scientiam cum præceptorum cognitio seu theoria. Interim autem & illa sententia rata est.

Scientia & ars idem.

Nihil

Nihil ineſt huic diſceptationi ſolidi. Ridendi & illi ſunt qui neſcio qua præpropera ſapientia Logicam negãt ſcientiã aut artem eſſe, argumento, quia ſcientiæ ſint particularium artium ἡ τῶν πρώτων νοημάτων, non ſecundorum, quorum eſt Dialectica. Addunt hanc eſſe modum ſciendi, non ſcientiam. Vnde hæc tam putida? Non definitur ſcientia primis vel ſecundis noëmatis. Vtriſque enim eſt communis, ſed principiis ſciendi, hoc eſt præceptis immotis forma methodica ad vſum expoſitis, quibus cognitis, quia cauſam operum habemus, ſcire dicimur. Iam autem Dialectica generales omnium quæ vſu rationis laudato fiunt cauſas continet. Qui ergo non ſit ſcientia? Nec eſt abſurdum ſcientiam miniſtrare ſcientiæ. Faceſſant ergo illæ ineptiæ de organo. Inculcant & illud Dialecticam agere de probabilibus tantum; Demonſtrationem de ſcientificis; Elenchos de falſis. Antiquorum ea fuit diſcretio. Sed recentum calculo pridem correcta. Quot enim logici etiam ante Ramum Dialecticæ incluſerunt omnia? Ipſe Socrates in Dialectica commendat definitionem & diſtributionem, aitque qui his valent, eos Dialecticos nuncupari. At Ariſtoteles in libris analyſeon poſteriorum definitionem pro principio demon-

Logica an ſcientia vel ars vel neutrum.

Dialectica de quibus agat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [401] - 397
PUBLIC DOMAIN

demonſtratiuo habet; & diſtributione vtitur in ſcientiis ad genera & ſpecies, quæ cauſas & effecta ſecundũ eſſentiam cõtinent, deducenda. Iudicio itaq; tantorũ logicorum Dialecticæ eſt etiam demonſtratio. Ramus nõ confudit materias contingẽtes & neceſſarias, ſed accuratè diſtinxit.

Logica Theorica & practica.

Si nolunt aduerſarii illi inepti verum dicere, abſtineant & mẽdaciis. Nugæ ſunt quę deblaterantur de logica Theorica, quam ſcientiam nominant, & practica q̃ ſcientia eximunt. Vna eademq; Dialectica manet ſcientia ſiue tantũ doceatur vt poſſit ſciri & intelligi, ſiue ad vſum accõmodetur, vt ſecundum eius præſcriptum aliquid fiat.

Scięt̃ia propria, impropria.

Ita de propriè dicta ſcientia, & impropriè garriunt. Eiuſmodine nugis ſint onerandę aures eruditæ? Ecquis vſus eſt tam deliratum diſtinctionum? Ægrorum ſomnium eſt logica metaphyſica, & logica cõmunis.

Praua definitio Dialectica.

Dialecticam definiuerunt quidam methodum inueniendi verum & diſcernendi à falſo. Sed & horum ſententia, quia ſtoam reſipit, de qua Cicero dicit quod neglecta priore parte Dialecticæ, poſteriorem tantum exercuerit emendata eſt.

Topica.

Certè Rhodolphus, Cæſarius, Philippus, Cicero, Boëthus & alii topicam includũt Dialecticæ, quæ nec de vero nec falſo iudicando agit, niſi tranſcendenter eas voces

ces accipias, secus ac Aristoteles, qui verũ & falsum extra compositionem seu dispositionem non quærit. Topicam esse eam Dialecticæ partem quæ tractat probabilia; analysin eam quæ necessaria, puerilis phantasia est. Grauis est autor Cicero. Is classes argumẽtorum simplicium seu notionum topicæ assignat. Ita & Boëthus, Rhodolphus & alii. Inde & sedes argumentorum nominantur Loci: in quibus certè non tantum probabilia sunt, sed & necessaria, causæ scilicet, definitiones & alia. Sed & Aristoteles analyseos vocem syllogisticæ tractationi accommodauit, si quidem is est distinctionis eius autor. Si item illæ sunt partes Dialecticæ; nihil habebit præter enunciata. Quis ergo locus erit prædicabilibus, & simplicibus notionibus, seu argumentis? Affirmant inuentionem & iudicium, non esse partes, sed officia logicæ totius. Si elephas posset curare muscam, his telis tam ignauis moueretur Ramus. Sunto illa simul officia; an ob id cessabunt esse partes? Sed & falsum est quod totius omnino logicæ indiscretim sint officia. Prioris enim partis seu topicæ tantum est inuenire; posterioris tantũ iudicare. Armatur autẽ Ramus iudicio stoicorũ, Ciceronis, Philippi, Rodolphi, Boëthi. Itaq; non est vt metuat istas ranas.

Topica analytica.

Inuentio & iudicium.

Quæ-

Ramaos habere vmbram.

Quædam è vepreculis ſordidis prorepens nitedula clamat, Rami aſſeclas nihil habere niſi vmbram fallacem, λόγους ἐνυπνιαπτικὸς qualeſcunq; deſcriptiones, repudiatis eſſentialib. definitionibus & diſtributionibus, &c. Hunc furere dicendũ eſt. Loquitur enim res ipſa. Addo quod pinguius ſoleant & copioſius definiri peripatetici. Rameĩ conciſius. Nullum prohibet Ramus, vt qui & prolixas deſcriptiones in vſu agnoſcit. Mauult tamẽ in præceptis ſcientificis eſſentiam rei paucis comprehendere quã odioſe per omnia argumenta in ipſa definitione declamare, & poſtea nouis quæſtionibus ea ipſa iterum longe odioſius inculcare, qui mos eſt quorundam.

κατὰ παντός.

Lex κατὰ παντὸς Ariſtoteli nota ſaltem & regula iudicii eſt. Corrector Rami admodum feſtiue axioma facit. Eadem adhibetur tantũ ſcientificis per ſe ſpectandis; aliis ex accidente. At corrector Rami ait, quod iubeat conquirere propoſitiones eiuſmodi, in quibus prædicatũ enuncietur de omni ſubiecto. Huius cenſura κατὰ παντὸς erit, cum dico:

Omnis leo eſt aſinus. vel:

Omnis homo deſipit.

At Ariſtoteles, iudicio eiuſdem, nullis niſi demonſtratiuis adhibebat. Pudeat eiuſ-

eiusmodi nugatores in cõspectu lucis apparere, spe oppugnandi Rami. Aristotelis verba sunt: κατὰ παντὸς τοῦτο λέγω ὁ ἀν ᾖ μὴ ὂν τινὸς ᾖ, οἷον ὃ μὴ, μηδὲ ποτὲ μὴ, ποτὲ ὃ μή. Negat de omni esse quod contingens est & particulare. Agnoscit ergo necessarium & vniuersale, id quod sua natura tale est non enunciandi modo, vt:

Hoc aduersatur & Ramæis quibusdam qui dicũt etiam specialia esse κατὰ παντός.

Homo est animal rationis particeps.

Est idem & affirmatum. Hæc explicatio etiam Ramo grata est. Verum vt in superioribus dixi, monstrat quidem Aristoteles qualia deberent esse axiomata scientiarum; sed nos non possumus ea assequi, nec est assecutus ipse. Quædam ità informari; & prope accedere in hac natura satis est. Quod conqueruntur omnes artes repletas esse propositionibus particularibus, contingentibusque, id nil facit ad Ramum, qui hoc accusat, nec rectè fieri ostẽdi potest, nisi quod aliquid concedendum sit humanæ imbecillitati, & ad necessaria aspirandum quantum fieri potest. Certè & Plato in Timæo & alibi mutabilia seu contingentia sciri, & arte comprehendi debere negat. Et quis est opificum qui doceat discipulum id cuius ratio cras futura sit alia? Plurimæ autem artes editæ sunt cum commentariis. Hoc non attendunt Antiramæi. Itaque deci-

piuntur ſingularia æquè pro præceptis habenda ac vniuerſalia.

κα̃θ' αὑτό.

Qui legem κα̃θ' αὑτὸ tantum præmiſſis ſeu antecedẽti ſyllogiſmi attribuunt, non ſolidè iudicant. Ariſtoteles certè demonſtrationis ſuæ concluſionem facit ex proprio ſubiecto & adiuncto. At & hæc illi ſunt κα̃θ' αὑτό. Deinde eſſentialis eſt præmiſſis complexio. Inde enim ſequitur tanquam ex cauſis effecta. Si illæ ſunt κα̃θ' αὑτὸ, cur non hæc? Conſideretur hoc exemplum demonſtrationis:

Quodcunque rationis particeps eſt, id ratione vti poteſt:
Homo eſt rationis particeps:
Homo ergo vti poteſt ratione.

His autem armis tam impeditis Ramus non expugnabitur. Non puto vllibi monſtroſiora commenta extare, quam quæ affert quidam in odium Rami ad declarationem 5 κα̃θ' αὑτό. Nam dicit quarti per ſe modi eſſe talia: Ramæi quia mali philoſophi contemnunt Ariſtotelis philoſophiam: Homo quâ animal, ſentit: Et ſimilia multa. Optes ei elleborũ. Negat idem à Ramo diuiſam eſſe legem homogeneam in modos. Certè hoc ille adumbrauit breuiter exemplis, & generali definitione expoſuit, vt ſuo lõco videre eſt. Intelligenda prius Ramæa philoſophia eſt, quam

Stultæ exemplæ modi quarti per ſe.

tam

tam futiliter reprehendenda. Hoc facto, inter topicas affectiones argumentorum inuenietur quænam sint καθ' αὑτὸ affecta, & quæ non. Quo vero argumento certo lex καθ' αὑτὸ non pertinebit ad axiomata logica? Est profecto logica & sui informandæ regula, & aliarum artium. Sed qualis est ille blaterator, cui in regulis istis explicandis non satisfaciunt Themistius, Thomas Aquinas, Toletus, Niphus, aliique innominati plures. Tales sunt qui Ramũ omnino damnant. Mentitur cum ait illum toto genere à glossis veterum discrepare. Cõferatur Aristotelis litera & sententia cum Rami verbis. Patebit veritas. Neminem autem interpretum assecutum esse Aristotelem, grande est postulatum. Nec Ramus omnia sine discrimine damnat. Non est viri boni ita turpiter calumniari. Ridiculũ est, quod negat legem κατὰ παντὸς sancire de veritate, quia verba illa nõ significẽt de veritate, sed de omni. Talesne sunt Antiramæi illi vitiosi? Itane speratis victoriam? An verò non per κατὰ παντὸς intelligitur de omni verum, necessarium, affirmatum? Si nihil licet addere, cur alii adiiciunt τὸ DICI? qua voce hoc verbum indicatur?

An Ramus omnino discesserit à veteribus.

Miserabilem elenchum cõmittit dum concludit contra Ramum, si poscantur

An tollatur rerum contingentia si præcepta artium sint κατὰ παντός.

artium præcepta κατὰ παντὸς tolli rerum contingentiam, fortuita, rationẽ rectam artesque euerti, libertatem voluntatis destrui, &c. Non intelligit etiam mutabilia perpetuo, axiomate κατὰ παντὸς posse enunciari, vt: Humana voluntas est mutabilis: venti indiscretim impingunt; Elementa sunt corruptibilia, &c. Interim tamen fatetur regulas artium debere esse κατὰ παντός. Ecce aduersarium Rami. Iudicetur & ex tali syllogismo:

Omne verum est κατὰ παντός.
Nullum negatum est κατὰ παντός.
Nullum ergo negatum verum.

Ita vult arguere ex thesi P. Rami. Sed illam is ne per somnium quidem febricitans vidit. Omne κατὰ παντὸς verum iudicauit, sed non contrà.

An in Grammatica nihil κατὰ παντός.

Ludit inepte dum de Grammatica ait, quod in ea nulla ferè sint κατὰ παντὸς vt sit consequens, etiã nulla ferè inesse omnino & necessario vera. Illud autẽ ideo statuit, quia nulla penè sit regula sine exceptione, teste Donato & aliis. Malè informatam artem obiicit. Si informata sit legitimè, præualebunt præcepta vniuersalia, nec tot exceptiones ingerentur. Et quidem quod attinet exceptiones, necessitas interdum aliquas admittit, siue quia nos nõ assequimur ob aliquam circumstantiam

Exceptiones.

quod

quod cupimus, siue quia dispergẽda contrahere ob doctrinæ euidentiam volumus, quæ quidem causa in omnes artes inuexit exceptiones. Sed autores sibi nimiũ indulserunt. Reprehendunt viri sapientes etiam in peripato & academia illos qui primum ponunt regulas, deinde exceptiones, hasque iterum aliis cumulant; post adiiciunt obseruationes, quibus succedunt notæ, & notæ notarum. Quæ hęc tam peruersa præcipiendi ratio est? Eueniunt & exceptiones in vsu. Qui itaque vsum præceptis immiscuerunt, & his frequentes sunt exceptiones. Sed satius fuerat præcepta suo ordine tradere, & vsum postea seorsim monstrare. Non quid factum sit, sed quod iustum spectamus.

Quod colligit Grammaticam artem non esse, si artium præcepta sint κατὰ παντὸς, eiusdem est fecis. Admittitur elẽchus τοῦ συμβεβηκότος, dum perperam factũ, pro legitimo sumit. Ac suo se iugulat gladio, dum ante confessus est debere artiũ præcepta esse κατὰ παντός. O dementem Rami oppugnatorem.

Vult Rami expositionem τοῦ κατὰ παντὸς gignere in omnibus scientiis multa absurda: non trahi debere id ad artes; relinquendũ philosophis. Quis non videt musas huic blateroni non fuisse sat propitias?

Non intelligit illam notam tantum adhiberi ad veritatem neceſſariam affirmatam, non ad veritatem ſimpliciter. Itaque ineptit dum dicit, quia negata, contingentia, particularia, &c. ité ſint vera, non poſſe eam legem veritatis eſſe.

An κατὰ παντὸς in vlla ſit arte obſeruatũ.

Negat obſeruari eam poſſe in vlla arte. Cur ergo relinquenda philoſophis? An philoſophiæ nullæ ſunt artes? Nos diximus obſeruari debere, quanquam non vſque adeo rigide queat: Et in hũc finem ea eſt ex natura rerum magno iudicio Ariſtotelis depromta.

De antecedente & conſeq.

Ridiculus eſt logicus cum illud perpetuum negat; ad poſitionem antecedentis ſequitur poſitio conſequentis; ꝙ quidem de rerum natura agit per ſe, non de ſophiſticationibus. Atqui placet is homo quibuſdam doctis. Nimirum quicunque ſe opponit Ramo, etiam Seriphia rana, aduerſariis in admiratione eſt. Nolite ita pugnare, qui ſapitis.

In aſtrologia an quid neceſſitatis.

Rectè negat in aſtrologorum cõmentis nihil pene eſſe neceſſarii, quod attinet prædictiones. Vani enim vana vaticinantur. At interim veræ incorruptæque artis præcepta non ſunt inania. Non euenire aëris tempeſtates vt ſunt prædictæ, quanquam errare in accommodatione magiſter poſſit, tamen ſi ex arte pronunciauit,

veniam

veniam meretur, non quod ipse aberrauerit, aut falsum præceperit scientia, sed quod accidens interuenerit & effectum mutauerit. Est autem Aristoteli in physicis etiam hoc artificiosum quod plærunque euenit ex causis intimis naturalibus.

Si res generales an etiam noemata prima.

Puerile planè est quod colligit, si pragmata non sint κατὰ παντὸς, nec prima noëmata esse; atque ita peccare Ramum diuellendo hanc societatem. Notum est in praxi non peccari vitio regularum, sed accommodantis vel inscitia & imperitia, vel neglectione. Optimè aliquando scimus vniuersalia in medicina, vt quod contraria contrariis remedia; at in accommodatione ad singularia, non infrequenter infelices sumus, propterea quod rationes in re singulari variæ comprehendi omnes non possint, quæ res maximè facit medicinam coniecturalem, vt & alias artes in quibus vsus spectatur.

Sophisma ridiculum à Deo.

Nauiget Anticyras cum hoc paralogismo, si solus Deus, inquit, est ἁπλῶς ἀναγκαῖον, in artibus non potest habere locum " sententia Ϛ κατὰ παντὸς Ramæa: quia solum necessarium tollit aliorum necessitatem simplicem. Credo Deum absolutè " talem; sed reliqua sunt per Deum, vt qui " est secundus in secundis, &c. Itaque & vi- "

deatur quale sit quod ait, reliqua omnia esse ἁπλῶς ἐνδεχόμενα. At voluntate diuina ita sunt rata, vt esse aliter nõ possint. Non enim potest homo aliud quid esse quam homo. Quicquid est aut est aut non est: & cum est, aliud esse non potest.

An Ramæi scholarum pestis.

Temerè nugatur cum colligit si tolerentur Ramæi, tunc exorituras hæreses, actũ fore de scholis cimmerias tenebras nos inuasuras. Quis hæc omnia ante Ramum excitauit? Vnde scotistica religio? Ego Deo gratias ago pro Ramea perspicuitate, quanquam non omnia istius viri amplectenda censeam. Plurimum adiutum me eius præceptis fateor, idque vsu possum contestari, & adolescentiæ profectu. Mentitur negando in Ramæa philosophia inueniri firma fundamenta pro veritate. Hic rhodos, hic saltet.

Definitiones & diuisiones.

Carpit definitiones Ramæas frustrà; Diuisiones arrodit temerè, vbi mirificus est logicus cum dichotomias infamat, tantopere Aristoteli commendatas. Nec nesciunt Ramæi etiam ex disparatis diuidere vbi opus est. Improbant Ramæi limitationes vocantque ineptias. Et quidem merito. Nullæ tam atroces vastæq; sunt absurditates, quæ non queant istis sophistarum limitationibus excusari, sicut ille ipse nugator innumeras penè perple-

Limitationes.

xitates

xitates inuexit, tot modis distinguendo subiectum, seq; in varia monstra vertendo. Quid faciant ad exactam veritatem illi vertumni non ignoramus. Qui instructus est veris præceptis rectè informatis, illi nõ opus est vllis strophis. Simplici & apertæ veritati innititur, nec particularia pro vniuersalibus, contingentia pro necessariis imperitè ponit, &, vbi compellatur, suam turpitudinem mirificis commentis excusat. Calumnias & mendacia in Ramæos portentosè effusa, de diuisione propriorum nulla, de promiscua omnium interpretatione, de neglectis respectibus, &c. prætereo.

Theologi, &c. dicuntur negligere legem κατὰ παντός.

Videant Medici, Iureconsulti, Theologi, quos accusat neglectę legis κατὰ παντὸς, negatque vlla apud ipsos penè exempla inueniri. An illi nihil habeant necessario veri, affirmati, de omni?

Artiũ præcepta anceps.

Dum dicit non omnes propositiones in artibus esse simpliciter veras propter exceptiones; tribuit artibus aliquod ψεῦδος. Et hoc verisimile est ipsius sophistæ studio. Nam totum quod in Ramum effundit, arguit eum artem falsi didicisse. Ignorat miser exceptiones esse regularũ partes, paulo diuersè enunciatas.

Theologi videant de suo foro. Hic antiramæus illorum veritatem facit suspectam,

ctam, negans extare apud illos regulas informatas secundum κατὰ παντὸς, & nominatim dicit multa esse in Theologia enunciata non nisi ἕνεκα τῆς λέξεως κατὰ παντὸς, non autem καθ' ἀλήθειαν, vt hoc: Omnes credentes seruantur; dicit vniuersale seu de omni esse saltem dictione, non autem veritate. Quis iam hæreses blasphemas parturit, Ramæine an hi qui se Ramo tam stolidè opponunt? Ita delirat & in his: Omnis qui videt filium habet vitam æternam: Omne peccatum tollitur in baptismo. Omnia Ecclesiæ membra sunt Christi membra: Omnes mortui resurgent, &c. quæ omnia ait catapantica esse non ἀληθείᾳ sed λέξει. Ergo aliud dicitur in sacris literis, aliud verum est? Si congrua sit eius interpretatio, certè dictio ipsa est blasphema & periculosa. Alium quærite patronum Antiramæi.

Ecce Antiramæum.

καθ' αὐτό.

Ramus legem καθ' αὐτὸ suo instituto & iudicio nominat legem iusticiæ, quia secundum eam cuiq; arti & argumento tribuitur suum. E fructu honorarium produxit titulum. Ille ἀλάστως ridiculè aduersatur, negans id iustum, quia vox καθ' αὑτὸ non significet iustum. O hominem catum & lepidum. Eiusmodi est & in hoc, quod e contrario concludit τὸ κατὰ συμβεβηκὸς fore iniusticię, si καθ' αὑτὸ sit iusticiæ: Et putat id ab-

id absurdum. At illegitimum est & sophisticum accidens opponere, cum dicendum erat καθ' ἀυτό. Ipse Aristoteles & omnes alij id iniustum, iniquum, & inter sophisticos elenchos, non in artibus & scientiis ponendum habuerunt. Putat autem κατὰ συμβεβηκὸς esse cum dicitur: Quidam homines piè viuunt. Possit fortassis ita id exponi; quia fortè non homo, sed pius piè viuit, sicut non homo medetur, sed medicus, &c. sed tam exilia hic non notantur. Non fert Aristoteles si in re physica præcipere velis; vnitas loquitur; « Rubrum venit: pallium dicit, &c. nec « in Theologia sanum est, Album credit; « Tunica fide sua viuit, &c. Ita nec Iurisconsultus ferre poterit; Liber est ars æ- « qui & boni; papyrus est virtus; bacu- « lus tribuit cuique suum, &c. Ea verò o- « mnia κατὰ συμβεβηκὸς sunt, cum accidant rebus per se. κατὰ συμβεβηκός.

Errat cum dicit κατὰ συμβεβηκὸς esse hoc: Homo loquitur, quia non semper loquatur. Discat ex naturali affectione iudicandum esse; non ex singulari actu. Affingit Ramæis quod istam regulam accipiant ἐν πλάτει sine distinctione, atque ita tollant artium cognationem, aboleant facilitatem docendi, &c. cum aliàs si distinguatur posse concedi innuat.

O mi-

O miſerum antagoniſtam. Non intelligit aliud eſſe præcepta artium conſtituere, aliud ad docendum & vtendum accommodare. Interpreti licet aſciſcere aliquid ex aliis artibus; ſed non præcepta informanti. Manet ſua artibus cognatio etiam cum cuique relinquitur ſuum. Perperam iudicat, cum confundit artes nudas, cum artibus declaratis interpretando. Vt autem ſaluet confuſiones ſubiectorum in artibus, & alienitates, quam friuola comminiſcitur? Diſtinguit genera, ſubiecta, diſtinguit varia propria ſubiecti, diſtinguit genera accidentium, diſtinguit modos conſiderationum; quia ſubiecta ſint vel propria vel communia; remota proxima, &c.

Alienitatũ excuſatio.

Quid eſt inſanire ſi hoc non eſt? Numerus eiuſque præcepta καθ' αὐτὸ eſt Arithmeticæ. Si ingreditur Dialecticam; exemplariter ingreditur, non quod numerus ſit, ſed quod in ipſo præcepti cuiuſdam exemplum. Hoc ſciunt & fatentur Ramæi. Illud autem ferre non poſſunt, cum præcepta Arithmetica præcipiuntur in Dialectica, &c. Et hoc ipſe improbat Ariſtoteles, qui negat alienæ artis dogma, probari poſſe per artem alienam; auerſaturque confuſiones. Certum eſt Antiramæos plæroſq; nunquã intelligere Rami men-

mentem. Est autem alia ratio operum artis. In his multarum artium vsus concurrit, vt in poëmatis, orationibus, historiis, disputationibus, &c.

Ars vlla an possit tradi absque altera.

Negat vllam artem tradi posse perfectè absque altera. Delirat. Quî enim non possit? An non quęque constat sua materia & forma perfectè? Inseruit altera alteri in inuētione, & vsu; vt omnibus Grammatica & logica; sed inuentæ & constitutæ nihil aliud habent præter suum. Ita Arithmetica nihil nisi de numeris præcepta, &c. Sed ille mirus philosophus analogias pro identitate adducit, & quod penuria vocum, aut etiam significatio transscendens efficit, artium αὐτότητι asscribit perperam. Est coniunctio in Grammatica; est & in logica; sed dictio communis vtrobique est; Res non est. Ita de aliis.

Anile sophisma est quod in vna per se traditū, in altera poni possit per accidens. Præceptio ipsa id planè abhorret. Interpretanti & vtenti permissa licentia est.

Rhetoribus tantum datur opinio.

Quod rhetoribus saltem δόξαν, nō autem τὸ ἀληθὲς tribuit, & rhetores accipit pro oratoribus; videat quomodo eorum effugiat impetum.

καθ' αὐτὸ an iusticia.

Puerilem elenchum admittit, cum ait, legem καθ' αὐτὸ nō posse esse iusticiæ, quia iusticia sit Ethica virtus, non logica; vt ita viola-

violata sit ipsa lex καθ' αὐτό. Non intelligit Ethicam iusticiam in Ethica quidem tradi propriis præceptis: at vim suam exerere in omnia quæ sunt iustè disposita. Ita & logica præcepta primum locum in sua arte habent, at potestatem diffundunt in artes omnes tanquam subiecta & materias circa quas inueniendas & iudicandas occupantur.

καθ' ὅλου. In lege καθ' ὅλου, quam Ramus sapientiæ consecrauit, ridet iterum ineptè, quasi is voluerit verbum verbo reddere, cum spectauerit sapientem digestionem axiomatum generaliũ & specialiũ, qua fit vt generali loco illa, hæc speciali ponantur, sicut ipse ait philosophus: Naturæ accõmodatum est, primum communia dicere, deinde quæ sunt circa vnumquodque propria contemplari, &c. Ordinem autem attingi illa lege, indicat vox καθ' ὅλου, & vox πρῶτον: quanquam vnà sit coniuncta reciprocatio, & dispositorum æqualitas, sicut fit in axiomatis scientificis. Notamus autem & ipsi, quam difficile sit omnia in artibus reciproca ponere, quanquam præcepti perfectio id requirat. In definitionibus, diuisionibus, & pprietatibus, quæ tria sola Aristoteli sunt scientifica præcepta, id obseruari certè sat exactè potest, atque etiam debet. Sed videndum ne regu-

1. post. 1. larum

larum partes pro totis arripiantur: sicut fit cum dirimis totam definitionem; vt: Homo est animal rationale: Homo est animal: Homo est rationalis. Ita in diuisionibus: Animal est bestia & homo. Bestia est animal: Homo est animal, &c. Ita cum propria generalium repetuntur in specialibus illisq; accommodantur, crypsis fit; veluti: Homo loquitur: hoc generale est; & secundum legem καθ' ὅλου, loqui, debet apponi homini. Sed crypsis cõmittitur, cũ propriũ generis assignas speciei, dicisque; Plato loquitur. Ita rectè dictum est ex lege catholica; Equus est animal hinniens: At lex dissipatur, cum partes definitionis dirimuntur vel speciebus accõmodantur; vt Bucephalus est animal hinniens: equus est animal: Bucephalus hinnit: quorum nullum reciprocat ex æquo. Et sic arguit lex καθ' ὅλου πρῶτον hæc attributa non esse his propria, sed competere alicui superiori. Ex his intelligitur quando imbecillitas nostra obstet, quo minus obseruare semper illam legem possimus; nempe tunc cum illud generale inuenire, aut nominare non possumus, aut certè citra confusionem præceptorum non exprimere eo in loco, vbi ponendum est particulare, cum tamen sua natura sit: Item cum ex genere repetimus præcepta & pro-

Particularia ex vniuersalibus diremtis.

Quando particularibus cogamur vti.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [419] - 415
PUBLIC DOMAIN

& proprietates, easq; adhibemus ad ſpecies. Hęc & ſimilia cum non attendant aduerſarij Ramæorum; multa aduerſus eos temerè effundunt.

Sententia legis καθ' ὅλου.

Agitur poſtea de ſententia legis καθόλου πρῶτον. Vult Antagoniſta velle eã, vt prædicatũ inſit ſuo primo & immediato ſubiecto, cum quo cõuertatur. Concedit itẽ artes reqrere vt generalia generaliter dicãtur idq; ſemel tantum: ſed ex illa regula non eſſe affirmat. Donat Ramo plus nimio. Illam interpretationem amplectitur Ramus, fateturque non prima ſtatim facie ſanciri iſtum ordinem ea lege; At inde ex eius potentia deduci agnoſcit. Si enim conſequens primùm debet ineſſe antecedenti, ita vt nulli inſit prius; veluti homo loquitur: Et non: Petrus loquitur: efficitur inde hoc axioma in eo genere omniũ ſummum & primum eſſe. Si primum eſt, ordinem ſubſecutionis ad alia indicat; quę ſunt ſubalterna; in quibus item ſancit vt ſuo generi ſua proprietas tribuatur primùm, &c. Atque ita efficitur vt cum illa prima in ſuis generibus, cum inter ſe cõmittuntur, ordine generum & ſpecierum diſtent, ſeque ſequantur & antecedant, non tantum generalia dicantur generaliter, ſpecialia ſpecialiter, ſed & iuſtus obſeruetur ordo. Vis ergo legis illius etiam ordi-

ordinem comprehendit, quem tamen accuratius sancit methodus.

Cum autem fateatur aduersarius semel tantùm generalia poni debere in arte, nihilominus putat genus rectè in nomine & verbo aliisq; collocari, ideo quia in verbo aliud significet quam in nomine. Sed de hoc nõ laborat Ramus: Nomina, pronomina, participia eandem generis rationem habent. Itaque in his si sigillatim repetitur; tautologia fit & re & vocabulo. In verbo saltem fit vocabulo. Itaq; iudicat Ramus si commodum haberi possit, aliud substituendum esse: si non possit, necessitati inseruit, sicut sæpè in logicis in affirmatione, negatione, necessitate, consequẽtia, simplici, cõposito, ppositione, antecedẽte, cõsequente, qualitate, proprio, &c. fit; imo & vocabula ex aliis artibus assumit. Ita genus in Grãmatica, alia ratione est in Dialectica; Ita proprium, cõmune, coniugata, verbũ, cõiunctio quadruplex, &c. & lõgè plures voces è logica translatę sunt in Grammaticã & Rhetoricam. Hic in re nihil delinquitur, sed saltem in voce. Si hoc pugnant aduersarij, lis per me composita esto. Quomodo autem accipiatur vox hîc ibi; arguit definitio, vt non sit opus lexico. Vitandæ tamẽ sunt turpes κατηχήσεις, & prętextus ignauiæ. Ita enim

ſolœciſmi committuntur. Videndũ quibus vocibus maximè ſint vſi artifices, & apud latinos latiniſſimi; in aliis linguis alij. Vbi vox commoda deeſt; Horatianũ conſilium non eſt inutile, quod iubet parcè detorquere vocabula Græco fonte, id quod Cicero ipſe fecit; fecit Gaza & alij multi.

De Grammatica definienda.

Eſt & hoc certamen aduerſus Ramum admodum leue, & inconſultum, in quo de Grammaticæ definitione agitur, & orthographia. Negãt legitimè definitum eſſe, quod Grammatica ſit ars bene loquendi; quia ſit etiã ſcribẽdi, iuxta dictum: Ratio rectè ſcribendi cum loquendo iuncta eſt. Ridiculam ſimplicitatẽ. Si iuncta eſt cum loquendo, non egebit præceptis peculiaribus, ſed expedietur illis ipſis, eritq; ſatis id ſemel monuiſſe. Ingerere autẽ definitioni artium conſectaria nõ attinet. τὸ γράφειν licet inde Grammatica dicta ſit, nõ eſt primum & eſſentialiter Grammaticæ, ſed eius rationi adiungitur, eſtque aliquo modo etiã Rhetoricæ. Sequitur enim pronunciationẽ potius quã locutionẽ, quanquã non ſemper. Multi enim aliter ſcribũt ac pronunciant; quædã autem etiã ſcribi nõ poſſunt, vt negatio ruſticorũ Sueuiæ. Nec in vlla Grammatica extant peculiaria ſcribẽdi præcepta; ſed vix definitio ortho-

gra-

graphiæ illuſtratur exẽplo Vallo & Fallo: quanquã quidã ineptè illi ſubiecerit præcepta de literis, quę ſunt ipſius vocis, & ſic etymologiæ, non ſcripturę. Si hanc in literis exigimus, rectius à ſcribis & pictoribus petitur, quam Grammaticis. Vſui plæraq; cõmendantur. Non itaq; ſat conſideratè hîc pugnant. Quod ſi omnino volunt in definitione mẽtionem faciendã ſcriptionis, cur nõ & proſodiæ & ſyntaxeos, & Etymologiæ nominatim? Si loqui complectitur vnà has, cur nõ illam? Licet definire per partes; ſed vbi genericum officiũ & forma eſt, hac vtimur potius in generali definitione. Sit hoc munus Grammaticæ vt ſcriptionem locutioni conciliet; at id non erat definitione exprimendum.

De nomine.

Non minus habet ingenij quod reprehendunt definitionem nominis, negantq; nomen eſſe vocem numeri, generis & caſus; quia genus ſit & verbo cõmune. Non intelligũt ſaltem vocabulũ communicari, rem nõ item; neq; tamen illud ſat caſtigatè. In hoc argumento obiter diſputat quidã de differentia definitionis, negatq; in definitione quicquã cõmune eſſe debere præter genus. At ille nec Ariſtotelem nec Ramum intelligit. Certè philoſophus legitimas definitiones & has pronunciat, in quibus ſingula ſunt cõmunia, ſimul verò

In definitione tantum genus commune.

2. an. poſt. 14.

ſumta propria; vt: Trinitas eſt numerus impar primus: vbi omnes voces definitionis ſigillatim cõpetunt etiam aliis, at coniunctim non niſi trinitati, ſiquidem philoſophus vnitatẽ numeris eximit. Et ſunt certè multæ definitiones, in quibus iſtud euenit; vt: Guſtus eſt ſenſus ſaporum: ſapor aſſignatur omni ſapido; ſed quia non ſentitur niſi à guſtu; efficitur, vt ſentire & ſapor, definiant guſtum; quanquam & ſenſus ſit vox communis. Hinc dicimus formalem differentiam talibus ſimul occultari, quæ, ſi diſpergas, perit, perinde ac in partibus domus, quæ diſperſæ domum non faciunt, & poſſunt etiam ad alias res' vſurpari; coniunctæ verò vnitæque legitimè domus formam comprehendunt.

Metaphyſica & logica. Aiunt Ramum temerè cõfundere metaphyſicam & logicam, quarum tamen illa ſit generalior, cum contineat τὰ μάλιστα καθόλου. Ego verò Rami culpam video nullã. Prędicamenta potius extollenda erant, ſi quid vltra logicã ponendum. Sed illa eſſe omnium artium in generaliſſima capita redactam exceptionem nemo non videt. Diſperſa paſſim, & tamen communitate conuenientia ſunt excepta, & ſigillatim propoſita. Methaphyſicæ ſubiectũ dicunt eſſe ὄν quâ ὄν ſiue motu materia & accidenti-

dentibus cõsideratum. Tales autem sunt logicæ formæ & harú symbola, item materia. Itaque quid habebit illa præter formas, materias, genera, species, & ex his factas definitiones? Hęc generica consideratione sunt logica; speciali, seu particulari, suarum artium, vt Theologiæ, Physicę, &c. Itaque & sapientia nominatus est ille tractatus, & Theologia, & metaphysica. Sapiẽtia ideo, quia generalium & specialium artiũ essentias comprehẽdit; Theologia quia abstrahit ab omni accidente, assequiturq́; diuinas & nudas formas: Metaphysica, quia physicam sequitur, vt quæ motu & materia sepositа, saltem ens in sua natura considerat. Si verò consideres quæ Aristoteles cõgesserit in istis libris, disputationes varias inuenies de homonymis, eorumque explicatione. Pauca verò de re ipsa. Sed hæc sunt manifesta. Illi sunt ridendi, qui mysteria in illis libris quærunt, in quibus sunt cabalistæ quidam & falsi chymici, &c. Pueriliter sapiunt & hi qui volunt metaphysicã continere res vt sunt; logicam eas accommodare ad vsum, & transferre ad particularia argumentando, &c.

Ramus dicitur confudisse Dialecticam cum vi rationis naturalis.

Mordet gigãtis calcaneum formicula, dum ille disputator ait, cõfudisse Ramum naturalem rationis vim cum Dialectica,

In Alcibiade.

cum scripserit, Dialectico nos fungi munere, quoties ratione vtimur. At Plato dicebat διαλέγεσθαι esse λόγῳ χρῆσθαι: nec intelligebat futilem vsum & imperitum, sed artificiosum. Qui numerat docet, &c. ratione vtitur dupliciter, generaliter primũ, quia Dialectica est informatrix & modus omnium aliarum artium, imò & sui ipsius; postea specialiter secundum cuiusque artis modum. Támne ergo tenuis eruditionis & ingenij penè nullius homines se opponere Ramo? Ait legentem, & scribentem item ratione vti; poterat dicere & videntem, & scabentem. Eiusmodi anilia quanti sunt? Dialectica non est vsus rationis inartificiosus. Itaque & rusticus imperitus ratione vtitur naturali, sed ob id logicus non est. Obiiciendum est illi blateroni τὸ καθ' αὑτό. Nam ratiocinans vtitur ratione, non scribens. Scribit ratiocinans κατὰ συμβεβηκός, & contrà. Scriba autem quisque est, vt & lector peculiari facultate, cui coniuncta potest esse vis logica, tanquam generalis. Tales sunt nugæ de ente & non ente, quæ pudorem debebant incutere viris grauibus, videntibus eas à suæ factionis homunculis in publico cum magno peripati dedecore proponi.

Mendacium committit, cum Ciceroni tribuit

tribuit quod vnam saltem partem logici habitus distinxerit moreStoicorum in inuentionem & iudicium. Ita inquit Cicero: Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicãdi; vtriusq; princeps, vt mihi quidẽ videtur, Aristoteles fuit. Stoici autẽ in altera elaborarunt. Iudicandi enim vias diligenter persecuti sunt, eam scientiam quam dialecticam appellant: Inueniendi autem, quæ topice dicitur, quæ ad vsum potior erat & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt.

An Cicero vnam partẽ Dialecticæ distinxerit, &c.

Ita Aristot. in antepræ-dicamentis nomine simplicium & compositorũ has duas partes expressit.

Ita in 2. de fin. Dialectica vna continet « omnem &perspiciendi quid in quaque re « sit scientiam, & iudicandi quale quidque « sit. Vbi vox vna, non indicat etiam aliam esse Dialecticam, sed exclusiua est, &c. Hinc intellige quod cum Cicero Dialecticam veri falsíque disceptatricem appellat, id stoicè & synecdochicè dictum sit. Atqui cum ita contra Ramum disputatur, rident graues peripatetici quidam, & probant?

Arrodit & absolutè consentaneũ, quasi nõ sit absolutum, quod relatũ est, vt causa & effectus. Sed nænia anilis est. Alia ratio est relationis, alia absolutæ cõsiderationis. Aristotelis sunt istæ voces, τὰ συζυγῆ ἁπλῶς

Consentaneum.

habet, & συλλογιστικῆ. Cicero interpretatur consentanea.

Axioma Arist. 1. post. 2. & 7. cap.

Litem de axiomate puerilem esse etiam Goclenius ostendit. Non ignotum est Aristotelem voce vti specialius: sed vsu Stoicorum qui fuerũt λογικώτατοι & Ciceronis, in amplum producta est. Si non placet hęc; dicas pro ea, enunciatum &c. Reliqua futilia prætereo.

4. Acad. Cic. & 1. Tusc.

Modales.

Vexant alij Ramum doctrina modaliũ, quæ asinorum crux, aut pons est. Sed quantum ego adhuc vidi, nihil solidi aduersus eius sententiã est inuentum. Reuera enim modales enunciationes nihil sunt aliud quã axiomata cum iudicij vel necessarij, vel contingentis, vel impossibilis vel possibilis additamẽto, quo quidẽ fit axioma dispositum ex subiecto & adiuncto, non aliis legibus iudicandum, quam his quæ à Ramo sunt positæ. Hoc axioma:

» Deus est omnipotens: iudicatur necessa-
» rio verum. Adde ei iudicij huius nomen,
» & fit: Deum omnipotentẽ esse est neces-
» se. Ita: Plato est vir bonus: Est contingen-
» tis veritatis; cum hoc iudicio effertur ita:
» Platonẽ esse virum bonum est cõtingens.
» Rursus: Canis est homo: Impossibile est,
» & nunquã verum. Cum modo iudicij, fit
» modale; vt: canem esse hominem impos-
sibile est. Ita est de possibili, cuius tamen

signi-

significatio & contingenti & necessario congruit. Hos autem iudicii modos si ducas per vnam eandemque quæstionem; quia ipsi inter se opponuntur sibi, oppositio efficitur modalium, vt: necesse est hominem loqui; impossibile est hominem loqui; Contingens est hominem loqui; Possibile est hominem loqui. Huius oppositionis si quis est vsus; is non differt à contradictionibus aliis, scilicet vt illustrior fiat veritas. Nam apertè falsum est cum dico: impossibile est hominẽ loqui. Verũ ergo erit: necessariũ est hominem loqui. Nam necessarii contrarium est impossibile. Ita verum erit & hoc: Possibile est hominem loqui, quatenus id necessitati commune est. Falsum est, contingens hominem loqui, si de naturali affectione, vt decet, accipiatur. De actu vero probabile est. Eadem res est, si addantur negationes & affirmationibus opponantur. Nulla certe opus est noua doctrina. Temerè ergo laborãt quicunque in hoc asinorum ponte aduersus Ramum disceptãt. Poterat eadem ratione etiam in vero & falso, aliisque attributis variari. Sed quis vsus? Petrum currere verum est, Petrum currere falsum est. Socratem mori est naturale; Aratorem arare est iustum; fallere fidem est iniustũ; animam solutam à cor-

Modalium oppositio facit ad iudicium veri & falsi distinguendũ.

» pore viuere non est naturale, &c. Quod autem de negationibus pugnant sintne modo apponendæ, an vinculo vt faciant contradictionem, anile planè est. Si apponis vinculo prius affirmato; fit axiomatica
» contradictio, vt: Auem volare est necessa-
» rium; Auem volare non est necessarium:
» sin modis; fit contradictio non axiomati-
» ca sed topica, vt: Auem volare est contin-
» gens, Auem volare est non contingens. Et cum hæc permutentur aliis quibus æquiualent, vt: non necessarium idem est contingenti; non possibile idem impossibili, &c. Euenit aliqua variatio in iudicio, sed quæ facilè iudicari possit tum ex lingua, tum præceptis logicis.

Affectio argumentorum mutata, mutat enunciationem. Est & alia ratio cum isti modi manent regulæ iudicii logici, nec sunt pars axiomatum, alia ratio cum ad ipsa axiomata tamque argumenta ponuntur. His obseruatis lis facilè componi potest.

Reductio 2. & 3. figura. De reductione imperfectarum figurarum, secundæ & tertiæ ad primam quæ vocatur perfecta, speculationes tradũtur otiosæ, pertinentes ad inuentionis primæ rationem firmamentumq; potius, quam ad pręceptionem & vsum. Satis est si eæ figuræ vsu artificum & ratione sunt cõstantes

tes,& hoc nomine in artem receptæ. Aristoteles in inueniendis iis ex ingenii luxuria addidit aliquid, quod cum aliis multis neglexerunt sapientiores. Quod si omnia eiusmodi sint arti constitutæ ingerenda, peccarunt peritissimi logici, quod misturas ostensiuorum & modalium, præterierint, quod vmbilicum philosophiæ, asinorum crucem, adolescentibus non proposuerint, aliaque multa eiusmodi.

De inductione, exemplo, sorite, dilemmate, definitione, &c. res plana est, quod nihil aliud sint quam crypses syllogisticæ peculiares, aut etiam axiomata, vt quædam dilemmata; vel syllogismi, nomen ab argumento aut prosyllogismo adepti. Quid pugnant? Poterat tamen de illis in arte sat commodè moueri. Sed hęc hactenus. Nunc demonstrationem aggredior. *Inductio, &c.*

DE DEMONSTRATIONE ARISTOTELIS CONTRA SENTENTIAM P. RAMI.

SCRIPSIT philosophus in 6. Nicom. de arte, quod sit ἕξις ποιητικὴ μετὰ λόγου; quodq; versetur circa γένεσιν, contēplans vt eorū aliqd fiat quæ & esse & non esse possunt, quorumq; principiū est in eo qui facit, non in eo quod efficitur, quandoquidem *Ars an tantum contingentium.*

dem ars eorum non ſit, quæ ex neceſſitate vel ſunt vel fiunt, neque eorum quæ ſunt ſecundum naturam, vt quę in ſe principium habent. Hæc illius verba quidam ita interpretantur, quaſi duplicia conſtituerit enunciata ſecundum propoſitionis veræ diſtributionem in contingentem & neceſſariam, ſeu materiam mutabilem, & immutabilem, quarum hæc demonſtratiua aliâs vocatur, illa Dialectica: Ex contingente vero artes conflauerit, cuius omnia præcepta ſint probabilia, tantumque veritatis mutabilis; ex neceſſaria ſcientias, ad quas etiam accommodauerit ſuas demonſtrationes quæ ſint axiomatum neceſſariorum. Nulla ergo in artibus præcepta tolerant quæ ſint catholica, immotaque, nulla quæ ſint κατὰ παντὸς, καθ' αὑτό; quandoquidem hæc nihil niſi demonſtratiuæ materiæ ſint iudicia. Nihil flagitioſius, nihil capitalius poterat in artes, præſertim autem liberales dici neque quicquam Ariſtoteli affingi mendacius hoc ipſo. Δὶς διὰ πασῶν aberratur à philoſophi mente. Non enim præcepta ſpectauit in iſta ſententia, ſed artis ſcientiæque iam ſuis præceptis conſtitutarum ſubiecta, in quibus adhiberentur, ſeu fines ad quos contenderent. Scientiam vult eſſe & adhiberi in his, quæ aliter non fiũt, veluti

Explicatio dicti Ariſtotelici de arte.

veluti hominem gigni ab homine, scio. Neque enim id mutatur in natura synonyma: neque requirit habitum effectiuum, cum principium eius rei sit internum, nec vim formamque foris possit accipere. Artem autem, quia deliberationis & consilii est, & principium non in ipso quod fit existens, sed in artifice, qui pro arbitrio operatur, estque extra materiam in qua elaborat, adhiberi in his ait, quę sua natura aliter fierent, vt: lignum si suo principio moueretur, euaderet in lignum sui generis, atque ita aliter ac mens artificis volebat. Sed cũ ab arte elaboratur, transit in Mercurii statuam, vel lectum, vel simile artificiosum; atque iterum aliter ac naturæ impetus trahebat. Neque enim ex lectica defossa gigneretur lectica, sed aliud. Interim autem ars & scientia conueniunt in hoc, quod vtraque constat præceptis catholicis, quorum origo est ex sensu memoriaque ad experientiam cum ratione comparatis, vt hic vtraque habeat præcepta rationalia, perpetuaque & immota quib. legitima ex methodo tribuitur forma: id ꝙ philosophus in fine secundi posteriorum his indicauit verbis: ἐξ ἐμπειρίας ἢ ἐκ παντὸς ἠρεμήσαντος ϑ καθόλυ ἐν τῇ ψυχῇ, ϑ ἑνὸς παρὰ τὰ πολλὰ, ὁ ἂν ἓν ἅπασιν ἢ ἐνῇ ἐκείνοις τὸ αὐτὸ, τέχνης ἀρχὴ ϗ ὑπισήμης. ἐὰν μὲ ἓν

Principium artis & scientia.

μὲν περὶ γένεσιν, τέχνης· ἐὰν δὲ περὶ τὸ ὄν, ἐπιστήμης. Hæc ille. Communia principia vtrique tribuit: in vsu & fine disiungit. Scientia & Theoria competit ipso iudice rebus, vt sunt: ars, vt generatur efficiturque aliquid secundum præcepta: quæ ipsa est mens philosophi genuina. Videant ergo illi interpretes qua afficiant iniuria illius autoris philosophiam; imo quam ipsas dedecorẽt infamentq; artes. Omnium rectè sentientium calculo aliquæ demonstrationes in artibus sunt, si non vsque adeo exactè demonstrari omnia possunt. Demonstrationes autem materiam & axiomata habent catholica, immota, necessaria. Iure itaque etiam artes ex his concinnantur, & in illis ipsis hęc sunt ponenda, quam exactè fieri humanitus potest. Et hæc quidem lis facilis est compositu. Quanquam enim mirum sit in Academiis quibusdam ea, tanquam vera, tolerari, & opponi Ramæo acumini: tamen qa iudicium istud nimis est crassæ mineruæ, & absurditatem trahit euidentem, iniuriamque manifestè omni arti, & aduersam omnibus mundi seculis facit, cũ quæ præcepta artis medicæ, Dialecticæ, Arithmeticæ, &c, imo & vestiariæ, sutoriæ, &c. ante mille & amplius annos docuerunt magistri, ea nec dum mutata sint à posteriori-

Demonstratio in artibus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [434] - 430
PUBLIC DOMAIN

rioribus ſemperq; formetur calceus pro modo pedis ad iniurias in vſu pedum arcendas: cadit ſua ipſius imbecillitate, & vel abſque philoſophorum argumentis in fumum vertitur. Illud laborioſius diſputatur, iudicaturque, quod, cum conceſſum ſit confeſſumq; omnib. peritis demõſtratione artium axiomata conſtitui, quęnam ea ſit ἀπόδειξις. Sunt qui omnia demonſtrata ſumant; ſunt qui tantum aliqua. Philoſophus principia non demonſtrat. Principia autem ſunt artium axiomata. Hæc ergo conſtituit ratione & experientia tantum, vt paulò ante ex fine ſecundi poſteriorum oſtendimus. Experientia autem & ratio complectitur inductionem. Itaque pro eodẽ eſt inductione fieri. Huius principia ſunt, ſenſus, hiſtoria, & omnino cognitio ſingularium. Itaq; ait & ſumi quædam ſeu poni, vt eſt ſubiectum artis continuè diuiſum, de quo initio quærebatur εἰ ἔστι; & inuentione ſeu inſtrumentis illis concludebatur ὅτι ἔστι; quam quæſtionem ſequitur τί ἔστι. Et hæc ſunt principiorum digniſſima, primaq; in ſe. Illorum vim habẽt & proprietates, de quib. tamẽ propter circumſtãtias dubitari poteſt. Itaq, & has quidẽ admittit in artis præcepta philoſophus; ſed nõ ſine demõſtratione inueſtigatas. Hãc aũt inſtituit p illa principia quę plane

Quæ demõſtrentur in artibus.

Artiũ præcepta vnde & quæ.

Proprietates.

planè sunt immota, & in se prima, quia essentiam & maximè formam continent, vt notum est omni logico de distributione in membra vel species, & definitione.

Demonstratio prima.

Quærit ergo hic διὰ τί ὅτι: Et si per causam formalem, aut definitionem catholicè concluditur, iam sciri dicit, patiturque inter præcepta, veluti cum quæritur: Homo sapit, sitne hoc scientificum axioma, & inter præcepta genuina artis habendũ; philosophus indagat, num sapere ita insit homini vt proprietas conuertibilis, idque per causam formalem & definitionem: sique id inuenit, vt sapit, quia ratione vtitur; iam demonstratiuum & scientificum esse pronunciat. Est & alia demonstratio,

Alia demõstratio.

qua iudicamus singularia exempla, & operas vi præceptorum artis, atque ita nobis quærimus scientiam alteram quæ non est principiorum, vt illa, sed ex principiis per demonstrationem deductorum: quæ demonstratio tunc vocatur habitus qui

Scientia demonstratiua.

scientiam gignit; & scientia hæc est habitus demonstratione acquisitus in natura rerum existentium quâ existunt. Hæc adeo sunt Aristotelica, quanquam paulò obscurius ab ipso autore differantur. Alii demonstrationes in ipsis artibus, & per artes quidẽ agnoscunt; sed non vsquequaq;

Impropria demonstratio.

distinguere mihi videtur. Nam in artium

præ-

præcepta coniiciunt ea quæ inde particulariter circa operas & indiuidua conſequuntur, veluti: virtus eſt honorãda, quia bonum perfectum, &c. At illa concluſio artis præceptum non eſt: ſed inde cõparata ſcientia particularis, dum generalis & ſcientifica ſentẽtia adhibetur alicui ſaltem ſingulari. Veruntamen tolerabile eſt hoc erratum, quia non in re, ſed ſaltem rei diſtinctione comittitur; & ſępè vtilitatis docendique gratia de eiuſmodi conſectariis inter ipſa præcepta monendum eſt; imò repetenda illa perſpicuitatis, nec raro neceſſitatis gratia cum catholica exactè inuenire non poſſumus. Petrus Ramus nullam Ariſtotelis demonſtrationem agnoſcit quæ propria ipſi dicta ſit, ſed vocem ipſam accommodat ad præceptorum per hiſtoriam, ſenſum, & experientiam, ſeu omnino per inductionem collectionem, indicatque ſatis demonſtratum id eſſe quod vſus rerum magiſter comprobauit, quodque poſtea legibus tribus ſcientificis electum eſt vt ſit artis primum præceptum. Non enim omnia quæ ſunt in vſu notata inter præcepta habet, quia multa ſunt in vſu ex præceptis deducta; quæ ille negligit vſuique ipſi commẽdat pro libitu vſurpanda, ſed illa tantum quæ congruunt legibus κατ' αὐτὸ,

Ramus Ariſtotelis demonſtrationem explodit.

Rami demonſtratio.

κατὰ παντὸς, καθόλου πρῶτον, quas ipsas leges diuinitus agnouit Aristoteles. Aristoteleã vero demonstrationem, qua de proprio subiecto euincatur proprium πάθος per causam immotam, omnino iudicat tum ridiculam, tum impossibilem, idque multis argumentis euincere annititur. Ingenii ergo luxuriantis opus, aut Ideam, quam assequi nemo possit, demonstrationem Aristoteleam iudicat potius, quam vsui respondens inuentum. Iudicaturo hanc litem necessaria profecto est causæ accurata cognitio, vt certum sit quidnam Ramus statuat, quid improbet; quid item Aristoteles ponat, ne ei vlla fiat iniuria. Tentabimus aliquantum pro modo nostro; & primum disceptantium sententias lustrabimus; postea videbimus argumenta quæ pro se quisque adducit.

Loca Aristotelica quibus demonstratio explicatur.

Demonstratio est syllogismus.

Multis in locis (vt 1. post. 2. 1. post. 4. & 6.) Aristoteles ἀπόδειξιν nominat syllogismum, eumque innuit talem qualis fit in 1. figura in modo quẽ vocant barbara, hoc est, vniuersalem affirmatum. Ita enim inquit: ἀπόδειξιν λέγω συλλογισμὸν ἐπιστημονικόν. ἐπιστημονικὸν δὲ λέγω καθ' ὃν τῷ ἔχειν αὐτὸν ἐπιστάμεθα: vbi non tantum syllogismum vocat, sed & finẽ eius addit fructumq;, quod nimirũ sit cõparatus ad scientiam, vt habendo ipsum, scire dicamur. Ita & in 1. prior. 1. ὁ ἐπι-

ὅπου δεικνύων συλλογίζεται: & 1. post. tex. 16. p-

prium demonstrantis est è necessariis syllogismum facere. Cum autẽ scire sit principaliter p causam rẽ cognoscere: necesse est, demonstrationẽ habentẽ, habere causam. Et cum fiat ille syllogismus ex necessariis: causa illa erit immutabilis, seu ppetuo vera ita vt aliter esse nõ possit, sicut vti ratione, causam perpetuã habet, mentem intelligentẽ, seu ratione constantem, eiusque vim complectentem. Id indicat etiam in 1. top. his verbis: Ἀπόδειξις ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων ὁ συλλογισμὸς ᾖ, ἢ ἐκ τοιούτων ἃ διὰ πιστῶν. πρώτων καὶ ἀληθῶν τὰς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληφε. Notandũ aũt est nõ omnẽ scientiã p causam primã & verã vocari demonstrationem, aut esse p demõstrationem; Nã est quędã principiorũ ipsorũ, quæ ex causis effectisq; cõstituũtur essentialibus. Hæc est ἀναπόδεικτος. Nihil. n. habet prius; sed est ipsum axioma, vel argumentũ causæ. sed demonstratio ea est, qñ aliqua quæstio syllogismo concludit̃ per principiũ verũ & primũ, aut saltẽ p argumentũ, cuiꝰ euidẽtia ab illo principio immediatè patet. Cũ porrò sint qũęstionum genera varia, non de omni fit demonstratio, sed duntaxat de ea in qua quæritur διά τί seu διότι. Ait enim eum scire qui causam cognouit propter quid est. Verba

Ex causã immota dẽmonstratio.

Scientia indemonstrabilis.

Demonstratio quaestionis διότι.

eius in 1.anal. post. 6. ὁ μὴ ἔχων λόγον διὰ τί, ὅσης ἀποδείξεως, οὐκ ἐπιστήμων. Item cap. 7. τὸ διότι ὀπίσασθαι ὅτι διὰ δι' αἰτίου ἐπίσασθαι. Vbi simul exprimitur, quidnam quærat illud διότι, nempe causam, cuius quæstionis finis est per eandem scientia. Insuper vbi quæratur διὰ τί ad demonstrationem, his indicat. τὸ ὅτι (inquit in 7. primi post.) ἑτέρας ἐπιστήμης. τὸ γὰρ ὑποκείμενον γένει ἕτερον (Nota aliam scientiam quæ sit ad τὸ ὅτι) τὸ δὲ διότι τῆς ἄνω, ἧς καθ' αὑτὰ τὰ πάθη ὄζιν. Item: τριά ὄζιν ἐν ταῖς ἀποδείξεσιν: ἓν μὲ τὸ ἀποδεικνύμενον συμπέρασμα· τοῦτο δ' ὄζι τὸ ὑπάρχον γένει τινὶ καθ' αὑτό. ἔν δὲ τὰ ἀξιώματα. ἀξιώματα δ' ὄζιν ἐξ ὧν. τρίτον τὸ γένος τὸ ὑποκείμενον ᾧ τὰ πάθη καὶ τὰ καθ' αὑτὰ συμβεβηκότα δηλοῖ ἡ ἀπόδειξις. His indicat in syllogismo demonstratiuo esse conclusionem, & antecedens constitutum ex axiomatis; quæ sunt membra syllogismi, formã eius complectentia legitima vnione. Et nominatim dicit conclusionem istam non esse heterogeneam arti, sed per se suæ artis, vtpote quæ de eodem genere subiecto quærat, de quo & reliqua præcepta, veluti in Arithmetica numerum attinet; in doctrina de homine hominem ipsum, non κατ' ἄλλο, sed καθ' αὑτὸ, qua scil. numerus, quâ homo. Materiã autẽ quæstionis vult esse subiectum & propriam eius affectionem:

Vbi διότι quaeratur.

siue

siue proxima sit, siue ex genere secundum analogian repetita (vt Petrus loquitur; quod est repetitum ex hoc: Homo loquitur) quam cum velit quæri & firmari per διὰ τί; hæc autem quæstio causam continet, quæ cum effecto suo, perpetua scilicet cum perpetuo disposita, facit axiomata: necesse est tertium argumentum ex forma vel materia, vel vtrisque simul & harum symbolis, hoc est, vniuersali, definitione, &c. esse.

Ita medium vult esse ὁμόγονον congenitum. Ingeneratur autem rei forma, quæ dat esse: nec simul potest existere efficiēs: Est enim prior: nec finis: Est enim posterior, ratione saltem, quanquam re interdum congruit cum forma: Imò nec materia potest esse, cum hæc non det esse rei per se, nisi quatenus vnita formæ singulare cōstituit, vt ita tota definitio genus & formam continens, possit esse medium. Constat ergo formam & essentiam per se in demonstratione esse debere. Reliquæ causę secundum hanc ἀκείβειαν excluduntur. Notandum tamen interdum in defectu formæ etiam has sumi, si scilicet sint propriæ, & formam comprehendant. Sicut enim formæ interdum pro speciebus sunt, etsi sint externæ, modo sint propriæ, & formam internam arguant; ita est & in

ὁμόγονον illud etiam aliter accipitur, de quo infrà.

causis. Hæc autem omnia si ita se habent; circulo reciprocant. Idque indicat philosophus lib. 2. post. cap. 13. Et sanè consequens est, quando in demonstratione omnia postulat necessaria primum, & immediatè. Ita enim loquitur in 1. post. 7. φανερὸν ἐὰν ὦσιν αἱ προτάσεις καθόλου ἐξ ὧν ὁ συλλογισμὸς, ὅτι ἀνάγκη καὶ τὸ συμπέρασμα ἀΐδιον εἶναι τῆς τοιαύτης ἀποδείξεως, &c. Et 1. post. cap. 4. Ἀπόδειξις ἔστιν ἐξ ἀναγκαίων συλλογισμός. Et: ἐπεὶ δ' ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει προὶ ἕκαστον τῶν, ὅσα καθ' αὑτὰ ὑπάρχει καὶ ᾗ ἕκαστον, φανερὸν ὅτι προὶ τῶν καθ' αὑτὰ ὑπαρχόντων αἱ ἐπιστημονικαὶ ἀποδείξεις, καὶ ἐκ τῶν τοιούτων εἰσί. Sed & leges in axiomatis illis obseruandas esse triplices, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ καὶ καθόλου πρῶτον, tum apertè dicit, tum videre est ex allegatis. Tandem non ipse syllogismus apodicticus Aristoteli est scientia demonstratiua, sed fructus huius, hoc est, ipsa conclusio tunc sciri dicitur, cum concluſa est demonstratiuè. Adiungitur ergo tali conclusioni scientia, quæ est iam acquisita per istud medium. Hæc ergo requiruntur in ea, quam propriam agnoscit philosophus, demonstratione; vt scilicet sit quæstio seu problema arti suæ essentiale, pertinens ad idem subiectum per se; in quo quæratur propria affectio de suo subiecto, & demonstretur inesse

Iudicium axiomatum demonstrationis.

Demonstratio non est scientia, sed eius instrumentum.

Requisita demonstrationis propria.

esse per causam, propter quid insit, dicendo ideo inesse quia à forma sit, eiusque indiuulsum adiũctum aut effectum: ex quibus fiat syllogismus omnibus partibus necessariis adeo vt tribus legibus scientificis exactè congruant, & reciprocent omnes.

De impropria demonstratione.

An autem Aristoteles etiam aliam habeat demonstrationem, quę minus sit propria, nõ est difficile videre. Exempla enim eius non assequũtur omnia istas proprietates, & sunt plæraque axiomata. Videtur ergo & demonstrationem vocare hanc, quando axioma statim sine syllogismo ex essentialibus fit argumentis, in quibus propter qd quæri poterat; at non inueniri aliud argumentũ, qa ipsa affectio sit prima & immediata, vt respondendũ sit p illa ipsa; veluti, ppter quid homo est rationalis; non inuenitur καθ' αὑτὸ aliud argumentum nec prius, nisi qa homo est; & hoc vtit' Aristoteles in lib. de partib. animaliũ, vbi quæritur cur homo ita sit manibus, pedibus, ratione, &c. Et respondetur quia id est homini esse, seu homo habet hanc essentiam. Quanquam enim responderi poterat etiam per creatoris voluntatem, & naturam parentis, & seminis motum; illa tamen responsio est exoterica; nec est per se huius generis: hæ vero continent idem. Quæritur enim etiam de parente, si de

I.

homine quæritur; in semine vero parentis ratio est, nec propter semen talia habet membra homo. Hanc demonstrationem

II. concedit etiam Ramus. Deinde est alia non ita exacta & prima, quam attigit in topicis philosophus, vbi contendit demonstrationem esse per prima, aut per hæc quæ à primo sustentantur. Et in hac non potest esse reciprocatio. Secunda enim non reciprocant, quia sunt particularia, veluti homo loquitur: reciprocum est & primum: sed Petrus loquitur; dependet quidem à primo; verum non est reciprocum, quia non est primum. Ita in 1.

III. post. 7. aliam videtur facere ἁπλῶς ἀπόδειξιν, aliam πῇ seu κατά τι, cum inquit: ἐὰν ὦσιν αἱ προτάσεις καθόλου ἐξ ὧν συλλογισμὸς, ὅτι ἀνάγκη καὶ τὸ συμπέρασμα ἀΐδιον εἶναι τῆς τοιαύτης ἀποδείξεως, καὶ τῆς ἁπλῶς ἀποδείξεως, &c.

IIII. Ita discretio demonstrationis etiam est ex variatione medii. Solam causam connatam æternamque cum re, apodixin facere antè ostensum est. At in 1. post. 7. definitio dicitur ἢ ἀρχὴ ἀποδείξεως, ἢ ἀπόδειξις θέσει διαφέρουσα, ἢ συμπέρασμά τι ἀποδείξεως. Si definitio est apodixis θέσει differens; admittetur certè & axiomatica demonstratio. Si item per eam fit; alia erit per causam, alia per definitionem. Si item concludi potest; non erit ipsa indemonstrabilis.

bilis. Est autem talis ea quæ imperfecta est, dependens à perfecta. Vnde facile cõiicere est etiam conclusione differre demonstrationes, vt non semper proprium πάθος de proprio subiecto, sed interdum . V.
etiam definitio de definito possit demonstrari; quanquam consequenter vtrumq;. Nam in definitione causa est, si perfecta est. Itaque substituitur in locum causæ. In imperfecta est propria affectio. Itaque perinde est ac si prior conclusio fuisset. Conciliat porro etiam definitionem demonstrationi hoc modo vt dicat ipsam nec demonstrationem esse, nec sine demonstratione cognosci posse. Vbi certè fieri non potest, vt demonstratio semper sit syllogismus, siquidem genus & forma non demonstrantur, sed affecta ad speciẽ & formatum sumuntur, nisi forma est affectio. Potest & distribui demonstratio secundum artes ipsas, vt, quod alia sit generalis, quæ est logica; alia particularis, quæ est artium particularium. Ipse philosophus aliam facit ostensiuam, aliam quæ ducat ad impossibile (1. anal. post. 22. cap.) aliam καθόλω; aliam κατὰ μέρος (1. post. cap. 20. & 21.) καταφατικὴν aliam, aliam στερητικὴν, de quibus quærit vtra melior. Interdum nominat demonstrationem ὅτι, interdum διότι (1. post. cap. 23.) vbi & essentia distin-

Alia diuisio demonstrationis.

guitur eodem modo. In phyſicis & quæ ſcientificè expoſuit, ſæpè alia eſt ex perpetuis, alia ex plærunque euenientibus. Et hæc ſunt Ariſtotelica.

De demonſtratione è Ramo.

Petri Rami ſententia extat in ſcholis logicis, & in præfatione lib. 9. his explicatur: Legitima artium (inquit) ſcientiarumque demonſtratio & inſtitutio erit in artificioſæ & ſcientificæ materiæ per ſe manifeſtæ definitione, diſtributione, ab inſignibus exemplis illuſtratione; aut ſi obſcuræ & dubiæ veritatis fuerit in ſyllogiſtica aſſertione, & cõcluſione; deniq; in methodica partium omniũ conformatione. Hæc ibi. Patet eum loqui de artium cõſtitutione, quã etiam in methodo logica deſignauit, ita vt velit principio vſu experientiaq; cõprobatam eiuſdẽ generis & eſſentiæ materiã per membra, & ſubiecti ſpecies generaq; ſecundũ pręcepta logica diſtribui; diſtributa ſingula definiri ſecũdum eaſdẽ leges, & in axiomata redigi; hęc porro iudicari vi legũ ſcientificarũ, & illuſtrari exemplis probatiſſimorũ artificum. Quod ſi axiomaticũ iudiciũ non ſit ſatis; aſſumit ſyllogiſticũ, & in hoc neceſſitatẽ ſaltẽ conſequendi ex prioribus & illuſtribus argumentis ſpectat. Iudicata omnia in artis formam cogit ſecundum methodi vniuerſalis doctrinam. Itaq; hìc principia

eadem

eadem sunt cum his quæ supra recensui. Nam ab vsu artificum artis subiectum & materiam sumit. Hanc explicat instrumentis logicis & probatis exemplis: explicatam ad leges reuocat & methodum. Hæc sunt Rami criteria, & scientifica principia. Non autem hæc videntur philosopho repugnare. Nam apud eundem item legitur αἴσθησις, ἐμπειρία, μνήμη, νοῦς, ἰσοεία, ἐπαγωγὴ, λόγος: Et Galenus certè omnem artem extruit experientia & ratione. Aristotelis sunt & definitiones, & per genera species q; diuisiones. Eiusdē sunt regulæ necessitatis scientificę; eiusdē est methodus vniuersalis. Omnino nihil ibi pduxit Ramus cuius non prior autor fuerit philosophus. In artiū itaq; constitutione non pugnant. Quæ itē syllogismo probanda sunt, nō sunt ingrata Ramo. Vbicunq; n. quæstio dubia incidit, ad tertiū argumentum cōfugit. Qua in re ergo pugnāt? Videt Aristoteles demōstrationē non tantū adhibere ipsis artibus, sed omnino oībus scientiis; & quidē qđ ad artes ipsas attinet, non omnia demōstrat. Nā quædā sumi docet, vt subiectū eius q; distributionē & essentiam. Definitiones pfectas ponit; imperfectas demōstrat; ita & demōstrat cōsectaria, itē q; id axiomatū genus, in quo ppria passio dicitur de subiecto: & hæc omnia

Ramæa initia etiā Aristotelica quadamtenus.

Non omnia demonstrat Aristoteles.

antę

ante præceptorum in artem coagmentationē. Sed & factæ artis axiomata denuo ita possunt spectari. Itaq; quędā artis præcepta sunt prima principia quę sumuntur, non demonstratione firmantur; quædam ex illis, vtpote forma confessa constantibus, per demonstrationem fiunt, quæ si postea aliis adhibeantur item sunt principia. Eodem autē artificio demonstratorio etiam posteriores scientias quæ per artes sunt, cōficit. Philosophus postea duobus vtitur principiis, vno quo ad nos, & hoc accommodat ad cognoscendum præcepta: altero, quo ad naturam scientię, quod adhibet ad sciendum, nec potest esse nisi vniuersale in intellectu iam factum & collectum inductione, vnde est Aristotelea ἀπόδειξις. Ramus hoc demonstrationis genus conuellit, & totum inutile impossibileque iudicat contentus ad inueniendum vsu & experientia; ad iudicandum regulis axiomaticis necessariis; syllogismo & methodo. Pugnam autem circa hoc esse patet ex eius verbis. Ita enim ait: Aristo-
» teles videtur sibi proposuisse syllogismum
» in quæstione διότι seu διὰ τί; hoc est, pro-
» pter quid est, propriæ affectionis per cau-
» sam primam & immediatam, demonstra-
» tiuum, eius cathenæ velut annulum quē-
» dam sępius in se replicatum, ex quo scien-

tia

tia omnis efficiatur. Sic enim Aristoteles illum syllogismum, velut vnicum omnis artis ac scientiæ artificem, & magistrum dicere videtur. In hunc syllogismum ille adeo debacchatur vt monstrum horrendũ vocet, quod nec sit nec esse possit, &c. reliqua cognoscantur ex ipsius libro. Hæc si sunt iudicanda, verum quidem est, Aristotelem talem sibi proponere demonstrationem; sed Ramus ei facit iniuriam dum attexit, omnis artis & scientiæ esse eum artificem; Item, velle ipsum omnem inde effici scientiam. Certum enim est Aristoteli non omnem scientiam gigni demonstratione ista. Aliam enim scientiam nominat ἁπλῶς; aliam δι' ἀποδείξεως. Illa est principiorum; hæc per principia conclusionum. Ita πρῶτα vocat ἀναπόδεικτα, quæ eadem etiam sunt principia duplicis generis, alia quo ad nos, vt sunt αἰσθηλὰ; alia ἁπλῶς, quæ sunt catholica & remotissima. Nec illa sunt simplices tãtum termini, sed & axiomata. Ait enim πεῖραν ἄμεσον esse ἀρχὴν ἀποδείξεως, quæ certè ex nullis per syllogismum fieri potest, sed inductione constat & experientia. Sic θέσιν asserit μὴ θέσιν δεῖξαι: idque declarat exemplo, quod Arithmeticus ponat, vnitatem esse indiuisibilem quantitate: & definitionẽ perfectam thesin item appellat. Nec hypotheses

Iniuria illata Aristoteli.

1. post. 2.

θέσις.

theſes ſunt demonſtrabiles. Sumuntur enim: veluti Arithmeticus ſumit vnitatem eſſe; non demonſtrat. Imo eiuſdem libri cap. 9. manifeſtè ſuam ſententiam his exprimit: ἡμεῖς φαμεν, ὅτε πάσαν ἐπιστήμην ἀποδεικτικὴν εἶναι, ἀλλὰ τὴν τῶν ἀμέσων ἀναπόδεικτον: quāquā illa ἄμεσα colligat inductione, vt ita ea ratione quæ vocatur πρὸς ἡμᾶς, non ſint ἄμεσα; ſed ſaltem ἁπλῶς. cap. 8. ἴδια ita definit: ἔστι δ' ἴδια μὲν καὶ ἃ λαμβάνεται εἶναι. περὶ ἃ ἡ ἐπιστήμη θεωρεῖ τὰ ὑπάρχοντα καθ' αὑτά, οἷον μονάδας ἡ ἀριθμητικὴ, &c. Ταῦτα γὰρ λαμβάνουσι τὸ εἶναι καὶ τοδὶ εἶναι, &c. Ex quibus iterum patet non omnia demonſtrari; & ſaltem adhiberi demonſtrationem in paſſionibus, non quidem quid ſignificent: Nam & hoc ſumitur: Sed ὅτι δεῖ δεικνύουσι διά τε τῶν κοινῶν καὶ ἐκ τῶν ἀποδεδειγμένων. Vide & reliqua, vbi tria quæ ſumantur adducit, genus ſcilicet ipſum ſubiectum; deinde axiomata ex quibus primis demonſtrant; & tertiò ſignificationes affectionum.

ἴτα cap. 8. ἀρχὰς λέγω ἐξ ὅτι ἐστὶ μὴ ἐνδέχεται ἀποδεῖξαι.

Nota de rigore trium legum ſcientificarum. Ariſtoteles etiam communia admittit.

Notandum obiter eſt quod dum hæc diſputat philoſophus, aſſerat inter demonſtrandum ſeu in demonſtratiuis ſcientiis vſurpari duplicia principia; quædam ἴδια ἑκάστης ἐπιστήμης; quædam κοινὰ καθ' ἀναλογίαν, veluti cum in phyſicis demonſtrationis fundamentum peto ex logicis,

gicis, quibus physica sunt subalterna; Ita cum in speciali artis membro aliquid repeto ex generali. Itaque videat Ramus ne contra mentem Aristotelis & vsum artificem regulas scientificas nimis rusticè vrgeat. Sed missis his, excutiamus argumenta quibus Petrus Ramus Aristotelicam demõstrationem oppugnauit.

Primum est eiusmodi. Neque materia est (inquit) neque forma eius syllogismi, quem demonstratiuum vocat Aristoteles. Nam reddi non potest causa cur proprium πάθος insit subiecto, vt de risu, cur sit in homine, & ita de ratione. Si quis obiiciat per organa posse responderi; negat hoc argumento satisfieri, quia non possit dari causa cur in homine hoc potius sit quam in alio animante, sicut nec cur homo homo sit potius quam bestia, licet organa dari possint. Deinde ex ipso Aristotele inficiatur argumentum eius quæstionis inueniri posse. Vult enim is propriam affectionem subiecto per se inesse: ergo non per aliud, quod eueniret si inueniretur argumentum. Insuper negat eũdem philosophum vllam talem afferre potuisse rationem nisi ridiculam, & ineptam. Atque ita materiã demonstrationis oppugnat. Formã verò hoc

I. Arg. Rami.

hoc modo. Etsi causæ talium proprietatum extarent, tamen è quæstione διότι syllogismus existit nullus. Nam quæstio τί ὅτι est ἀσυλλόγιστος. Illi autem affinis est quæstio διὰ τί. Ergo & hæc ἀσυλλόγιστος. Vtraq; item solo noetico iudicatur iudicio; non itaque syllogistico. Adhuc primum.

Responsio.

Negat Ramus materiam syllogismi apodictici. Negat ergo posse causam propriam propriarum affectionum dari. Est illa quidem difficilis inuentu explicatuq; in multis. Cum enim affectiones tales à temperamento formaque in materia existant; illa autem lateant plurimum, nec nisi generica periphrasi possint ostendi: agnoscenda nostra est imbecillitas. Sed nō omnino id est impossibile tamē. Certum est dari posse perfectas definitiones; dari posse vniuersalia prima, & formas tum naturales tum artificiales, & eas in diuisionibus definitionibusque non raro cōpensari aliis argumentis, veluti causa finali vt in artium definitionibus Ramæis; Item membrorum vnione ad formam totius; affectionibus item propriis, & non raro etiam cōmunibus, testante ipso Ramo, distributionem in formas æquiualere diuisioni in species. Et in Geometria quis non det formam trianguli & similium? In architectonica quis nō formam

Dari potest principium demonstrationis.

ædium?

ædium? Ita est & de materia. Si ergo essentiales causæ dari possunt: Et hæ ipso Ramo teste in logicis sunt priores adiunctis, vtpote absolutè consentaneæ, & naturæ præcedentes; & hinc fiunt definitiones generalissimæ & primæ, quia explicant τὸ ὅτι rei: certè consequens est materiam syllogismi demonstratiui dari. Nihil enim in eo est præter quæstionis partes, & argumentum à forma vel materia vel tota essentia definitione, genere, speciebus comprehensa, aut etiam aliis inclusa argumentis. Ita repulsa est prima inficiatio. Exemplum de risu Ramum quidem fatiget: at non Aristotelicum. Turpe est sua ignorantia aliorum metiri facultatem. τὸ ὅτι hanc, Homo ridet, scire vult philosophus, sitne inferēda scientiæ de hominis natura, vt sit pro principio scientifico perpetuo & proprio. Quia affectio ppria quæritur de suo subiecto, inuestigat causam διὰ τί insit, qua inuenta secundum leges demonstrationis, & dispositā cum quæstione syllogistice, συμπέρασμα necessariū habet, quod postea arti inserendum & sciri iudicat. Id argumentum autem promte ex definitione hominis in qua forma est, patet: quia scilicet homo est animal rationale. Hinc fit demonstratio:

Risus causa.

Demonſtratio.

Animal rationale ridet:
Homo eſt animal rationale:
Homo ergo ridet.

In hac omnes propoſitiones ſunt conuertibiles, & cõgruunt tribus regulis ſciẽtificis. Sed non tantum ab hominis definitione peti argumentum poteſt; verum etiam à riſus genere & cauſa formali, quæ eſt motio materiata animæ cognoſcentis ex temperie principalium partiũ, potiſſimum cordis cum ſono interrupto & oris diductione. Si itaq; quæras cur homo ridet? Reſpondetur, ideo ridet quia mouetur animus corde iucũdè affecto cum ſono, &c. Inde fiet proculdubio demõſtratio cõgruens omni requiſito Ariſtoteleo.

Organa.

Nec Ramus obiiciet organa, nõ poſſe formæ argumentum exprimere. Nec ab his vis ſumitur licet nominentur, nec ſola ponuntur, ſed in illis aliquid altius & prius

Forma riſus.

ſpectatur. Riſus certè forma eſt illa commotio animi cum ſono ſingultante (vt ita loquar) & ore diducto vi iucundæ affectionis cordis. In qua etſi plura nominanda ſunt; tamen concurſu ſuo formam repræſentant; & ipſe Ramus alioquin non ſolet numerare vocabula, ſed eorum vim contemplari. Si diceres, quia os habet, fauces, pulmones, &c. falleres. Hæc enim organa inſeruiunt formatio-

ni,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [454] - 450
PUBLIC DOMAIN

ni, ipsa forma non sunt; & verè dicit, tunc debere etiam bestias ridere.

An nequeat dari causa cur homo sit homo, &c.

Mirabile autem est quod negat posse dari causam cur in homine potius sit risus, quam in alio animante; & cur homo potius sit homo quam bestia, cum tamẽ ipse præcipiat, formã esse id quod dat esse rei. Si hominem ideo esse hominẽ dicas, quia humanam obtinet animam, seu principium & formã rationis orationisq; participem, quam ille ipse formam agnoscit in logica explicatione; certè causam dedisti. Nec respondisti idem. Nam homo & forma hominis differunt vt forma & formatum effectum. Esto itaque illa ignorantia Rami. Non ob eam Aristotelica demonstratio est repudianda.

Per se potest etiam per prius inesse.

Ridiculum est argumentum quod negat si per se ineſt, per aliud argumentum inesse. Eorum quę p se insunt gradus sunt distincti, quod necesse est fateri ipsum Ramum cum methodum artiũ instruit. Ergo per aliud inesse, quod quidem oppositum sit τῷ καθ' αὑτὸ, non negat per argumentum sublimius dignius que & prius inesse, sed τὸ ἐπεροζυὲς tollit, quasi dicas non inesse per accidens. Interim eius quod per se secundum naturam ineſt, potest esse argumentum nobilius, vt iam diximus de definitione, forma, materia, vniuersali, &c. Non

considerabat tunc Ramus Aristoteli esse quatuor per se modos, qui nõ omnes sunt paris dignitatis. Non cõsiderabat seipsum tres concessisse, & exemplariter exposuisse in lege homogenea. Aristotelem tantum ineptas & ridiculas attulisse causas, ita videtur Ramo malè explicanti, & respicienti potius τὰς λέξεις quam διάνοιαν. Sed cogitet aliquis num hoc sit ridiculum & ineptum, cum quæro; pulmo respirat; propter quid? Respondeo ex materia formaque in crasi sua; quia fistulosæ raraque & arteriis instructæ est substantiæ crasi sua aëris attrahendi reddendique potentiam obtinens. Hoc autem exercet actu, si generales causæ & adminicula cõcurrant cordis nempe vita, spiritus, calor, integritas, locus, circumstantium adiumẽtum, &c. Fit inde syllogismus demonstratiuus eiusmodi:

Aristotelis causæ an ineptæ.

Demonstratio.

Raræ arteriosæq; substantiæ ex crasi congenita sua potentiam aeris attrahẽdi reddendiq; habens membrum, respirat ob id ipsum:

Pulmo est membrum, &c.

Respirat ergo ob id ipsum.

Infra autem videbimus etiam de aliquibus Aristotelis exemplis. Hæc ad materiæ obiecta.

Quæstionem π ὅτι nec Aristoteles, nec Ramus

Ramus ipse planè asyllogiston statuit. Nã imperfectam definitionem cõcludi posse & argui perfecta, vterq; fatetur. Sed & via τὴν ἡμᾶς, id est, inductione, & per mẽbra potest argui. Quî ergo planè sit ἀσυλλόγιστος? Consideretur talis syllogismus:

Si homo est animal, & rationem obtinet, est animal rationale:
Sed homo est animal & rationem obtinet:
Homo ergo est animal rationale.

Forma demonstrationis.

τί ἐστι *non omnino asyllogiston.*

Ita simpliciter: Animal existens & habens rationem est animal rationale, &c.

Hìc omnes propositiones sunt reciprocæ, & concluditur definitio ex membris, in sua forma.

Deinde licet affine sit τὸ διότι τῷ τί ὅτι; tamen non est consequens, vt hoc est asyllogiston, ita & illud esse. Nam τὸ διότι potest argui per τί ὅτι ipso fatente Aristotele.

Sed dicet postea Ramus, non concludi posse in sua forma, quia omnis conclusio sit ὅτι ὅτι: Inquam ego elencho accidentis peccari. Nam accidit illi ita concludi, cum facilè ob cognationem transeat in ὅτι, & illi quandoque implicetur. Ego verò in prædictis exemplis interdum & ipsam formam expressi, quanquam non sit opus quia ipsa consequendi forma includit exp editque istam quæstionem cum ob antecedens sit consequens. Tam stramineus

neus est fortissimus Rami aduersus Aristotelem aries. Procedat alius.

II. Rami argumentũ.

Nec in natura (inquit Ramus) *nec in scientiis vllum exemplum est demonstrationis Aristoteleæ:*

Nulla igitur est.

Antecedens sua obseruatione firmat.

Resp. Dico hic Ramum malè obseruasse. Exemplum in natura esto hoc: Quæritur propter quid corpora definita in medio perspicuo sunt colorata.

Respõdetur per formam colorati, quia colorem habent; vel quia lumen ad ipsa terminatur. Color & lumen terminatum sunt actus & forma corporum coloratorum, qua colorata: & Ramus non potest hoc negare, quia in coniugatis eiusmodi primum argumentum ex causa repetit. Iam concludo ita:

Demonstratio.

Habens colorem est coloratum:

Corpora definita in medio actu perspicuo habent colorem:

Corpora ergo definita in medio actu perspicuo sunt colorata.

Quid hîc desideret Ramæus?

Exemplũ in scientiis apud poëtas, oratores, historicos, nõ inuenerit Ramus; at in scholis philosophorũ vbi scientificè disputatur, inuenire poterat. Ipse ex Ciceronc in posteriore explicata hoc recitat:

Omne

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [458] - 454
PUBLIC DOMAIN

Omne iustum est honestum:
Omne vtile est iustum:
Omne vtile ergo honestum.

Vtilitati adiũgitur honestas propriè secundum sententiam philosophorum. Argumentum sumitur ex causa honestatis, nempe iusticia; quæ ipsi honestati intrinseca est, & formalis. Neque tamen idem plane est quod honestum, vt facilè quiuis intelligit. Hæc est illa Rami obseruatio.

III. argumentum Rami.

Tertio ita resistit:

Inter triginta exemplaAristotelicæ demõstrationis, nullũ est aptũ eius requisitis:
Nulla ergo est: seu; *nihil præter merum figmentum.*

Poteram ex hoc dicere, quod Aristoteli proposita esset illa doctrina tanquã idea, ad quam in scientiis esset dirigendum iudicium, licet eam exprimere omnino non possemus. Sed non vtar hac responsione, sicut nec illa, quod voluerit philosophus expeditorum exemplorum, non vsq; quaque congruentiũ forma nos deducere ad ipsam demonstrationem exactam. Hoc dico, occultatas esse demõstrationes breuitate Aristotelea, nec satis explicatas à Ramo. Aliâs solet is autor literis vti, vt generalitatẽ præcepti declaret, & veluti vacuo edicto omne genus exemplorũ possit adaptare; sed faciamus periculum in ex-

positione. Quærit Aristoteles διὰ τί ἐκλείπει ἡ σελήνη; Et respondet, quia deficit lumen è regione eius auertente terra. De-
» ficere lumine propria locutione est lunæ
» tantum. Itaq; eius affectio propria. Nam
» solis lumen auertitur quidem à nobis,
» sed non deficit soli. Itaque & tropica
» illa defectio est. Argumentum huius petitur à defectionis forma, quæ est, lumen solis ad eam non peruenire è diametro interposita terra; seu auersio luminis à terra diametraliter interiecta: Syllogismus:

Luminis auersionem patiens diametraliter inter ipsum & solem interiecta terra, deficit lumine ob idipsum:

Luna patitur luminis auersionem diametraliter inter ipsam & solem interiecta terra:

Luna ergo ob id ipsum deficit.

Concursus quæstionũ.

In hoc exemplo ponit Aristoteles regulam, quod eâdem responsione satisfacere possimus duabus quæstionibus τί ὅτι & διὰ τί, quia cõcurrant in eadẽ causa. Hęc est illa cognatio quã supra malè interpretabatur Ramus. Est autẽ exemplũ ꝓpositum demonstratiuum; sicut & illud quod de tonitru producit. Multũ refert quo pacto accipias & interpreteris vnũquodq;.

Inter disputandum euenit etiã vt philoso-

phus

phus demonstrationem variè accipiat, & sic exemplis vtatur diuersis. Hoc non attendens aut peruertens Ramus, ad vnum genus demonstrationis accommodatum putat, quod erat ad aliud. Tale est de ambulatione à cœna. Dicit enim philosophus etiam alias causas (alio modo) demonstrare posse; sed non ita proprie, vt: διὰ τί ἀπὸ δείπνου δεῖ περιπατεῖν καὶ ἕνεκα τίνος δεῖ; τὸ μὴ ἐπιπολάζειν τὰ σιτία. Et addit: ἔστω δὴ τῷ ἀπὸ δείπνου περιπατεῖν ὑπάρχον τὸ ποιεῖν μὴ ἐπιπολάζειν τὰ σιτία πρὸς τῷ σώματι τῆς κοιλίας, καὶ ἕστο ὑγιεινόν. Hic argumentum è finali causa est, qua aliud genus demonstrationis designatur: Syllog.

Quod facit ne esculenta alluant orificium ventriculi, id à cibo ideo est faciendũ.
Ambulatio quæ fit post cibũ, facit ne esculenta alluant orificium ventriculi.
Ambulatio ergo quæ fit post cibum, ob id à cibo est instituenda.

Multa certè propria communiter dicuntur, quæ in eiusmodi præceptis sunt intelligenda proprie. Videtur etiam philosophus id notasse hypothesi; dum ait ἔστω. Sed pergo.

Quarto loco ita concluditur.

Syllogismus nõ est iudex artium & scientiarum omnium.
Apodixis est syllogismus.

Apodixis itaque non est iudex artium & scientiarum omnium.

Hoc ex falsa Rami persuasione dependet, qua supra putauit Aristotelem omni prȩcepto adhibere illã demonstrationem, eamq; solam. Sed falli eum ostensum est. Interim autẽ posse quoduis præceptum etiam syllogismo firmari notissimum est. Ramus in artibus requirit definitiones, & distributiones. At vtraq; potest argui syllogisticè, concludendo distributionem ex toto distributo, & vicissim; definitionem vero genere & forma, & definito. Idẽ autor quoties in logicis tertio vtitur argumento? At quȩstio & tertiũ argumentum sunt materia syllogismi. Insuper in sua demonstratione syllogisticum iudicium non omisit. In Geometria fatetur se syllogismos posuisse, sed cum eleuatione, quasi sint comparata & opposita potius, aut furculi noëtici iudicii. Quam friuola ergo est obiectio? Quod si demus etiam ad præcepta nihil valere illam demonstrationem, attamen inde non est nulla. Philosophus enim eam adhibet etiam ad eam scientiam quę est ex præceptis; veluti: Estne causa effecto prior natura sua, & propter quid est. Respondeo: Est, & quidem ideo quia eius vi effectum est. Syllogismus:

Demonstratio.

Cuius

Cuius vi effectum est, id effecto est prius natura sua.

Causa vi est effectum:

Causa ergo prior est effecto natura sua.

Ita & in hoc: ob quid causa & effectum se arguunt mutuo causaliter & effectiuè; Quia sunt relata affectione sua, quæ est vt hoc sit vi illius, &c. Sic cum præceptum ex præcepto deducitur: quo pacto Ramus ait definitionẽ definito reciprocari, quia distributio & definitio, vtrumque nempe est reciprocũ suo affecto, &c. In Geometricis quam sæpè dicitur ὁ δεῖ δεῖξαι? Et id est vsu receptum, fitque per hypotyposes & descriptiones formales.

Quinto loco producitur testimonium Cardini, qui ita scripserit: Nescio quorsum illã suam tot conditionibus celebrem demonstrationem Aristoteles induxerit, cuius nullum apud homines exemplũ potest inueniri. Sed Cardani iudicium in hac causa, vt & alias penè in tota philosophia est parui momenti. Non sat exactæ ille fuit eruditionis, nec mentis constantis. Consideretur hoc exemplum:

V. Ramæũ. Cardanus indignus autor.

" "

Ex Deo qui sunt, Dei verbum audiunt.
Diuini sunt ex Deo (nihil refert, siue pios, siue iustos, siue diuinos appelles)
Diuini ergo audiunt Dei verbum.

Demonstratio.

Audire Dei verbum est proprium diuino-

uinorum seu sanctorum. Ex Deo esse, causa est cur sint diuini, &c. Sunt & omnes propositiones factæ ad leges scientificas: & fit quæstio in διὰτί. Ideo enim audiunt quia ex Deo sunt, à quo habent hoc esse, vt sint & dicantur diuini, &c.

Talem syllogismum audimus frequenter in ecclesia. Quæstio est ob quid finaliter credentes sunt electi; respondetur per fidem Christi in fine vitæ existentem, à qua finaliter credentes sunt & dicantur. Intelliguntur autem electi ἁπλῶς ad salutem, quales determinatione decreti diuini sunt καθόλου, cui postea accommodantur singulares personæ. Facile fit inde syllogismus; vt appareat Cardanũ tunc cum illam tulit sententiam non fuisse inter homines cogitatione, aut putasse syluam esse virgulta, & mundum palmam.

S. Rami argumentum.

Sextum Ramæum hoc est; lib. 10. schol. ad cap. 2. post. 1 & 2.

Quod ex vsu nec deductum est, nec deduci potest, commentum inane est.

Demonstratio Aristotelis ex vsu nec deducta est, nec deduci potest.

Ergo demonstratio Aristotelis est inane commentum.

Assumtum probat, quia nec ἐπαγωγὴ, nec ἰσοεία nec ἐμπειρία exemplaque autorum eam habent.

Hoc

Hoc refutatum iam est oppositis exemplis aliquibus. Addatur illis & hoc valde vsitatum: Mortui resurgent, quia è tumulis ad vitam redibunt; item Christus qui est resurrectio, resurrexit; Item quia Christus primus resurrexit, deinde cæteri, &c. quæ partim ad formam pertinent, partim ad efficientem propriam. Resurgere propria affectio est mortuorum; & hi resurgunt ob hoc quia in vitam è morte redeunt, quæ est causa formalis; inde demonstratio hæc: *Resp.*

Redeuntes è morte in vitam resurgunt.
Mortui redibunt è morte in vitam.
Mortui ergo resurgent. *Demonstratio.*

Septimum Ramæum. *7. Rami.*

Nulla quæstio scientifica potest syllogismo concludi.
Apodixis ergo Aristotelis nulla est.

Antecedens patet, quia εἰ ὅτι est asyllogistos; est & τί ὅτι; item ὅτι, & διότι. Et ipse Aristoteles fatetur tantum διότι esse apodictum. Sed hæc non concluditur syllogismo, quia affinis est τῷ τί ὅτι. Nulla igitur.

Dictum est antè antecedens esse falsum, & probationem eius peccare elencho à secundum quid. Quæstio διότι latitat in syllogismi forma & consequentia; item concluditur forma ὅτι: nec vult Aristote- *Resp.*

ſtoteles illam ipſam in ſua forma concludi debere, modo concludatur vi eius, & argumentum inuentum eam explicet. Ita fit in hoc: Propter quid diaphanũ fit actu perſpicuum præſente luminoſo. Reſpondetur per formã quæ ſoluit διότι, quia ſcil. illi ineſt lumen; qui actus ſpicui qua perſpicuũ philoſopho dicitur. Hic facto ſyllogiſmo ὅτι expreſſe enunciatur, ſed cõſequitur ex vi διότι ꝙ explicat quæſtionẽ, vt:

Demonſtratio.

Cui lumen ineſt, actu perſpicuum eſt:
Diaphano præſente luminoſo lumen ineſt:
Diaphanum ergo præſente luminoſo eſt actu perſpicuum.

VIII. Octauum Ramæum.

Si abſurdum eſt ignem frigidum, & glaciem calidam ſtatuere, etiã abſurdum eſt ὅτι δεῖξιν Ariſtoteleam fingere.
Sed antecedens eſt: Conſequens ergo.

Reſp. Vult oſtendere extremorum, quibus contrarium extremum tribuitur exemplis, longè abſurdiſſimam eſſe demonſtrationem Ariſtotelis. Sed connexum nihil habet firmi. Futile enim & inane eſt.

IX. Nonum Ramæum.

Quæ ſunt iudicii noetici, ea nec ſunt nec debent eſſe iudicii ſyllogiſtici.
Quæſti διότι, & axioma proprii πάθους de proprio ſubiecto eſt noetici iudicii.
Non itaq; debet eſſe ſyllogiſtici, & ex conſequen-

sequenti iniſta eſt apodixis Ariſtotelea.

Patet propoſitio, quia noëticũ eſt prius & præſtantius & illuſtrius. Aſſumtũ probatur exemplis. Quæ .n. ita quęruntur, vt de defectu lunæ, axiomate iudicant & diſponũtur, veluti: propter quid luna deficit? Propter terrã diametraliter inter ſolem & ipſam interpoſitam. Quod eſt axioma tantum: q.d. Luna deficit propter terram, &c.

Propoſitio hic eſt particularis. Nam ea *Reſp.* tantũ quæ euidentiſſima neceſſitate ſunt iudicata, recte acquieſcunt iudicio noëtico. De quibus vero dubium eſſe poteſt, ſintne ſcientifica verè, & non apparenter ſeu ſophiſticè, ſicut poteſt de proprietatibus, ea non tantum axiomatici iudicii ſunt ſed & ſyllogiſtici. Imò ſi potentiam ſpectes, & primos fontes quo ad nos, ſeu ſenſus nullum axioma tam eſt catholicum & neceſſarium, quin inductione, experientia & exemplis ſit comprobãdum. Ex his autem cum illo cur non fiat ſyllogiſmus? Quô mentem vertit Ramus cum iſtud ſcripſit? An non hoc eius eſt decretum, quæſtionem fieri cum dubitatur de axiomate, ſiue id ſit ſua natura neceſſarium ſiue contingens? Approbatio propoſitionis eſt inanis. Non enim eſt conſequens, ſi axiomaticum iudicium prius ſit & illuſtrius, ſyllogiſmum non

non requiri. Ita enim nullo opus foret syllogismo, quia nullum axioma est, quod non sit manifestum suo iudicio. Nam & contingēs iudicamus natura sua tale, quia esse potest, & non esse. At ob circumstantias & singularem accōmodationem isto iudicio non sumus contenti.

Assumtum admittimus κατά τι. Potest enim etiā integri syllogismi vis vno comprehendi axiomate; sed ob id de eo syllogismum fieri posse non est negandum. Nec omnia exempla in quibus quæritur διὰ τί, propria affectio inest suo subiecto, ita simpliciter expediuntur. Si sciremus, non quæreremus. Quærenti verò non fit satis axiomate; Quæstio pars materialis syllogismi est. Necesse est si responsa causa fuit, syllogismo consequentiam necessariam & immotam, omniaque axiomata certissima habēte, demonstrare eā ipsam esse propter quam hoc quod quærimus scimus. Itaque & non raro vsurpamus vocem, Quia: vt propter quid loquitur homo? Quia ratione, orationis in suis organis facultate, instructa præditus est. Hîc est materia syllogismi. Contexatur vt legis est; fiet syllogismus. Multa hic concionatur Ramus de præstantia τοῦ τί ἐστι, quod absurdum sit ad syllogismum iudicium tanquam minus præstans id relegare. Refert

τί ἐστι.

fert id ad intellectum, quem vocat noëticum, syllogismum vero ad scientiã quam nominat syllogisticam. Et intellectum antecellere ait.

Intellectus.

Risum in his ineptiis vix cõtineas. Qui fit vt intellectus iam sit noëticus, cum antè sæpe fuerit vniuersalis facultas totius logicæ? Deinde cur iam scientia est syllogistica, cum ante pugnatum sit manibus pedibusq; syllogismum ineptum ad scientias constituẽdas esse, vnde & apodixis nõ possit esse lex earum? Insuper fatetur Ramus ipse imperfectam definitionem esse syllogismo per perfectam, & alia argumẽta demonstrabilem; & verè si non catholicum prius habet; habet tamen topicum, seu sensitiuum, & inductorium per quod argui instrumento syllogismi possit. Qui iam sit tantum noëtica? Cur etiam syllogisticum iudiciũ minus sit prẽstans axiomatico? Non raro longè est præstantius, vt in quæstionib. arguẽdis, in quibus axiomatica lux p se sola nõ satisfacit. Tamne putida intorquẽda in Aristot. erãt? Hic τὸν ὁρισμὸν nouerat ἢ ἀρχὴ ἐπιστ. ἀποδείξεως, ἢ ἀπόδειξιν θέσει διαφέρουσαν, ἢ συμπερασμάτι ἀποδείξεως.

Scientia syllogistica.

Imperfecta definitio demonstrabilis.

Syllogismi præstantia.

Decimum Ramæum. X.

Exemplum Aristotelis sunt noetica:
Ergo non syllogistica, & ex consequente,
apodixis quæ sit syllogismus, nulla est.

Nego

Resp. Nego sequi. Etsi enim noëticè sunt proposita tamen syllogismum continent; seu sunt materialiter syllogistica, licet non formaliter. E potentia autem in actum facile venire possunt addita syllogistica dispositione. Videndum autem quænam adducta sint demonstrationis propriæ gratia, & quæ propter aliud.

XI. Vndecimum.

Si quæstio τί ὅτι non est syllogistica, nec quæstio διότι.

Sed illud. Hoc ergo. Connexum probatur affinitate vtriusque.

Resp. Huic satisfactũ sup. est in VII. obiecto.

XII. Duodecimum.

Omnis demonstratio quinq; artium liberalium est axiomatica.

Nulla ergo syllogistica; & per consequens in scientiis apodixis locum non habet quam Aristoteles describit.

Resp. Ad antecedẽs dicendũ est esse elenchũ secundũ quid & accidentis. Postquã inuenta iam & iudicata sunt præcepta, formã habent axiomaticam. Vnde & vsitatè conclusiones vocari solẽt. Sed antequam iudicarentur non erãt omnia. Necesse autem est ea, in quibus propriæ affectiones subiecto tribuũtur, concludi per causam; quia per solam hanc scientia est Aristotelis principaliter. Vbi causa non [illegible] liberetur, non

non possent verè sciri. At tunc tertio argumento euicta est quæstio. Confessus vero Ramus tũ aliâs est, tũ in methodi logicæ declaratione quædam firmari syllogismo. Si itẽ in quinq; his quas Ramus cõfirmauit, nempe in Dialectica, Grãmatica, Rhetorica, Arithmetica, Geometria, nõ sunt syllogismi formaliter, sunt tamen materialiter; & sunt apud alios autores ẽt forma sua. Sed nec solis artibus adhibet Aristoteles demonstrationem. Vsurpat eam etiam ad opera artium, præsertim ad disputationẽ, vbi agit̃ de vero falsoq;. Hic negare non potest Ramus syllogismo agi. Decimũm tertium. XIII.

Nulla essentia demonstrationis pendet è syllogismo.

Aristotelea ergo ἀπόδειξις nulla est.

Hic paralogismus saltem verbis distat à primo. Et quomodo id potest negare Ramus, si certũ est posse proprietatẽ subiecti argumento formę vel definitionis euinci? Cur necessitas cõsequẽtię tribuit̃ syllogismo, si nihil necessarii potest demõstrare? *Resp.*

Decimum quartum. XIIII.

Si quæstio διότι transformatur in ὅτι explicatione argumenti, non potest syllogistica esse, & ex consequente nec apodictica, & ita apodixis nulla.

Sed illud est teste Aristotele. Hoc ergo.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [471] - 467
PUBLIC DOMAIN

Resp. Ad hoc responsum supra est, quod licet transformetur in ὅτι, tamẽ vim suam in eo occultet, & in consequẽtia syllogistica lateat: nec est mens Aristotelis eam cõcludi in sua forma aperta debere, &c. Nã cõclusum quod est, nõ amplius quæritur διὰ τί. Hoc enim syllogismo est expeditũ. Quæstio antecedit syllogismũ. Eodẽ modo possem dicere nullã quæstionẽ syllogisticam esse, quia omnis trãsformatur in formam conclusionis. Atqui notũ est quæstionem esse materialẽ partẽ syllogismi, quæ & ipsa concludit, licet alia forma. Ita τὸ διότι concluditur, sed forma non sua. Ramus idem de quæstione notauit. Inquit enim Quæstio syllogismi & conclusio ratione differunt. Re sunt idẽ. Deniq; quod concluditur id prius quęrebat. Cur hoc non valeat in ὅτι & διότι ꝙ attinet demonstrationem?

XV. Decimum quintum.

Quod concluditur, id prius quærebatur & cum eo nõ differt re, sed ratione tantũ. At concluditur τὸ ὅπ. Ergo & quærebatur ὅτι sub voce διότι, atque ita τὸ διὰ τί plane non venit in syllogismum.

Resp. Hoc ego paulo ante inuerti. Nã ostẽdo ideo venire in syllogismũ quia forma τοῦ ὅπ concluditur τὸ διότι ꝙ tũc cũ illo est re idẽ. Et qs nõ videt reciprocari ea quę sunt re idẽ? Arma aduersus se promsit Ramus. Nõ au-

autem planè est idē ὅτι cum διότι. Nā ὅτι respondetur etiā ad quæstionē εἰ ἔστι. Ramus hic iterū confugit ad literā Aristotelis; & si eam explices sensu; clamat te mysteria in illo quærere, admodū ridiculè. Non est mysteria quęrere si quis grauis philosophi & artificis mentē inspicit, nec tam strictè sequitur literam, Eo vero prærextu quem autorē non possem deprauare? si eo animo venit ad Aristot. quā victoriā sibi sperauit? *Mirus prætextus Rami.*

Decimum sextum. XVI.

Ramæis illis potest & hoc addi, quod exemplariter tractatur.

Qui concludit τὸ ὅτι, ille docet id quod ante erat confessum, & sic alienum a quæstione, neque potest τὸ διότι concludere.

Ita autem fit in apodixi.

Ergo ea est asyllogistos. Exempli gratia. Quæro propter quid videt color. Hoc volo te concludere. At non potest; quia vbi ad syllogismum ventum erit, concludes, quod videatur. At hoc ego tibi fateor, nec desidero explicari. Pone enim, quod ideo, quia mouet visorium: Hæc enim est causa formalis visionis. Syllogismus:

Quod mouet visorium, videtur:
Color mouet visorium:
Color ergo videtur.

Id quod ego tibi ante confitebar, nec quærebam. At axiomaticè facilè potest

quæstioni satisfieri; color videtur propter motum visorio allatum. Hic retinetur ipsa quæstionis forma. Non ergo est syllogistica sua natura, sed noëtica.

Resp. Hic respondendū est ex sententia Aristotelis & legitima informatione, ne debere quidē tertiū argumentū ingredi cōclusionem, neq; eius quærēdi aut exigendi modū. Interim tamē vis eius est in consequētia, & complectitur eam conclusio, quam necesse est naturam principiorum, ex quib. est, redolere. Si itaq; ex quęstione διότι per suum argumentum est firma; vim eius inesse patet. Nec si prima fronte apparet τὸ ὅτι, neganda est virtus διότι. Accidit enim concurrere vtramque in vna enunciationis axiomaticæ forma. Quod etiam dicit Ramus se scire id quod concluditur antè argumentum, falsum est, si quidem omnis scientia demonstratiua & prima per causam propriā est. Sciuit confuse; sed non sciuit vere & primum, antequam quæstio vi formæ concluderetur. Et illa ipsa dispositio indicat non temere id esse quod est in conclusione, sed scienter esse, & ratione primæ causæ. Quod si sciuisset ante syllogismum; quid attinebat quærere διότι? Informat autem Ramus eandem obiectionem etiam hoc modo:

Qui

Qui τὸ ὅτι concludit in quæstione διὰ τί, is concludit rem prius confessam, & positam.

Sed qui in quæstione διὰ τί syllogisticè concludit, is τὸ ὅτι concludit.

Ergo rem prius confessam, & sic actum agit non docens, quod docere debebat.

Respondetur vt ante; confessum quidē vaga notitia concludi, sed non scitum antequam per causam concluderetur. Ante nouerat indefinite τὸ ὅτι tātum; post conclusionē certus est & de διότι, & simul nouit hoc sympersma esse præceptū scientificum, seu doctrinam immotam.

Ramus autē hoc præuidit. Itaq; ita occupet. Dicat aliquis, inquit: Tūc διότι concluditur, cum argumentum fuerit definitio vel causa propter quam res est, propria & necessaria. At illud ipse negat, qa definitione non tantū διότι, sed & omne genus quæstionū possit explicari. Non itaq; statim vbi definitio vel causa propria est, τὸ διότι conclusum existimandū est. Sed Ramus apertè delirat. Si definitione omne genus quęstionū potest concludi; poterit & διότι; idq; tum alias, tum in demonstratione vbi quæritur scientia proprietatis in subiecto. Aristoteles nunquam alligauit τὸ διότι ad sola apodictica. Possūnt & alia quæri per idem. Ita nec quæstio εἰ ὅτι

Prolepsis Rami.

Resp.

nec πότε, nec ὅπη ὅτι solius est apodixios: sed in hac per istas peculiari adhibitione quæritur; & ex materia spectatur, quãdo sunt apodicticæ, & quando non.

» Occurrit autem ille, dicitq; etsi omnes » quæstiones possint definitione & causa » explicari, tamen non esse omnes syllogi- » sticas, nec omnes eodem syllogismo con- » cludi: quia τί ὅτι totum sit noëticum; ὅτι, si- » mul & syllogisticum & noëticum: &, » quamuis idem lumen argumenti adhibe- » atur in quæstionibus omnibus, negat ta- » men eandem quæstionem esse quæ illu- » minatur, & eiusdem rei scientiam confi- » ci; quia immediati argumenti cognitio » Aristoteli appelletur νοῦς; explicatæ vero » inde rei cognitio, scientia & res quæ quæ- » ritur, vt sic rei quæsitæ & explicatæ co- » gnitio sit diuersa. Nõ aũt dici nũc scientiã » argumẽti apodictici & principii, sed quæ- » stionis quæ inde firmat: & scientiæ speciẽ » æstimandam esse ex quæstione. Hæc ille.

Resp. Attendendum est quidnam sibi velit. Obiectio prior erat, quod intelligendum sit tunc διότι concludi cum definitio vel causa pro argumento est sumta. Negabat hoc Ramus, quia definitio explicet etiam alias quæstiones, nempe εἰ ὅτι, τί ὅτι & ὁτιοῦν ὅτι. Non ergo vbi definitio est, statim inferendum est, τὸ διότι esse. Diximus, non infractum

fractum esse argumentum, nec subuersum. Si enim non semper id fiat, aliquando tamen fiet, atque ita per definitionem poterit concludi διὰ τί. Ramus iterum respondet, quod non concludi; quia etsi explicari possit definitione τὸ διότι, tamen nõ ob id syllogismo concludi: quia non sint omnes syllogisticæ, vt quæstio πότι. De hoc nos antè diximus quod teste Aristotele, & veritate consentiente, etiam definitio possit esse συμπέρασμα; atque etiam ipsa quodammodo demonstratio, & principium eius. Itaque & πότι erit quodammodo syllogisticum, licet sit & noëticum alio modo, vt testatur rectè philosophus.

Sed Ramus vrget suam sententiam, negatque etiamsi definitio omni quæstioni explicandæ adhibeatur, tamen inde gigni scientiam indiscretam, hoc est, siue syllogismo siue axiomate per vnam definitionem omnes quæstiones possint explicari; negat tamen scientiam quæ emergit ex illa explicatione propterea esse διότι & apodicticam, vt sic, etiamsi donet πότι esse syllogisticum, tamen Aristoteles euincere non possit se illo syllogismo suam ἀπόδειξιν in quæstione διότι obtinuisse: quia scientia non accipiat nomẽ ab argumento demonstrante, sed à quæstione explicata, cuius est. Cum verò omnis eiusmodi quę- *Instantia.*

ſtio ſonet ὅτι (Nam ita concluditur, quod ſit, vt ſupra dictum eſt) Itaque negat concludi poſſe διότι, licet argumentum ad id ſit ſumtum. Sed hæc nihil habent præter cramben crebrò recoctam.

Reſp. Scimus Ariſtotelem vocabulum ſcientiæ in doctrina apodictica accipere, de ea, quam quis haurit ex concluſione demonſtrationis; & τὸν νῦν vocare principium ſeu argumentum definitionis aut formæ, per quod concluditur. Scimus & hoc qđ illud συμπέρασμα ſecundum literam congruat cum ὅτι; ſed negamus inde ſequi quod ipſe vult, nempe τὸ διότι eſſe indemonſtrabile, hoc modo, vt in eo non poſſit fieri apodixis. Sæpe dictum eſt, concludi id forma alia propter affinitatem; latitare in conſequentia ſyllogiſmi; & non velle philoſophum vt aperta enunciatione concludatur, ſed ſatis eſſe, ſi argumentum ad eam ſit ſumtum, & ex eo quæſtio concluſa ita, vt iam ſciatur propter eſſentiam, nec amplius quæratur. Luctatur ergo cum laruis Ramus. Donare & nos poſſumus τὸ διότι illo modo vt vult, ſyllogiſticum non eſſe, ſed quia non eſt forma demonſtrationis, ob id non tollitur demonſtratio. Cogitet autem an nullo modo alio ſit ſyllogiſticum, cum concluſio complectatur vim antecedentis, totiusq; conſequentię;

in hac

in hac autem eluceat τὸ διότι. Si in antecedente, & consequentia est virtus Ϝ διὰ τί, cur non sit in conclusione, quæ illa complectitur? Quo iure etiam conclusio debeat quæstionis vim mutare, & non potius argumentum suam potentiam conclusioni ita communicare, vt cum argumentum sumtum sit, ad διότι, non possit dici conclusum esse διότι? An nõ ea est efficacia argumenti, vt non tantum syllogismi antecedens ad suam naturã trahat sed & consequens? Certè philosophus inductionem, exemplũ, definitionẽ, &c. vocat syllogismũ in quo medium vel prosyllogismus est inductio, exemplũ, definitio; quo pacto possem & causalem, effectiuũ, &c. dicere ex iisdem argumentis. Si quid iudico, longè est probabilius, vt conclusio æstimetur argumento, non argumentum conclusione, & sic scientia determinetur non ex quæstione cognita, sed ex argumento per quod est cognita, & cuius vires complectitur, contrà ac volebat Ramus.

Sed ille contra superiorẽ obiectionem (quæ erat tunc concludi τὸ διότι cum argumentum est definitio vel causa) alia vtitur machina. Ita arguit: *Instantia.*

Si definitionis argumento in syllogismo existẽte, quæstio διότι argueretur & explicare-

caretur, explicatio quæstionis εἰ ἔστι, quæ item definitione soluitur, esset explicatio quæstionum reliquarum, & definitio in syllogismum veniret:

Sed hoc falsum, iudice Aristotele est:

Ergo & illud ex quo sequitur.

Resp. Responsum & ad hoc est antè. Ramus finxit sibi obiectum, quod Aristoteli non omnino est statutum. Itaq; luctatur cum suis laruis. Definitio non ita adhibetur à philosopho, vt vbi ea posita sit, vel ex ea arguatur, statim intelligenda sit quæstio διότι. Est enim generalius instrumentum. At cum quæritur scientia proprietatum in subiectis per διότι; causa argumentum est primum; est & definitio, quia causam continet. Accidit autem tunc concurrere simul omnes quæstiones, & solui, quia aliâs definitio vna eademque satisfacit interroganti, Estne? vt: Estne homo? Est, quia animal rationale est: Satisfacit & interroganti, quid est homo? Respondetur enim eadem. Deinde quærenti, quódnam est? quæ quæstio de affirmatione substantiæ quærit; & per definitionem firmatur quod sit. Definitione enim existente, definitum est. Tandem & διὰ τί sciscitanti. Nam si quæras, propter quid homo loquitur? Respondere potes, quia animal rationale est; & vi quæstionis post syllogismum

gismum intelligitur, causam conclusionis propter quid, quæ est scientifica, comprehendi in argumento, & antecedente syllogismi. Cũ itaq; quæstio εἰ ὅτι cum sua responsione ex definitione, dicitur satisfacere & aliis quæstionibus, non est hoc καθ' αὐτὸ, sed κατὰ συμβεβηκός. Aristotelem verò negare definitionem venire in syllogismum, quanquam perfectam definitionem adeo catholicam statuat vt nihil habeat prius, & sic medio argui non possit, nisi quo ad nos: non satis est circumspectè dictum, vt ex superioribus apparet.

Instantia.

Instat ille alio modo:

Quæstio διὰ τί (inquit) *est διανοήσεως brevioris quam syllogismi:*

Ergo non est syllogistica.

Antecedens illustratur exemplo aliarum quæstionum, ad quas ita vel non, responderi non potest.

Resp.

Nego sequi. Sit enim breuior. At dilatari potest, sicut similitudines contractæ, & syllogismi contracti. Deinde nego breuiorem simpliciter esse. Enunciatio axiomatica contrahit etiam totos syllogismos, qui tamen ob id non negantur syllogistici. Est & materialiter breuior; at non formaliter: Est peculiari informatione; at non omni; veluti propter quid homo ratiocinatur? Responsio: propter ani-

animam rationis compotem. Hoc cõtrahi poteſt. Homo ratiocinatur propter animam ſeu intellectum rationis compotẽ. Sed ſi reſpondeas per, quia; vt: quia intellectum obtinet ſapientem: manifeſta eſt ſyllogiſtica δύναμις. Dicat verò Ramus, an non illa erat integra quæſtio, cum dicebam; propter quid homo vtitur ratione? Imò erat. Reſponſio, an non habebat argumentum? Imò habebat. At hæc ſunt materia ſyllogiſmi. Sed nec Ariſtoteles tale requirit axioma in arte, quale Ramus vult informari. Nam ipſe ſcire vult, num homo ratiocinetur: hoc autẽ eſt per cauſam primam cognoſcere.

Hæc cauſa prima inueſtigatur quęrendo propter quid; & concludendo apodicticè, ſcientia eſt certa. Aliâs tautologum foret, ſi velles in arte repetere; homo propterea quod eſt animal rationale, ratiocinatur: cum ſatis ſit; hominis proprium eſt ratione vti. Huius ſcientificum argumentum ſi requiras, vt conſtet te nõ falli, ex definitione in qua eſt cauſa formalis, repetas. Ramus ipſe definitioni Dialecticæ adiunxit tale conſectarium: Eodẽque ſenſu logica dicta eſt. Præceptum integrum: Dialectica eſt eodem ſenſu logica dicta, quaſi quæſiuiſſes, propter quid eſt dicta logica Dialectica; ſi iam miſceres

defi-

definitionem huic præcepto; an non ridiculus fores? Ita enim esset:

Dialectica est ars bene disserendi:
Et Dialectica propterea quia est ars bene disserendi logica est dicta: vel; *Dialectica propter artem bene disserendi logica est dicta.*

Hactenus actum est de quæstione διὰ τί sitne syllogistica, an non. Sequuntur plura argumenta Rami.

Decimum septimum tale est: XVII.

Qui admiranda putant & noua ea quæ aduersus Aristoteleam demonstrationem afferuntur, illi nunquam disputationum suarum vsum & fructum quæsiuerunt:

Ex quo consequens putat esse, nos assentiri sibi debere, suaque dictata pro veteri philosophia habere, vt inde sit consequens, abrogatum esse imperium apodixi.

Sed inane est illud antecedens. Neque enim vetus est Rami conatus, neque qui eum non credit veterē, nullum fecit fructum disputationum suarum; sed contrà fit potius, vt qui istud non credit, & solerter refutat obiecta, is multum ex studiis percipiat frugis. *Resp.*

Deci-

XVIII. Decimum octauum:

Qui finem philosophiæ requirent, ij hæc vera iudicabunt, & iucundè accipient demonstrationem Aristotelis euersam esse.

Resp. Satis pro imperio. Nego verum esse quod dicit Ramus, & tamen ἀφιλόσοφος non ero. Non audio istud αὐτὸς ἔφα.

XIX. Decimum nonum:

Qui principia Aristotelica αἴδησιν, ἐπαγωγὴν, ἰσοείαν, ἐμπειρείαν *sequentur, ij veram indicabunt* ἀνταπόδειξιν *Ramæã.*

Resp. Ex hoc patet Ramum non intellexisse satis philosophiam Aristotelis, & nõ fuisse memorem methodi vniuersalis scientiarum. Scit Aristoteles illa esse, sed non scientiæ demonstratiuæ gratia, quę ex solo vniuersali catholico est, verum ad constituenda principia. Itaque ait principia demonstrari non posse aliquo vniuersaliore; at habere originem suam ex his quę ad nos sunt; ita vt aliud principium sit καθόλου, id quod est vniuersale in mẽte; aliud πρὸς ἡμᾶς, id quod est à sensu, experientia, historia, &c. Itaque cum de artibus informandis, & gignenda scientia demonstratiua agitur, non sunt adeunda illa principia quæ sunt πρὸς ἡμᾶς prima; sed prima ἁπλῶς ἢ καθόλου. Et ita in praxi Ramus ipse statuit, nempe progrediendum esse ad scien-

Principia etsi non demonstrantur, tamen oriuntur alicunde.

scientiam posteriorum à scientia priorum & maximè vniuersalium, quæ iam sunt collecta inductione, quę pertingit ad singularia sensilia.

Vicesimum: XX.

Qui Grammaticam totam, & Arithmeticam totam sine syllogismis institui videbunt, illi iudicabunt Rami sententiam veram.

Supra hoc confutauimus. Non de inuentis iam tantum agitur; sed & de inueniẽdis; imò & de exemplis & operibus ad præcepta iudicandis. Ramus ipse ait syllogismo in inuentione pręceptorũ quędam firmari. Cur repudiat iam syllogismum? Sed nec si positus sua forma non est, etiam materia non est positus: nec poni nullo pacto debet, vt supra exemplo logicæ Rameæ ostendimus. Sed exemplo 19. & hoc 20. declaremus. Scio sensu hominem lachrymari. Volo id scire καθόλ. Iubet Aristoteles quærere in διὰ τί, & argumentum sumere ex causa prima & immota, quæ inest homini semper & essentialiter. Quia enim per hanc scientia est alia, erit & præsentis quæstionis. Dico ergo; Homo lachrimatur, quia intellectus cognita re dolenda indicia per oculos exprimit effuso rore. Quæsita ibi est propria affectio de suo subiecto. Ratio petita ex for-

Resp.

Lachrymari.

ma hominis certo modo ad lachrymas disposita in materia: & quidem διὰ τί quæsitum est. Non poteram respondere per experientiam, inductionẽ, historiam, &c. Ea enim singularia attingunt, in quibus non raro est æquiuoca veritas. E mente vniuersalique petenda erat causa. Hæc enim sola scientiam firmam prębet. Singulare omne est mutabile, teste etiam Platone. Si etiam facta axiomata examines, reperientur congruere tribus notis scientificis; erit & aliquis circulus, seu mutua reciprocatio argumentorum. Planè ergo iam sum certus me scire, quia prima immotaque fundamenta vniuersalis scientię attigi; & sic in doctrina de hominis natura audacter pono hoc præceptum: Hominis propriũ est lachrymari. Vnde postea patet æquiuoce dictum de equo esse, quod lachrymis humectet ora, &c. Hæc est mens Aristotelis syncera, qua solidè confutatur Ramus.

XXI. Vicesimum primum:

Tota apodictica syllogistica demonstrationis propriam affectionem ex causa ad quæstionem διὰ τί concludentis, est commenticia & tractandis disciplinis alieniſſima.

Resp. Futile hoc esse, iam sæpè est ostensum. In medicinæ parte naturali & affectuosa axio-

axioma est; Ventriculi propria affectio est vomere. Si hoc retinendum sit in scientia, non probabitur à singulari obseruatione; sed catholica demonstratione. Quæritur ergo διὰ τί: Respondetur ex natura ventriculi propria & prima, quia crasi sua & ἐνεργείᾳ lædentia orificium versus gulam excutit. Nec offendimur, etiamsi nomine proprio illam naturam appellare non possumus. Ex descriptione illa cognoscimus, quod causam primam immotamque habeamus; ex qua possumus asserere, nos scire illud axioma vniuersaliter pro more disciplinarum vniuersali methodo deductarum. Sed & ventriculi perfectam definitionem allegare poteramus. Hic est vsus demonstrationis Aristoteleæ: vnde appareret eam pro disciplinis esse, tantum abest vt sit aliena & noxia.

Passio Ventriculi.

Hic Ramus diceret, quia meus vomit, Pauli vomit, Antonij vomit, &c. ô scientiam præclaram, & à canis captu non alienam.

Vicesimum secundum: **XXII.**

Quod contrarium & aduersum disciplinis est, commenticium est:
Talis est apodixis Aristotelea:
Ergo commenticia.

Ψεῦδος iterum committitur grãde. Repulsum & hoc prædictis est. Sed vt videant iudices falsum; quæro ex Ramæo aliquo, an non tonitru sit propria aëris affectio, & propterea in scientia physica axioma inde ponendum? Asseret vtique,

Resp.

Tonitrus.

nisi ἀναίσθητος est. Quæro num id sciat? Affirmabit, quia sentiat, & historia comprobet. Nego inde sciri: Quia homini non est is sensus qui omnia diiudicet, & accipiat. Mentis est scientia vera & catholica. In sensu fieri potest vt id statuatur apud nos. Vtrum verò sit vbique & catholicè seu simpliciter; nullus iudicat sensus. Vnde ergo eius principium erit? Ex catholicis physicis, nempe ex causa & definitione tum aëris tum tonitru; vt: quod ob hoc tonet, quia spiritus igneus coactus frigiditate in medio, colliditur aëri aduersanti. Itaque quia tonitru est sonus aëris à feruido spiritu impulsi collisique, constat inde scientificè, aërē tonare, hocq; esse præceptum physicæ catholicum, cuius causa magis propria & prior non extat. Ita est cum de fulmine, fulgure, ventoque in physicis quæritur, quæ & ipsa sunt aëris propria, & vt sciantur catholicè, ex suis formis & definitionibus quærendo in διὰτί, itidem sunt demonstranda. Qui ergo aduersetur disciplinis apodixis, cum illis firmandis sit dicata? Sensui potius id tribuitur tam ab Academicis, quam peripateticis. Itaque conuitium suo modo in Ramum reuertitur.

XXIII. Vicesimum tertium:

Quo

Quo in scholas introducto homines stupore correpti, meliora quærere desierunt, id extirpandum est:

Ita est Apodixis Aristotelea:

Extirpanda ergo.

Resp.

Conuitium hoc potius est quam argumentum, vt & præcedentia quædam. Quid melius in artibus quam præcepta sciétifica habere? Eiusmodi quędam præstat ἀπόδειξις syllogistica. Reliqua suppeditat axiomatica. Quantæ lites sunt de proprietatibus? Quod cuique penè placuit id loco proprij habuit, cum non rarò commune particularéve fuerit. Aristoteles monstrat infallibile fundamentum eius cognoscendi. Si enim per formam & definitionem perfectam ita comprobatum est, vt omnes demonstrationis proprietates habeat; indubitatò statuendum nos verè & catholicè scire hanc proprietatem esse. Rami verò ἀνταπόδειξις tam bona non est. Semper enim suspecta fuerunt sensilia; semper historiæ. Nec inductio magni est momenti, quia cum singularia infinita sint numero & varietate, non possunt percenseri omnia. Qui verò cognouit formam rei primam immotamque, & scit infallibili, seu necessaria consequentia per ἀπόδειξιν inde deduci axioma proprietatis; is longè scit melius

Videtur Ramus suæ ignauiæ patrocinium quæsiuisse aut remedium stupori.

lius certiusque. Ad impudentiam itaque vsque peruenit istud obiiciendo Ramus.

XXIV. Vicesimum quartum:

Fabulæ pro seria logica obtrusæ sunt obiiciendæ:

Apodixis Aristotelea fabula est:

Abiiciendæ ergo.

Resp. Simile hoc est præcedentibus quibusdam; sicut & illa quæ in præfatione noni libri scholarum logicarum habentur, vbi ἀπόδειξιν vocat περέτισμα, insomnium, sophisma, monstrum horrendum, pestem, &c. Furor est hic. Ad anticyras, aut cynosarges. Quæram ex Ramo an non veritas sit propria axiomatis affectio, vt & affirmatio? Asseret. Inde enim distinxit axioma. Quæro item sit ne scientificum cum dico; axioma est verum aut falsum. Asseret idem. Nam hoc ipse habet præceptum. Causam postulo vnde ita iudicet. Nam scientia causam postulat. Non confugiet ad leges suas: Nam hæ sunt posteriores, & saltem vagam noticiam gignunt, seu sunt iudicati & demonstrati tituli proprietatem ex demonstratione ortam designantes: Sed non demonstrant primum. Nec patiar eum inductione vti; quia hæc singularia quæ percurri non possunt adducit, & ea quæ

Verum affirmatum.

sunt

sunt extra artem constitutam. Catholicum & primum intellectu volo, adeo vt ex prioribus immutabiliter, & vniuersalibus causam exponat. Quid hîc aliud respondere poterit, quam definitiones causam complexas? Propterea axioma verum aut falsum est, inquiet, quia pronunciat vt res est, aut non est: seu secundum naturalem argumentorum affectionem statuit omne, aut secus statuit. In his est essentia axiomatis prima. Si hæc sunt fabulæ; patiar sanè Ramum ipsum fabulosè præcepisse suo iudicio. Ego verò fabulam video nullam. Syllogismo autem ista disponi apodictico, res ipsa loquitur.

Pronuncians vt res est aut secus, est verum aut falsum:
Axioma pronunciat vt res est aut secus:
Axioma ergo est verum aut falsum.

Ita in Theologia: Propter quid Deus est omnipotens. Argumentum à formali omnipotentis causa; quia omnipotentia valet. Inde scientificum fit συμπέρασμα ex apodixi:

Omnipotentia valens est omnipotens:
Deus valet omnipotentia.
Deus ergo est omnipotens.

Ita in aliis Dei proprietatibus, vt cum dicitur omniscius, &c. Et quanquam

possit idem argui etiam effectis, & singularibus induci, & testimonio scripturæ comprobari; tamen hæc in scientia καθόλου prima non sunt. Itaque semper relinquent post se aliquid dubij; sicut & gentiles ob id errauerunt de Deo, quod sensu & historia non potuerint assequi Deum omnia posse. Ineſt autem omnipotentia in Dei definitione. Si enim non potest omnia; Deus non est.

XXV. Vicesimum quintum Rami:

Initio lib. 10. schol. Dialecticarum ait
» Ramus, sophisticum quid committi ab
» Aristotele, dum in secundo posteriorum
» argumenta omnium quæstionum, o-
» mnium syllogismorum, & non syllogisti-
» carum explicationum attribuit vni sal-
» tem speciei: & concludit, cum quicquid
» in secundo posteriorum est, non sit pro-
» prium demonstrationis, eam esse com-
» mentum inane. Sententia horum est, quod,

Si Apodixis habet propriã artem & præceptionem, argumenta quoque apodictica debeant esse vnius propria:

Sed cum non sit propria vnius: Nam causæ, definitionesq; nõ tantũ sunt quæstionis apodictica, sed & cuiusuis alterius:

Itaque propriam artem nõ habet, & commentum inutile est.

Sed

Sed connexio est planè sophistica. Argumenta logica generalissimæ sunt virtutis, & in sua generalitate non sunt propria vnius speciei. At cum certo modo certæ conditionis adhibentur; iam fiunt propria accõmodatione. Nec Aristoteles omnem vim causę, & omnem vim definitionis demonstrationi immiscet; sed eam tantum quæ est καθ' αὐτὸ, κατὰ παντὸς καὶ καθόλου, quæ catholicè & propriè primumq; & essentialiter facit ad concludendum proprium πάθος inesse subiecto, & sic sciri, quia non nisi per causam catholicè scitur, eamque essentialem & perpetuo coniunctam, ita vt posita ipsa res ponatur secundum substantiam, & vicissim. Ita se habet & de syllogismo. Non est hic proprius demonstrationis nisi accommodatione. Cum vsu sit generalis; demonstratio quoque eum sibi vendicat; & sic ob scientificam materiam ipse euadit scientificus, largiens apodixi formam suam; vnde apodixis & syllogismus scientificus sunt pro eodem. Hæc adeo solida sunt, vt nullus Rami assecla possit negare vnquam constanter vereque. Patet hinc etiam quomodo apodixis habeat præcepta propria, nempe eo modo quo specialis logicæ pars ex generali deducta, & specialiter in sua materia & forma explicata, quanquam in ea sint nominanda

Resp.

Propria præcepta apodixeos.

minanda genera. In hac enim est ſpecialis quęſtio; Argumenta ſpecialia; forma quoque in materia peculiaris ex genere peculiariter accommodata; axiomata tribus legibus ſpectanda, circulus reciprocationis, contrarium impoſſibile, adeo vt proprietate illa ſublata forma & definitio rei, adeoq; res ipſa tollatur: inſuper vſus quoque peculiaris, vt qui ſcientiam firmet catholicam eamq; iudicet, &c. His ſi multa ingeſta ſunt generica, & diſputationes; more Ariſtoteleo factum eſt, qui præceptorem, inuentorem, & commẽtatorem ſimul agit.

XXVI. Viceſimum ſextum.

Omnium artium decreta profecta ſunt ab obſeruatione & inductione ſpecialium exemplorum.

Apodixeos decreta non ſunt inde profecta.

Non ergo ſunt artis vllius: ſed merum figmentum absq; vſu.

Reſp. Propoſitio vera eſt κατὰ τι. In vſu enim indeterminato & vago inueniuntur: Item agnitio prima inde eſt, eaq; ſingularis. At vnde ſunt ſcientifica? Vnde cognoſcimus cuius ſint ſcientiæ, & quomodo ad illã redigenda? An non hoc vel ipſe Ramus, non ex ſingularitate & obſeruatione ſpectat; ſed ex tribus legibus axiomaticis, ſyllogiſmo & methodo? Tres vero illæ leges qd ſunt

sunt aliud quam notæ quædam præinexistentis demonstrationis seu axiomate soso, siue etiam syllogismo factæ? Demonstratio vero ex fundamentis existit essentialibus seu principiis in intellectu repositis catholicis. Apparet ergo magna ex parte propositionẽ falsam esse, quia decreta sciẽtiarum, quatenus sunt ipsarum, non ex obseruatione singularium sunt, sed ex vniuersalibus mentis secundum essentiam. Et hęc si sunt prima in intellectu; saltẽ axiomaticè disponuntur; quæ res etiam aliquando Aristoteli est demonstratio, vt definitio; sin posteriora, vt sunt affectiones propriæ; per illa demonstrantur syllogistica virtute. Et quidem hic necesse est vim syllogisticam esse, si non actu, at potentia, quia quæstio & argumentũ est. Si itaque donaremus assumtum; propositione tamen falsa, nihil necessario concluderetur. Sed & assumtio est sophistica. Omnes enim qui proprietates in artibus retinent, siquidem sciẽtificas eas velint esse, & scienter explicare, necesse est demonstratione vti, quia aliunde non est scientifica notitia nisi ex substantia prima. Quod si non est, non potest esse sciẽtia immota. Deinde Ramꝰ poëtas suos, oratores & historicos respicit. Vbi verò philosophorũ coronę? Vbi sacrarũ literarũ doctrinę, disputa-

putationes, colloquia familiaria, mos docendi in scholis; mos interpretandi, &c. Ex Rami logicis adductum supra est exemplum à Cicerone de vtili & honesto petitum. Est & proposita diuisio axiomatis in affectiones proprias ex eodem autore. Idem Ramus in coniugatis docet ex forma disputari cum dico: διὰ τί Deus bonus? Argumentũ à boni forma coniugata; quia bonitas, vel in ipso est bonitas, absolutè. Inde fit certè apodixis: & hæc ex generali accommodata ad particularia admodum est frequens. Aristides enim propter iustitiam iustus pronunciatur; Cicero propter doctrinam doctus, &c. Quæ catholicè in suo genere planè apodicticè concluduntur. In sacris passim
» sunt dispersæ apodixes, vt: Spiritus sanctus
» in te veniet, & virtus altissimi te obum-
» brabit. Propter hoc (διὸ) sanctum quod ex
» te nascetur filius Dei vocabitur. Quæras hîc: διὰ τί sanctus Mariæ natus vocabitur filius Dei? Angelus respondet apodicticè: quia Deo patre obumbrante, & spiritu sancto superueniente concipietur. Si formam syllogisticam adhibeas, fiet apodixis Aristotelea:

Conceptus Deo patre obumbrante, & spiritu sancto superueniente, filius vocatur Dei.

Sanctus

Sanctus Mariæ natus concipitur Deo patre obumbrante, & spiritu sancto superueniente.

Sanctus ergo Mariæ natus vocatur filius Dei.

Oportet autem singula intelligere de more scripturæ. Ita idem Angelus disputat, propter quid sanctus Mariæ natus sit dicendus Iesus. Argumentum sumit à vocatione ex effectis, quæ est vere definitio & formam Iesu comprehendit: Ideo dicetur Iesus quia saluum faciet populum à peccatis. Hinc discimus item non malè scripsisse Aristotelem, posse demonstrationem quidem ex omni causarum genere esse; quanquam ex forma & definitione formali seu perfecta, sit exactior. Non opus est vt Ramum vsu vrgeamus. Tot seculis approbata & in vsu interpretum disputantiumq; fuit ἀπόδειξις, illa: Et quærit eius vsum. Quærunt physici cur illuminantia perspicuum luceant; causam à forma petunt, quia actum lucis in se habent. Inde fit apodixis si non verborum ambitu, at discursu mentis facta.

Actum lucis in se habens lucet.

Illuminantia perspicuum actum lucis in se habent.

Ergo illuminantia perspicuum lucent.

Ex hac conclusione postea scientiam hau-

hauriunt immotam, & ipſam ponunt inter præcepta principiaque phyſica ſuo loco. Ex eo poſtea ſequuntur particularia, vt »ignis lucet, aſtra lucent, omnia eandem ob »cauſam, ex catholico repetitam. Ita quæ»renti cur equus hinnit; reſpondetur apo»dicticè, qa animal hinnibile: & ſic in aliis multis, in quibus oportet nos contentos eſſe qualicunq; deſignatione, quia noſtrũ non eſt craſes & formas rerũ intus intueri, vt nec nominare ſigillatim & propriè poſſumus. In mechanicis è Geometria: ꝓpter quid quadrata eſt figura tetragrammatos recti linea; quia quatuor lateribus rectis quatuor angulos includit; & ſic in aliis. Nã multa ſunt eiuſmodi. In appellationib. autẽ generũ linguę deficiunt. Non incõmodæ ſunt periphraſes ab inſtrumentis propriis; vt διὰ τί leo rugit? Quia rictu leonino edit ſonum, &c. Non poſſum hic formam leonis aliter exprimere. Definitio foret, quia animal rugiens eſt. Sed de hoc ſatis.

XXVII. Viceſimum ſeptimum: ex cap. 2. lib. 10. ſchol. log. & lib. 9. cap. 7.

Vbi cognoueris an, quid & quod eſt nulla amplius eſt cauſa, quã ad propter quid reſpondeas.

Deeſt ergo apodixi argumentum, & per conſequens nulla eſt.

Elum-

Elumbe planè ſophiſma eſt antecedentis. Eadē cauſa & definitio ſatisfacit etiam quæſtioni διότι. Tamne inops ſit iſtud argumentum, vt vnum atq; alterum vbi arguerit, non poſſit amplius tertium, quartum, & quæ deinceps ſunt? Sed Ramum decepit phātaſma ſuū. Putauit enim quęſtionem διότι ex ſententia Ariſtotelis propriam, & ab aliis ſeparatam debere cauſam inter præcepta exhibere. Itaque non foret argumentū niſi tautologū cū forma eſſet poſita in definitione. Sed nō hoc voluit philoſophus, vt iam ſæpe dictum eſt. Triplex genus axiomatū in ſciētiis poſcit; vnū quod ſumitur, vt eſt genus ſubiectū diſtributione explicatum; alterum quod ponitur, eſtq; definitio perfecta; tertium quod demonſtratur, eſtque axioma proprietatis in ſubiecto. Hoc quia poſterius eſt; per prima confici neceſſe eſt, aliàs non poſſet ſciri, cum cauſam non comprehendat in ſe. Demonſtratur autem quærendo διότι, & conficiendo ſyllogiſmum apodicticum, qui tamen ipſe non ingreditur ſcientiam ipſam cuius proprietatem demonſtrat, ſed tantum eſt inſtrumentum, quod ſuum locum habet in Dialectica. Ramus in methodi deductione & declaratione nihil habet præter definitiones; & diſtributiones. Videre debuerat ipſe ne

Reſp.

Triplicia axiomata artium.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [499] - 495
PUBLIC DOMAIN

ne peccasset defectu, contrarioque vitio ei cuius Aristotelem accusauit. Supra ad omnes quæstiones accommodabat definitionem & causam. Cur hic eius liberalitatis non est memor? Solet Ramus frequenter generica resumere, & sigillatim accommodare ad particularia, vt eum excusat defensor. Si hoc non est vitiosum, cur illud? Sed & exemplo res declaretur. Quæritur principio sitne vspiam aliquid, quod est animal. Secundum principium πρὸς ἡμᾶς sensus, inductio, historia, experientia id conuincit. At principium ἁπλῶς quod est catholicum scientiæ primum constitutiuum ex intellectu, sumit esse animal. Et sic emergit quæstio ὅτι, quam alias causa euincit, cum genus & subiectum scientiæ effectum è causa complectatur. Vel dicatur: quod quæstio εἰ ὅτι quærat sitne vspiam scientia de animali: quæstio vero ὅτι sumat eius subiectum, quod postea distributione deducitur vsque ad individua. Sequitur τὶ ὅτι, & respondetur definitione facta ex genere subiecti & forma. Est autem eius tanta felicitas vt etiam priores quæstiones comprehendat. Si enim posterius est, prius esse necesse est, cum hoc illorum vires habeat. Philosophus alias etiam τὶ σημαίνει eadem comprehendit. Quarto quæritur de sub-

subiecti proprietate; vt doctrinæ de animalibus subiectum est animal: quod προυπολαμβάνεται, vt loquitur philosophus: animal definitur, vita sentiente; eius porrò proprium est πάθος sentire, vel sensu cognoscere. Atqui hoc ineſt bestiis & homini. Dubium exiſtit, an non homini propriè & catholicè conueniat; an non etiam plantis, quibus aliqui τὸ αἰσθάνεσθαι φυτικῶς tribuerunt. Vt ergo constet, id quoq; principiũ artis de animalibus esse, & axioma catholicum, vnde peti aliqua possit scientia; adhibet Aristoteles demonstrationem, cuius argumentum inuenitur interrogando διὰ τί, & respondendo per definitionem aut propriam causam. Sed non ita vt illa ipsa quęstio, & causa seu argumẽtum simul fiant artis decretũ; sed tantum vt per ea scientiã inueniamus. Itaque cum quæritur propter quid sentit animal; respondetur quia animã sentiendi vi instructam habet. Dispositione syllogistica fit apodixis, cuius conclusio, iam est præceptum genuinum doctrinæ de animali, vt sic tria hæc sint rata:

Hîc sensum cõsulat Ramæus, & disceptet vtrũ sentiant plantæ an non. Cõsulat & historiã, & inducat; sine ratione scientifica generali, &c.

Animal est animatum vita sentiente.
Animalis proprium est sensu cognoscere sensilia.
Animal est bestia vel homo, &c.

Animal sumitur, definitio ponitur, proprietas demonstratur.

Quæro iam an axiomati proprietatis

& quæstioni nulla fuerit causa; nullumve argumentum? Sed & si definitio animalis non placet; accersatur definitio τὸ αἰσθάνεσθαι. Quod enim animalis proprium sit sensu nosse; apparet inde quia sensu nosse, sit anima sentiente per sensoria sensilia percipere. Ita cum dicis motum animalem ipsi proprium esse; idq; te scire putes, aliunde non scis vere & primum, nisi ex causa propria immotaque animalis, vt: ideo mouetur animal motu animali, quia animam habet cum sensu etiam motus animalis participem, &c. Hæc de 27. paralogismo.

XXVIII. Sequitur vicesimus octauus.

Quod Aristoteles ipse negat id in Aristotelis disciplina præceptionẽ habet nullam.
Demonstrationem ipse negat Aristoteles.
Demõstratio ergo præceptionem in Aristotelis disciplina habet nullam.

Assumtum probatur, quia etsi verbis astruit, re tamen negat. Nam quæstionem an est, & ϕ est syllogisticas esse affirmat. Quæstionẽ quid est negat. Negat ergo & διότι syllogismo posse concludi. Neq; dici potest ϕ sub ὅτι cõprehendatur. Negat.n. quæstiones differẽtes posse explicari eadẽ ratione simul, cũ seperatim possint: & differentẽ gignant scientiam. Et si concluderes simul; iterũ doceres id ϕ iã didicissem.

Mira-

Mirabilis versutia. Totne laboribus Aristoteles nihil rei docuisset, & meris verbis implesset duos libros? Tot secula ante Ramum non obseruarint se naso suspẽdi, & verbis duci? Sed cum vis argumenti inde pendeat, vt si τὸ ὅτι sit syllogisticum, etiam sit διότι, quanquam nulla necessitas semper coniungat; audiamus ipsum philosophum. In 2. poster. 7. negat quidam τὸ τὸ ὅτι posse syllogismo ostendi, sed cum ibi saltem disceptauerit inquirendi gratia, non definiuerit sententiam, fatente hoc ipso Ramo libro & capit. 10. schol. Dialect. inde nihil est certi. Capite vero nono ita habet: syllogismus quidem ipsius τὸ ὅτι non fit, neque demonstratio. Planum tamen est per syllogismum & per demonstrationem. Quare neque sine demonstratione est cognoscere ipsum quid est, cuius est causa alia, neque est demonstratio ipsius. Negat quidem definitionis propriam formam esse syllogisticam; at eam syllogismi instrumento argui posse aliquando, cum scilicet imperfecta est, cuius causa est alia, adeo non negat, vt etiã affirmet non licere cognoscere sine demõstratiuo syllogismo. Id confirmat & hæc sententia: ἀλλ' ὅτι λογικὸς συλλογισμὸς ἔστι τί ὅτιν, &c. Concludo iam contra Ramum, quod si τὸ ὅτιν, est

Resp.

syllogisticum, etiam διότι. Concedit quidem alicubi posse syllogismo concludi; sed demonstratiuo negat: nempe adeo infensus est demonstrationi. At Aristoteles id dicebat, cuius autoritate iam pugnatur. Quod negat quæstiones posse mutuò comprehendi, friuolum est. Etsi enim vna forma apparet, δύναμις tamen etiam aliarum subest: & illę differentes scientiæ ex differentibus quæstionibus eodem modo. Id & Aristoteles indicauit his verbis: cap. 9. 2. post. ἐνίοτε ὃ καὶ ἅμα δῆλα γίνεται· ἀλλ' ὅτι πρότερόν γε τὸ διότι δυνατὸν γνωρίσαι ἢ ὅτι. ὁμοίως καὶ τὸ τί ἐστι καὶ εἰ ἔστιν ἁπλῶς ἢ ὅτι ἔστιν. Expresse fatetur ὅτι & διότι concurrere, quanquam διότι posterius sciatur quam ὅτι. Hoc enim statim patet in problemate. At διότι ex causa inuestigandum est, & consequentia spectatur. Est & ratione methodi posterius. Ex his consequens est contra Ramũ; si ὅτι & διότι simul fiunt manifesta; & ὅτι est syllogisticum; tunc cum est, simul etiam διότι esse. Est & alias in effectu substantiali ipsa causa formalis. ὅτι signat effectum; διότι eius causam. Itaque simul esse possunt.

XXIX. Vicesimus nonus paralogismus.

Impossibilis est differentium quæstionum coniuncta demonstratio.

At nunquam est διότι sine ὅτι.

Si

Si ergo non demonstrari potest ὅπ, nec διότι potest. Non autem adhibet Aristoteles demonstrationem ad τὸ ὅτι.

Impossibile ergo est τὸ διὸπ demonstrare, & ex consequente Aristotelis demonstratio est nulla.

Fatetur hic Ramus nunquam esse διότι sine ὅτι. At ante negauerat simul posse explicari. Non video cur si vnum sit, alterum non sit. Pendet autem argumenti vis hinc, quod si ὅπ non posset demonstrari, nec διότι queat: quia διότι non sit sine ὅπ. Aristoteles dixerat aliquando simul esse. Si scilicet per media est. Si enim non per media; non est simul, cum ὅτι habeamus tunc, at non διότι. Ramus oppositum statuit: & pridem confessus est ὅπ esse syllogisticum. Si de omni sensit, certè & διότι syllogisticum esse necesse est. Sed Aristotelem non instituere demonstrationem ad quæstionem ὅτι non efficit, fieri id non posse. Sed contrarium ostenditur inuersione. Si enim nunquam est διότι sine ὅπ; vbi syllogisticum & demonstratiuum est ex sententia Aristotelis τὸ διὸπ erit vnà etiam & ὅτι. Et potest de vna eademque re quæri vtrumque, & demonstrari vtrumque non re differente, sed ἐπινοίᾳ rei, vt: Latratne canis? Latrat: quia animal latrabile. Estne animal? Est: quia animatum

ſentiēs eſt. Ibi ſit demōſtratio ſimul, ſiue p ſe dicas, ſiue ex accidente; hæc nimirum:

Animal latrabile latrat.

Canis eſt animal latrabile.

Canis ergo latrat.

Fumi Rami.

Hoc argumentum Ramus mirificis fumis amplificat: Ita enim cōcludit: demonſtrationem ſyllogiſticā non eſſe documē-
» tum Ariſtotelicum eſt. Syllogiſticam eſſe,
» non eſt Ariſtotelicum. Et hoc argumen-
» tū eſt quod libro ſuperiore promiſeram,
» demonſtrationem ſyllogiſticam non mo-
» do ex vſu non eſſe deductam; ſed ne dedu-
» ci quidem poſſe. Hæc ille. Ariſtotelem ſomniatum opponit Ariſtoteli perſpicue & copioſe rem conteſtanti: & ſuum morbum manifeſtat.

Triceſimus ſequitur.

Furoris Ariſtotelei ſomniū in re nihil eſt.

Demonſtratio eſt ſomnium furoris Ariſtotelei.

Demonſtratio ergo in re nihil eſt.

Malicia Rami.

Aſſumtum illuſtrat pluribus accuſationibus. Aſcribit Ariſtoteli philoſophicum mentis furorem, afflatumq; quo verbis & oratione perturbarit, quod ratione & argumentis probare nullo modo potuerit. Vocat eius dicta ænigmata, & demōſtrationē fabulam poëticā, imo ne poëticam quidem, ſed chimæricum agitatæ mentis ſomni-

ſomnium. Ipſum itē ſibi ipſi aduerſatum docet ex diuerſis locis, veluti:

Si demonſtratio eſt ſyllogiſmus, definitio quoq; ſyllogiſmꝰ erit, quia, vt ait Ariſt. 2. poſt. 2. vna eſt quæſtio εἰ ὅτι καὶ διότι.

Sed definitio ſyllogiſmus non eſt, vt idem ait 2. poſt. 7. Ergo nec demonſtratio.

Hæc Ramus ex ſententiis Ariſtotelis colligit. His autem contraria alibi docere oſtēditur, vt cum vult, quod etiam definitio ſit ſyllogiſmus & demonſtratio θέσει καὶ πρόσει differens, vt eſt in 2. poſt. 10. quodq; demonſtratio continua ſic; definitio ſic. Hæc Ramus vocat ænigmata perturbata, ad quorum intellectum ipſe philoſophus ex inferis ſit reuocandus. Non enim aſſequitur quid ſibi velint hæc verba: λόγος τῇ θέσει διαφέρων τῆς ἀποδείξεως: itē, ὥστε ὁ αὐτὸς λόγος ἄλλον τρόπον λέγεται καὶ ὧδὶ μὲ ἀπόδειξις συνεχὴς, ὧδὶ δ' ὁρισμός. Quoniam vero ſolutio ſophiſmatis verſatur in explicatione iſtorum, quæ perturbata & ænigmata vocauit Ramus; parumper ſentētiam philoſophi explicabimus. Et quidem quod attinet contradictionem illam, definitio non eſt ſyllogiſmus, definitio eſt ſyllogiſmus, facilis ea eſt ſolutu, & quidem Ramo iudice. Nam philoſophus 2. poſt. 7. dubitat, non autem dubia ſoluit. Itaque quod ibi dictum eſt, definitionem non eſſe ſyl-

Reſp.

Contradictio Ariſtotelis apparens.

se syllogismum non est accipiendum pro determinata sententia. In sequentibus vero declarat rem philosophus ita, vt dicat quodammodo esse, & quodammodo non esse. Suo ergo ipsius testimonio Ramus hic calumniose egit. Deinde illa ænigmata attendenti non sunt planè insolubilia. Epilogus capitis 10. in quo ista sunt, hic est: ἔστιν ἄρα ὁρισμὸς εἷς μὲν λόγῳ ὃ τί ὅτιν ἀναπόδεικτος; εἷς δὲ συλλογισμὸς ὃ τί ὅτι πῶσι διαφέρων τῆς ἀποδείξεως. λείπεται δὲ τῆς ὃ τί ὅτιν ἀποδείξεως συμπέρασμα. Necesse est hæc in illo capite tractata esse. Proponit autem initio eius talem sententiam: Quorundam causa est alia; quorundam non; qua vult quædam per medium demonstrari posse, quædam esse ita prima vt aliam causam priorem non habeant, sintque indemonstrabilia: & illa nominantur mediata: hæc immediata (ἔμεσα ἄμεσα) vniuersali huic sententiæ conclusionem subdit specialem: Quare & τῶν τί ὅτι, definitionem, alia est ἄμεσος, alia ἔμεσος; & quidem definitionis immediatæ conditionem è genere repetit, aitque esse ἀρχὴν, διὸ καὶ εἰ) καὶ τί ὅτιν ὑποθέσθαι δεῖ ἢ ἀλλον τρόπον φανερὰν ποιῆσαι; hoc est, definitio immidiata est principium q̃ non potest demonstrari, sed debet supponi duplici ratione, tum quod sit simpliciter, tum in sua forma

Explicatio 1. cap. 10. lib 2. post.

forma τί ἐστι. Id declarat exemplo arithmetico. Sicut enim arithmeticus non demõstrat, sed ponit vnitatem, tum quod sit (ὅτι ἐστι) tum quid sit; (τί ἐστι;) ita & definiens absolutè. His dictis transit ad ἔμμεσα, de quibus etsi generale facit axioma; tamen nos in specie id ad definitionẽ accommodatũ intelligimus, quia hæc erat distributæ definitionis pars altera. Dicit ergo ea, quæ medium habent, & quorum substantiæ altior priorque causa dari potest: vt aliâs perfecta definitione demonstrari imperfectam voluit; confici & manifestari per demonstrationem, sed non ita vt τὸ τί ἐστιν demonstretur, hoc est, in genere definitionem esse, quia tunc demonstratur non definitio absolutè esse, sed definitio imperfecta. Hæc verò vt illustret amplius, diuidit definitionem denuo. Cum definitio (inquit) sit ratio explicans quid est res: ratio autem hæc est duplex; nominalis scilicet & realis: Erit & definitio duplex; alia quidem ὀνομαλώδης quæ explicat quid nomen significet; veluti si quæras, quid significat τρίγωνον qua trigonos; alia verò realis (hoc autem membrum dissimulat.) Habita autem definitione nominis, asserit haberi τὸ ὅτι; post qđ quæritur διότι: cum difficile sit scire propter quid, nõ præcognito quod sit, quo latẽte ignoramus

ramus ſitne res an non ſit, & ſic fruſtra quærimus propter quid ſit. Poteſt autem dupliciter expediri ratio nominis; cum & ratio ipſa dicatur dupliciter, nempe incomplexe ſeu συνθέτῳ, veluti ſi dicas: Hæc Ilias (demonſtratiuo pronomine poſito ad nomen; hæc res eſt Ilias) & complexè, ſeu per propoſitionem (quam definit in 1. poſt. text. 5.) oſtendendo ſcilicet vnum de vno per ſe (veluti: Ilias eſt liber Homeri de bello Iliaco: Ibi deſignamus nomen rei, & veluti nomine definimus; vt: quid hoc eſt? Manna. Hic vnum de vno, id eſt, definitionem de definito per ſe exprimimus; quid eſt Manna? Eſt mel aëreum: vel Manna ſignificat mel aëreum.) His dictis ait vnam definitionem eſſe definitionis; vtpote nominis definitio declaratur definitione rei, ex quo poſtea conſequens erit demonſtrari & definitionem, & concludi: alteram eſſe rationem manifeſtãtem propter quid eſt, hoc eſt, definitionem perfectam fieri argumentum medium definitionis nominalis, in qua tamen ipſum nomen eſt proprietas quædam rei ſignificatæ, de qua quæritur propter quid eſt, & reſpondetur per definitionem rei quæ eſt principium indemonſtrabile; vt: quid ſignificat animal? ſignificat animatum ſenſu.

Pro-

Propter quid est animatum vita sentiente? Quia est substantia constans corpore animaque sentiente. Hæc definitio perfecta est, & fit argumentum definitionis nominalis, in qua quærebatur propter quid ineſt nomen aut nominis explicatio. Ita intelligitur facile quid sibi velit philosophus. Sed & amplius rem illustrat. Definitionem enim nominis (de qua dixerat quod esset ὅρος ὅρου) ait nihil demonstrare, sed tantum indicare significationem; vt: quid est animal nomine, seu quid signat? Substantiam quæ habet animam, & quidem sensus facultate præditam. Quid significat Philoponus? eum qui laborandi est studiosus. Definitionem verò rei, per quam demonstratur definitio nominis, dicit esse demonstrationem rationis quid est (definitionis alicuius, scilicet imperfectæ) quæ tamen non fit omnino & penitus demonstratio, quia θέσει, positione, differat à demonstratione. Id autem ita intelligo. Cum quæro τί ἐστι, ἢ διὰ τί, enuncio quæsitum interrogationis forma. Sed cum asciſco tertium argumentum; pono aliquod tanquam thesin in necessariis; problema verò in contingentibus. Iam in ipsa forma positionis differt demonstratio, & definitio perfecta demon-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [511] - 507
PUBLIC DOMAIN

demonſtrans imperfectam. Nam vt exẽpla philoſophi habent; cum quæro propter quid tonat? Reſpondeo, quia igneus ſpiritus extinguitur in nubibus: cum verò, quid eſt tonitru? Reſpondeo, murmur ignis qui extinguitur in nubibus. Facilè apparet, ſicut quæſtiones ſunt diuerſæ; ita reſponſiones. Sed & fiant theſes & ſyllogiſmi: Tonat propter ignem in nubibus extinctũ: Tonitru eſt murmur ignis qui in nubibus extinguitur, ſeu extincti in nubibus. Iudicium expeditum eſt quod differant iſtæ duæ formæ; ibi cauſa diſponitur cum effecto, & caſus aliter enunciatur: Hìc definitio cum definito; quod certè eſt theſi differre; & vtraque theſis eſt (vt definitur in 1. poſt. 12.) θέσεως ἀμέσου ἀρχῆς συλλογιστικῆς ἣν μὴ ὅτι δεῖξαι: vel vt in 1. top. 9. ὑπόληψις παραδόξου τῶν γνωρίμων πρὸς κατὰ φιλοσοφίαν, quanquam hæc definitio ſit paulo exterior. Non eſt autem demonſtrabile axioma vtrumque. At cum quæritur propter quid cœlũ tonat? Soluitur theſis, & pars eius fit argumentum. Itaque ſyllogiſmus hinc erit:

Sicubi in nubibus ignis extinguitur, ibi (vel id) tonat:
In cœlo in nubibus ignis extinguitur:
Cœlum itaque tonat.

Eſt autem alia materia aptior ad enuncian-

ciandum alia. Vt vt enuncietur res, ſenſus patet. Hìc autem ſyllogiſmus eſt demonſtratio, cuius theſis & modus ponendi apertus eſt. Ab hoc differt alter ſyllogiſmus, in quo imperfecta definitio demõſtratur per perfectam, theſin differentem indicans; vt hic:

Quid ſignificat tonitru? murmur in nubibus. Hoc vt demonſtretur; aſſumitur definitio perfecta, quaſi quęſitum eſt, cur (διὰ τί) ſignificat murmur in nubibus?

(Hic nota cur dicta ſit illa definitio λόγος δηλῶν διὰ τί ὄζι.)

Reſpondetur, quia tonitru eſt murmur ignis, qui in nubibus extinguitur; vbi genus apertum eſt, forma autem exprimitur ſubiecto proprio & modo generali. Syllogiſmus:

Si tonitru eſt murmur ignis qui extinguitur in nubibus, vox tonitru ſignat murmur nubium:

Sed illud eſt:

Hoc igitur: ſeu: *vox ergo tonitru ſignat murmur nubium.*

Vel ſimpliciter:

Murmur ignis in nubibus extincti, ſignificat ſtrepitum nubium:

Tonitru eſt murmur ignis extincti in nubibus:

Tonitru ergo ſignificat ſtrepitum nubium.

Et

Et notandum est, quod definitio nominis sit danda μὴ κατὰ συμβεβηκὸς, vt aiebat philosophus. Apparet certè illum syllogismum esse tanquam demonstrationem. Nam eius partes sunt catholicæ & reciprocæ. Item quæstio facta est in διὰ τί; & responsum per definitionem perfectam indemõstrabilem quæ complectitur causam. Sola differt thesi. Aliud enim est, cœlum tonat; & aliud: tonare significat nubes strepere: Estque argumentorum vtrobiq; differens ratio. Nam in propria demonstratione proprium πάθος de subiecto demonstratur; in altera, definitio nominis de definito. Et hoc non exprimitur axiomate in scientiis; illud autem inter præcepta est. Ex dictis declarari potest & hoc ænigma: ὥσε ὁ αὐλὸς λόγος ἄλλον τρόπον λέγε, καὶ ὧδι μὲν ἀπόδειξις συνεχὴς; ὧδι δὲ ὁρισμός. Loquitur de definitione quæ alia ratione sit demonstratio continua, ita coagmentata vt omnia inter se cohæreant, possintq; reciprocè & mutuò se concludere, non aliter ac si vno tracto positoq; traheretur & alterum, & vicissim vt in cathena, sicut apparet ex exemplo præmisso: aliâ ratione verò sit definitio, quâ scilicet in propria forma explicat, quid est res. Dicere poteramus, eandem rationem esse definitionem demon-

stra-

ſtrationem ; eſſe & definitionem ſimpliciter; modo tamen diſcrepante. Hæc ſunt illa arcana, ob quæ putauit Ramus ab inferis exuſcitandum Ariſtotelem. Ex dictis duo ſignificatus definitionis patent ; vnus quod definitio ſit λόγος τοῦ τί ἐστιν ἀναπόδεικτος ; alter, quod ſyllogiſmus, in quo imperfecta definitio arguitur perfectâ, qui à demonſtratione nihil differt, niſi theſi, & caſu. Et ſanè perfectam philoſophus appellat θέσιν ἢ τί ἐστιν ἀναπόδεικτον.

Reſtat ex epilogo tertia pars, vt appareat quod definitio etiam ſit cõcluſio demonſtrationis. Hoc ita oſtendit philoſophus. ἔτι (inquit) ἐστὶν ὅρος βροντῆς, ψόφος ἐννέφων. Τοῦτο δ' ἐστὶ τῆς ἢ τί ἐστιν ἀποδείξεως συμπέρασμα. Hoc eſt : Definitio nominalis tonitru eſt, quod ſit ſtrepitus nubium. Hæc autem concluditur in ſyllogiſmo extructo ex definitione perfecta, vt ante patuit. Eſt ergo aliqua definitio etiã concluſio demonſtrationis, quanquam non propriè dictæ, ſed eius quæ eſt οἷον ἀπόδειξις.

Ita ſe habet caput decimum : In quo Ramus intelligendo noluit elaborare. Maluit autem conuitiari. Affert autem eius declaratio lumen toti doctrinæ de demonſtratione. Itaque & accuratius & co-

& copiosius est declaratum.

XXXI. Sequit paralogismus tricesimꝰ primus:

Non ens non potest esse omnium entium scientificum & artificiosum principium:

Demonstratio Aristotelea est non ens:

Ergo demonstratio Aristotelis non potest omnium entium principium scientificum & artificiosum esse: & per consequens nullius est in logica vsus.

Assumtum firmat; quia sit somnium sine materia & forma.

Resp. Ludibrium hoc scurrile est, parum decens philosophicam grauitatem. Demõstratio Aristotelis est syllogismus peculiaris materiæ & vtus ad scientiam proprietatum in subiectis per causam primam comparandam. Si eiusmodi syllogismi nõ sunt somnia sine materia & forma; nec demonstratio erit. Iustius ita appelles Rami persuasionem falsam.

XXXII. Tricesimum secundum;

Præceptiones demonstrationis veræ sunt constantes:

Apodixeos Aristoteleæ præceptiones non sunt constantes:

Non itaque est vera demonstratio.

Assumtum patet: quia vel in eodem capite demonstrationis docentur contraria, dummodo ex omni causa demonstratio

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [516] - 512
PUBLIC DOMAIN

tio petiiubetur, modo duntaxat ex congenita cum effectu excluſa efficiente & finali. Imò & materialis non in omnibus habet locum, ſicut in his quæ ſunt ἐξ ἀφαιρέσεως; & hoc fatetur ipſe quoque Ariſtoteles, & nihilominus mathematicis abſtractis demonſtrationes aſſignat.

Notatur hoc obiecto potiſſimum caput vndecimum & 12. lib. 2. poſt. In quibus Ramus ſalsè admodum irridet philoſophum. Dicere quidem ſtatim poteram falſum aſſumtum eſſe & firmamentum eius laborare carcinomate mendacij, homonymiæ & petiti principij: Sed donabo aliquid explicationi veræ ſententiæ, & pleniorem defenſionem inſtituam. *Reſp.*

Non eſt dubium quin exactiſſima Ariſtotelis demonſtratio ſit, cum propria affectio de ſubiecto cõcluditur per cauſam formalem, & coniunctã materialem, aut definitionẽ perfectam. Vult enim demõſtratiuam ſcientiam eſſe ex primis, immediatis, notioribus, prioribus naturâ, interniſq; & cauſis concluſionis, quibus nihil ſit credibilius, & quæ quæſtione διὰ τί inſinuẽtur, &c. Sed cum humana imbecillitas non ſemper iſta poſſit inuenire, aſſequi, aut etiam nominare; admittit non tantum catholica illa perpetua & abſolu- *1. poſt. tex. 5.*

2. post. 13. ta; sed & quæ plærunque eueniunt; & non tantum causam formalem definitionemque; verum etiam materialem propriam, propriam efficientem, & finalem; siue solas, siue vnà adhibita formali, & definitione; aut etiam inter se alio modo multiplicatas, semper hac conditione obseruata vt sint simul, seu ὁμόγονοι, ita vt ad positionem illarum ponatur effectum, quod erat affectio propria subiecti, siue res sit in fieri, siue existat, siue fuerit, siue erit, quas conditiones tunc etiam causa sustinet. Hoc declarat libro 2. post. cap. vndecimo & duodecimo, in hunc modum. Quia scire, inquit, est rem per causas cognoscere, vt etiam libro priore differuerat: Causæ autem sunt quatuor, forma, materia, efficiens & finis: per omnes potest fieri demonstratio: ita tamen vt causa quæuis, ratione medij, quam inter duo quæstionis argumenta sustinet, ad minimum duas propositiones constituat, vnde necessario postea existit conclusio. Istam doctrinam explicat exemplis; & primum quod profertur, argumentum sumit ex materia & forma in hunc modum:

Per omnes causas demonstratio.

Quicunque angulus est medietas duorum rectorum, is est rectus:

Angulus semicirculi est medietas duorum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [518] - 514
PUBLIC DOMAIN

rum rectorum:

Angulus ergo semicircularis est rectus.

Addit philosophus, quod illud argumentum item sit formale, quia esse dimidium duorum rectorum, est ipsa forma & essentia τοῦ ὀρθοῦ (τὸ), & licet videatur nominis significatum propositum; tamen eo continetur forma & ratio rei cur sit oratione ipsa designata: & sic vna demonstratio est per formam, & materiam.

Exagitatio Ramæa.

In hoc autem syllogismo Ramus exagitat philosophum, quasi quæstio non habeat propriam affectionem subiecto tributam; nec argumentum sumtum sit ex causa prima, &c. Sed philosophus suprà hoc cauerat dicens, aut propria sumi, aut communia κατ' ἀναλογίαν. Itaque etsi hìc τὸ ὀρθὸν videatur esse communis affectio, tamen ex analogia è communi accommodata est propriè. Et Rami defensor in erratis Ramæis sæpissimè vtitur hac excusatione. Cur non valeat in demonstrationis magistro? Causam autem primam non sumtam esse, cum sit sumta materia forma, & vel ipsa definitio perfecta, non possum videre. Ait ex parte sumtum argumentum. Quid tum inquam postea? Etiam membra integri substantiam, partesque materiales habent. An non sit demonstra-

Nota: In demonstratione duplex quæstio est.

tio Aristotelea cum dico: Homo est intelligens; quia constat corpore rationi apto & anima rationali: Duo hic membra nominantur. At vnita substantiam constituunt, quia materiã & formam designant. Syllogismus:

Constans corpore rationi apto & anima rationali, est intelligens:
Homo constat corpore rationi apto & anima rationali:
Homo ergo est intelligens.

Intellectus significatio. Nec mihi garriat de communitate intellectus. Vox hæc signat νοεῖσθαι vim humanam. Dei & angelorum intelligentia longè est sublimior, atque ita alio appellanda vocabulo, si fieri commodè posset.

Pergit philosophus, & affert de causa efficiente:

Prius iniuriam inferenti paratur bellum:
Athenienses priores iniuriam intulerunt Medis:
Athenienses itaque à Medis paratum est bellum.

Obseruat autem philosophus quęstionem διὰ τί, vt & in præcedente exemplo. Ramus hic ait non esse conformatam demonstrationẽ ad regulas scientificas; quia nec perpetua sint axiomata, nec reciproca. Sed ille interpretatur leges contra men-

mentem philosophi nimis rigidè. Ita inquit in 13. secundi post. ἔστι δ' ἔνια μὲν γινόμενα καθόλου· ἀείτε γὰρ καὶ ὅπι παντὸς ἢ ὥτως ἔχει ἢ γίνεται· τὰ δ' ἀεὶ μὲν ὡς, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ δέ. ἀνάγκη δὴ καὶ τὸ μέσον ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ εἶναι, &c. Nihil itaque admisit philosophus aduersus suas hypotheses.

Nota: τὰ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ etiam sunt catholica.

Negat postea efficiens posse demonstrationis medium esse, quia non sit simul effecto. Sed decipitur fraudulenta interpretatione τῆ ὁμογόνου. Aristoteli non significat hoc inexistentiam formalis & materialis in effecto substantiali, quãquam hoc est exactissimum; sed affinitatem talem, vt posito hoc ponatur illud, in plærunque euenientibus plærunque, in absolutè catholicis absolutè. Hac responsione etiam soluitur apparens contradictio, quam sibi finxit in eodem capite Ramus. Quando verò adeo strictè obseruatas regulas ille voluit; consideretur talé exemplum.

Ramus malignus interpres.

Propter quid opus logicum est benè dissertum; & rhetoricum benè dictum? Quia dialecticus peritus illud, hoc rhethor bonus concinnauit. Hìc certe efficiens sumitur & arguit ἀποδεικτικῶς.

Syllogismus:

A dialectico perito factum benè est dissertum:

Opus logicum à Dialectico perito est factum:

Opus itaque logicum benè est dissertum.

Ita & de rhetorico. Nec ogganniat mihi homonymias de Dialectico perito actu & potentia; de opere logico non accuratè facto, &c. καθ' αὐτὸ ista signant & primùm, qua talia.

Sequitur de fine apud philosophum. Propter quid ædificium est ædificatum? vt seruetur supellex. Cur à cibo conuenit ambulare? vt, non innatante orificio ventriculi cibo valeas. In quibus exẽplis monet philosophus oportere μεταλαμβάνειν τὰς λόσεις, cum ita quelibet magis appareãt. Conuertit enim τὸ πίνω ἕνεκα in τοῦτ' ὅτι, seu πῖ ὅτι, cum ait, τοῦτ' ὅτι τὸ ὑγιαίνειν τὸ ὕτω ἔχειν. Itaque fiet syllogismus:

Facere ne fluctuet esca ad orificium ventriculi est salubre:

Ambulare à cœna facit ne fluctuet cibus ad orificium ventriculi:

Ambulare ergo à cœna est salubre.

Additur assumto: quia ita distribuetur. Sed & aliâ formâ potest secundum priora disponi; vt:

Quod facit ne fluctuet, &c. est instituendum:

Ambulare à cibo facit, &c.

Ergo à cibo est ambulandum.

Ramus

Ramus hîc nodum in ſcirpo quærit. Ait enim aliter concludi ac erat reſponſum: & argumentum non ſumtum è cauſa finali, quia non ideo velimus eſſe ſani, ne fluctuet cibus, ſed efficiens ſanitatis eſſe, aut tanquam definitionem. Propoſuerat autem Ariſtoteles ita: διὰ τί περιπατεῖ, ὅπως ὑγιαίνῃ. Sed ille non animaduertit tranſpoſitos eſſe terminos, alterumq; ex altero ſumtum idem mouente philoſopho perſpicuitatis gratia. Si libet ſpectétur res in tali exemplo: Homo Dei ſimilis eſt (hoc eſt imago Dei) vt eum agnoſcat celebretque rationis vſu.

Syllogiſmus:

Factum vt Deum agnoſcat celebretq; rationis vſu Dei eſt ſimile.

Homo factus eſt vt Deum agnoſcat celebretq; rationis vſu:

Homo ergo DEI *eſt ſimilis (ſeu imago* DEI.) Ita:

Quod eſt diſſerendi bene gratia, eſt cum optimo rationis vſu:

Dialectica eſt bene diſſerendi gratia:

Dialectica itaque eſt cum optimo rationis vſu.

Eſt autem Dialecticæ proprium, optimo rationis vſu inuentum & inſtructum eſſe; quod vno vocabulo Ramus appellat logicum eſſe.

Proprij homonymia.

Notandum in propriis puto, quod ea sint non tam stricte accipienda, vt volunt catholica reciproca, sed secundum philosophi mentem, vt Porphyrius eam explicauit in Isagoges cap. 5. & Arist. in 5. Top. cap. 1. notat. Nam exẽpla philosophi testãtur non esse semper id obseruatum quod in 1. top. 4. definitur, esse id, quod non indicat quid est esse, soli autem inest & de re conuersim prædicatur, veluti: Proprium est hominis Grammatices esse susceptiuum. Potest tamen vbi generalius sumtum est, addito genere ad speciem redigi, sicut & Ramus species explicat compensatque genere & forma communi; vt compositus syllogismus; vel compositum in genere syllogismorum; compositum in propositionibus; Ita possumus occurrere etiam his qui intellectum & rationem nolunt propriè homini attribuere, si dicamus; ratio in genere animalium, propria hominis est; inter animalia solus homo loquitur: Terra sola inter elementa est immobilis: Ignis inter elementa solus splendet. Itaque in his generibus hæc eis sunt propria, quia astringuntur ad certam speciem adnotato genere.

Cœtera quæ philosophus habet cap. vndecimo & duodecimo, lib. secundo, de concur-

concurſu cauſarum in naturę & artis operibus, de variatione cauſæ & cauſati ratione temporis & coexiſtentia, ſeu homogonia: habitudine effecti ad cauſam & contra aliisque. Non opus eſt laborioſe retexere, cum ſatis ſit reſponſum ad propoſitum ſophiſma. Progredior ad 33. XXXIII.

Cauſæ quæ non ſunt ſimul cum effectis, ſed antecedunt, non poſſunt demonſtratiuo ſyllogiſmo ſua effecta concludere:

Materia & efficiens tempore priores ſunt ſuis effectis.

Non poſſunt igitur ſua effecta concludere demonſtratione Ariſtotelea; & ex conſequente ea eſt friuola.

Ludit hic Ramus ambiguitate τοῦ ἅμα καὶ ὑστέρου τῇ φύσει. Philoſopho in illo loco ἅμα καὶ ὁμόζυγα ſunt, continua quorum vno poſito ex neceſſitate vel plærunq;, ponitur & alterum: veluti ſi filius eſt, pater eſt, & viciſſim: Relata enim ſimul ſunt natura. Ex his demonſtratio fit continua etiam cum temporum congruentia. Quæ vero non ita ſimul ſunt, neque homogona; in his cauſæ poſſunt eſſe aliorum effectuum. Itaque ex poſt facto quidem tunc fit ſyllogiſmus, ſeu effecto demonſtratur cauſa; at non viciſſim: vt eſt in voluntariis. Ita enim colligimus: Mundus eſt: Deum ergo eſſe " neceſſe eſt. At nō contra: Deus ab æterno " Resp.

fuit; ergo & mundus. Nam voluntaria causa potest esse alterius, cum agat ex arbitrio. Ita in his quæ ab arte pendent. Non enim possunt concludere domum esse, si paries, tectum, & fundamentum sint. Nam in artificis arbitrio est, hæc donare forma sua, vel non donare. Contra autem concluditur rectè, si domus est, illa esse. Et hæc demonstratio non est ita propria exactaq; seu scientifica, vt illa quæ sit ex homogonis, causaque continua. Ramus vero alio modo priora & simul accipit, nempe quæ cogitantur præcedere etiamsi sint homogona; veluti forma materiaque ratione causæ antecedunt effectum; at nihilominus vna ponuntur: Et quidem mirum est, quod materiam iungit efficienti, quæ tamen non nisi potestate præcedit. Actu verò inexistit rei. Hæc enim est quæ fit hoc cum accipit formam. Sed dono tempore priorem efficientem & materiam; nihilominus tamen natura quædam ita copulata sunt effectui, vt simul ea, poni necesse sit; imò non est efficiens nisi ὁμόνυμον & potentia. Ita oculum seu visorium mouet visile, efficitque actu visionem. Mouens vero efficiens visionis est. At simul & indiuulsum vtrumque. Itaque hinc fiet demon-

stra-

stratio. Propter quid oculus videt? Quia mouetur à visili.

Motum à visili videt.

Oculus mouetur à visili.

Oculus ergo videt.

Dicendum ergo ad propositionem est, quod peccet elencho à dicto secundum quid, & homonymia. Quæ enim possunt esse alio modo tempore priora, nempe δυνάμει; ea alio sunt simul. Et Aristoteles ipse hoc soluerat. Si enim sunt efficientia & materialia potentia; Etiam effectum erit potentia; si actu, & hoc. Ita si præsentia præsens, si facta, factum, &c.

Eiusdem fecis & hoc est, quod sequitur.

Nullus syllogismus fit ex materia & efficiente. XXXIIII.

Demonstratio fit ex materia & efficiente.

Demonstratio itaque non est syllogismus: & ex consequente dogma est fictum, & somniatum, nec ex usu parente deductum.

Non sufficiens est argumentum. Nam duæ causæ tantum non possunt tollere demonstrationem, cum ex omnibus doceatur fieri, atque insuper etiam definitione. Ludit autem in hoc cum assumtum contrarium est conclusioni præcedentis paralogismi. Ita omnia arma etiam futilissima *Resp.*

sima fuerunt cõquirenda. An autem non fiat syllogismus ex quæstione arguta per materiam & efficientem, vel pueri iudicent. Si ex philosopho propositio assumta fuit, cum nõ de genere istarum causarum toto, sed de quibusdam, quibus positis nõ necesse est poni effectum, loquatur, calumniose est adhibita. Si ipse Ramus finxit, falsa inanisque est. Aliquis enim ex illis fit, & aliquando. Nouit & vulgus non semper ex illis syllog. esse, sed esse in connexis necessario, non esse in accidentariis, voluntariis, non sufficientibus. Et tunc potius vt ait philosophus ἀπὸ δ' ὕστερον γεγονότος ὁ συλλογισμὸς ᾖ. Philosophus rem
» declarat exemplis. Non enim si materia
» (lapides, ligna, &c.) est, domus est: qa hæc
» μὴ ἅμα ὦσιν εἰ σωνεχεῖ χρόνῳ. At si domus est,
» illa sunt: & tunc materia formæ est iuncta.
Contra in his:

Sol eleuatus supra horizontem est.
Intra eum ergo dies est: Quod est ex efficiente.
Quod ex elementis est, elementare est.
Corpora mista sunt ex elementis.
Corpora ergo mista sunt elementaria.
(Mista vero intelligi perfectè, imperfectè, confuse) Ita:
Ex cœli substantia factum cœleste est.
Æther & stellæ sunt ex substantia cœli.

Æther

Æther ergo & stellæ sunt cœlestia.

Metallum ex sulphure & hydrargyro nobilissim. densissimè cõpactum est grauissimum metallorum.

Aurum est metallum ex sulphure & hydrargyro nobilissim. densissimè compactum.

Aurum ergo metallorũ est grauissimum.

Patet ex talibus materiam non esse ineptam ad demonstrationem, si propria & homogonos sit: non autem si communis nisi ex proprio genere secundum analogian adhibita, vt:

Ex terra factum terreum est.

Homo ex terra est factus.

Homo ergo terreus est, &c.

Notandum hîc est, etiam has formas interdum vocari demonstrationes. Nam demonstrationes ita sunt, vt res demonstratę secundum naturam. Sed tamen non sunt exactæ, nec propriæ.

Ramus pergit: lib. 9. schol. log. cap. 26. & ad caput 15. primi posteriorum. XXXV.

Si est alia demonstratio Dialectica apparens, non erit illa ficta ex necessariis.

Sed illud est, teste Aristotele. Hoc igitur.

Sed connexum falsum est. In vestibulo huius diximus aliter vsurpare vocem Aristotelem, & aliam scientificam demonstrationem nominare; aliam ostensiuam: & illa Resp.

& illa quoque distinguitur, quod alia sit aliâ exactior. Ramus autem hîc oppugnat propriam.

XXXVI. Tricesimum sextum.

Sophisticum est id quod est generale, attribuere speciei.

Sophisticè ergo fecit Aristoteles, doctrinam omnis quæstionis, & syllogismi, & non syllogisticæ, hoc est axiomaticæ & methodicæ explicationis, vni saltem fictæ syllogismi speciei attribuendo.

Resp. Nihil est cõsequens. Non enim verum est quod doctrina demonstratiua exacta, conueniat vlli rei præter demonstrationem scientificam. Colligendæ vero sunt proprietates & attributa omnia; non vna atque altera communis excerpenda. Si quæ item communia adhibita sunt declarationi demonstrationis vt argumentum causę, syllogismº, &c. ea è genere ad speciẽ sunt traducta, non rapto iure generis, sed accepto precario & accommodato. Non quidem opus est exemplis: considerentur tamen ad euidentiam rei hæc:

Cuius est visus, eius est cæcitas.

Oculi est visus.

Oculi ergo est cæcitas.

Ita surda auris cur fit? argumentum ab actu seu habitu oppositio; quia eius est audire.

Item

Item de aliis sensibus quibus priuationes competunt, quia & actus, vt à forma possit demonstrari priuatio. Sic propter quid moritur viuens? Quia vita excedit. Ita propter quid homo fieri stultus potest? Quia sapit. Sapientiæ autem priuatio stultitia est. Proinde & hoc modo:

Cui nihil deficit, ad eius integritatem, nihil potest addi.

Perfecto nihil deficit, &c.

Ita cur dentes patiuntur hæmodian? Quia acumine acidorum læsis neruis obstupescunt.

Eiusmodi plura sunt verè apodictica: & magnum habent vsum in problematis explicandis, vnde genita scientia transfertur ad praxin medicam, & alias, ne dicant Ramæi nullum ista vsum habere. Certè qui in re chymica, & omnino naturali indubias cognouit proprietates, earumque causas scit immotas, in multis rebus proficit; & dum agentia patientibus debito modo, & tempore vigoris accommodat, miracula præstat. Sed pergendum est. *Vtilitas demonstrationis.*

Lusus inanis & tautologia non est artis præceptum sapiens. XXXVII.

Demonstratio Aristotelea est lusus inanis, & tautologia.

Non itaque est præceptum sapiens.

Assumtum probatur tali exemplo:

Natum

Natum ad volandum est alatum.
Auis nata est ad volandum.
Auis ergo est alata.

Conclusio hic nihil videtur differre à propositione; cumque idem sint, & æqualia; lusus per vocabula saltem est institutus, sententia nihil variata; quod tamen necesse est fieri in syllogismo.

Resp. Assumtũ falsum est, eiusq; prosyllogismus sophisticus. Potestate quidem idem signant oppositaaffirmata & negata; definitio & definitum; inductio & inductum, &c. vt: Loquitur & non tacet: Virtus est; non est vitium: Homo est, & animal rationale est, &c. At differentes sunt informationes, & discrepantia argumenta. Ita hîc esse alatum, signat quidem, esse natum ad volandum: quia cui natura instrumenta ingenerauit, eidem & facultates, nisi monstrum euasit: At argumenta esse discrepantia quis non videt? Alas habere, instrumentariam causam notat; aptum vero ad volandum, internam rationem volandi, quæ exeritur per instrumentum. Est itaque illa solida & firma demonstratio. Ita si quæras propter quid animal habet sentiendi organa? Respondemus, quia est substantia sensu prædita; vel quia natum est ad sentiendum. Propter quid pisces habent pinnas? quia nati sunt ad natandum

dum ſine greſſu. Propter quid nutriuntur viuentia? Quia facultatem habent aſſimilandi ſibi nutrimentum. Propter quid homo diſcit Grammaticam? Quia rationis orationisque eſt particeps. Aliud.

Si quæſtio contingens duntaxat eſt materia ſyllogiſmi; Demonſtratio quæ eſt ex meris neceſſariis ſyllogiſtica eſſe non poteſt. XXXVIII.

Sed verum illud.

Verum ergo & quod ex illo concluditur.

Aſſumtum negatur. Nam & neceſſaria de quibus quæſtio eſt ob aliquã circumſtantiam, ſyllogiſtica ſunt. Reſp.

Si ſciremus, inquit philoſophus, non quæreremus. Itaque quæſtionem efficit non eſſe contingentem vel non, ſed neſcire, hoc eſt, cauſam vel non intelligere, vel non perſpicue & immotè habere, ita vt dubites ſitne axioma præſens ſcientificũ; veluti: hominem præditum manibus eſſe fatentur omnes: idque eſt neceſſarii iudicii. Sed non ſciunt omnes, dum non omnes primam immotamq; cauſam ſciũt, veluti: homo ideo habet manus, quia apprehenſionem habet, ſeu eſt χειροτέχνης. Qui iam ſcit apprehenſionem (vniuocam non æquiuocam) eſſe formam internam & facultatem manus, ſicut viſio eſt actus & forma oculi: is ſcit ſimul hominem ha-

bere manus, nec nouit fortuito, aut vage. Benè autem distinguit philosophus notiam in internam & externam; sensualem, intellectualem, τὴν φύσει, καὶ τὴν πρὸς ἡμᾶς: τὴν καθ' αὑτὸ, καὶ τὴν κατὰ συμβεβηκὸς τὴν καθ' ἕκαστα, καὶ τὴν καθόλου, τὴν πρὸς ἡμᾶς, καὶ τὴν ἁπλῶς, vt est in primo posteriorum, capite tertio & alibi; eligitque ad demonstrandum non γνωριμώτερα ἡμῖν, sed γνωριμώτερα τῇ φύσει. Ita gressilia esse pedibus instructa sensu notum est. Hæc est notitia πρὸς ἡμᾶς καὶ ἀϊδιακὴ καὶ καθ' ἕκαστα, &c. At qui scire cupit non contentus est sensu. Nam ad sensilia semper est instantia. Quærit ergo scientiam internam immotamque ex causa catholica, per quam patet siue hoc siue aliud sit gressile, necessario id pedes habere, aut si non habet, gressile non erit. Habet autem ideo, quia progrediendi facultatem habens animal est. Hoc qui scit, apertum est, eum etiam scire, gressile habere pedes.

Notitia duplex.

Quæ ad demonstrandũ faciant.

Aliud.

XXXIX. *Quod definitione, & diuisione informandum & iudicandum est, frustra syllogismo tentatur.*

Omnes scientiæ sunt definitione & diuisione informandæ & iudicandæ.

Frustra ergo tẽtãtur syllogismo; & per cõsequẽs Aristotelea demõstratio est inanis.

Mul-

Multa peccantur in hoc paralogismo. Dixi aliquoties non ad artes tantum demonstrationes esse vtiles, sed & opera & exercitia artium, &c. Hæc desunt assumta. Deinde eodem argumento non tantum demonstratio tollitur, sed & syllogismus in genere. At hunc esse præceptis inueniendis & iudicãdis, vel ipse Ramus fatetur, eoq; vtitur sæpe materialiter. Præterea si definitio & diuisio satis sunt, quorsum viginti argumenta in suis logicis habet Ramus? Nec satis est in arte posuisse definitiones & distributiones, etiam propria requiruntur. Hæc cum neglexit in methodo Ramus; non ob id rectè fecisse est existimandus. Et videtur præteriisse, ne cogeretur demonstrationem recipere, benè intelligés propriam passionem de subiecto, non scire καθόλου nisi per demonstrationem. Est & in propositione fallacia. Nam non si definitione & diuisione iudicantur præcepta; solis iudicantur. Potest enim cum illis esse syllogismus; vt cum imperfectæ definitiones firmantur, &c. Item cum syllogismo defendẽda est definitio aduersus inertes; veluti cũ Ramo non conceditur, q. Dialectica sit ars bene differẽdi. Si.n. hoc esset, colonus bene differẽs plãtas & semina foret Dialecticus. Ita pugnant de definitione Gram-

maticæ, quam negant tantum artem bene loquendi esse, cum sit & scribendi: Ita aiunt: homo est animal rationale. At datur instantia per iudicum elephantem qui creditur intelligere, & te loqui posse disciplinæ item assuefieri. Veteres item sententia omnia dixerũt ratiocinari, nec desunt recentes qui tantum gradu discernant hominẽ à bestia; & è Platonicis quidam Deum animal intelligens nominarunt, itaque mundum & stellas descripserunt. Ad eiusmodi ergo non sit opus syllogismo? Ramus ipse dum experientiam in talibus appellat, inuitus vtitur demonstratione. Ita enim arguere cogitur:

Quæ experientia probauit soli homini inesse primum & secundum naturam, ea sunt eius propria.

Ridere, loqui, ratione vti, &c. experientia probauit, soli homini primum inesse, &c.

Ridere ergo, loqui, ratione vti, sunt hominis propria.

XL. Sequitur quadragesimum.

Omnes scientiæ quæruntur definitione.

Nulla ergo demonstratione; & sic cuius finis perit, ipsum perit.

Antecedens firmatur dicto Aristotelis ex 2. post. 17. πᾶσαι ἐπιστῆμαι δι' ὁρισμοῦ γίνονται. Ratio cõsecutionis est, quia εἰ ὅτι est inde-

indemõstrabile vt asserit idẽ philosophus.

Nego sequi. Nam definitio tantum vnum vnius præcepti instrumentum est. Si omnes essent perfectæ, & præterea nullum axioma aliud, verè collectum esset. Sed & scientia principiorum quædam est, quędam ex principiis. Antecedens loquitur de aliqua saltem principiorum scientia, definitiua nempe, non autem de causali, distributiua, neque etiam de hac quæ ex cognita propria affectione existit. Itaque generaliter enunciatum saltem est particulare. *Resp.*

Quadragesimum primum. XLI.

Si medium demonstrationis est incõstans, & inane, demonstratio erit sophisticum & inane commentum.

Sed est inane & inconstans medium.

Demonstratio ergo est sophisticum, & inane commentum.

Assumtum patet, quia ἄμεσον principium loco medii argumenti pridem requisiuit Aristoteles. At cap. 17. lib. 2. post. plures causæ interiiciuntur inter subiectum, & passionem: & ex illis statuitur melior, quæ vicinior, cum ante dictum sit, superiora & vniuersalia esse αὐτιώτερα. Itaque erit & propositio mediata, & demõstrationis forma peribit. Nec est vt ridiculas & leues distinctiones afferãt eius

assecłæ. Nullius enim sunt momenti, nec audiendæ.

Resp. Grauem hic facit iniuriam Aristotelico textui Ramus, idq; eo insolẽtius quod anteuertit distinctiones, quasi ipsi liceret pro arbitrio interpretari, & inde colligere quiduis nullo interpellante. Cum philosophus velit demonstrationẽ fieri p causam immediatã; ea autẽ non cuiuis agnoscit, peccariq; in eius sumtione potest notis quibusdã, & quæstionibus propositis, rem ita explicat, vt sit extra omnem errorem. Iubet inspicere habitudinem causæ cum causato. Si se arguunt mutuo; & posita causa causatum ponitur, viciſſimq; posito causato causa eadẽ; argumento est veram & p se causam sumtam esse. Quod si nõ ponat causa, posito effecto; indicio est, aliud causam esse. Et sic innuit veram causam demonstrantem nondum inuentam. Exemplum philosophi est hoc: Omnis vitis amittit folia: Argumento: quia latifolia. Hæc se mutuo arguũt: Nam ideo amittit folia, quia latifolia; & ideo latifolia quia amittit folia. Hoc exemplo indicat eiusmodi debere esse medium demõstrationis. Rursus aliud in quo causa per se non est: Luna deficit, quia terra interponitur. Hic non licet contrà arguere: terra interponitur; ergo luna deficit. Nõ itaque

que hoc medium per se est. His explicatis, quæstionem mouet, an non possint vnius plures esse causæ demonstratiuæ. Cum enim vna prima & generalis causa possit esse plurium specierum, an non vicissim se habet, vt vnius speciei plures sint causæ? Sed philosophus ait, posita re eiusmodi, poni quidem causam aliquam, at non omnem; quanquam causa existente res sit. In demonstratione igitur nõ possunt esse plures causæ, licet aliâs extra demonstrationem possint. Dicit enim si problema perpetuò vniuersale est, etiam causam, & affectionem, cuius causa datur vniuersalem esse debere. Itaque in hoc prius exemplum de vite corrigitur; & indicatur, τὸ φυλλορροεῖν non esse proprium vitis, sed alicuius amplioris generis, quanquam id species habeat; veluti plãta latifolia amittit folia; Huius argumentum demonstratiuum est, quia congelascit humor contactu seminalis principii vrgentis. Sic ergo duas exposuit conditiones medii demonstratiui; prima est vt per se sit, ita vt vicissim possit arguere; secunda, vt catholicum sit & primum in quoque genere, ita vt exactè reciprocet. His quoque absolutis aliam instituit quæstionem, si in omnibus speciebus sit eadem affectio, an non eueniat, vt diuersæ in

In demonstratione nõ possunt esse plures causæ.

Cõditiones medii demõstratiui.

diuersis speciebus possint dici causæ: veluti, fluere foliis, viti inest, & ficui, & platano, & pomo, &c. quæritur an non in singulis debeant singulæ dari causæ, cum tamen sit eadem affectio, quanquam singularitate specierum variata, ita vt dicẽdum sit in vite fluunt folia propter hanc causam, in nuce propter illam, in fago propter suam. Respondetur cum medium sit extremum in quouis genere, & demonstratio fieri debeat per se, fieri non posse vt vna generalis causa ad proprietatem singulorum demonstrandam adhibeatur. Aliquo tamen modo id fieri posse ostendit, sed non demõstratiue, videlicet cum specierum ratio similitudine generum, nec aliarum specierum declaratur, aut ex accidente accõmodatur. Aliâs similiter se habet medium, fitque homonymon in homonymis, vniuocum in vniuocis, analogum in analogis. Porrò medium demonstratiuum definit, quod sit ratio primi extremi. (Primum autem intelligit non ratione specierum & generum, sed in vnoquoque primum & æquale ipsi, ita vt proprium sit & reciprocet) itaque ait, cum talis sit definitio cuiusque, euenit inde vt omnes scientiæ per definitionem fiant, cum hæc sit propria & prima cuiusque, vtpote essentiam eius complectens, qua posita

Medium demonstratiuum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [540] - 536
PUBLIC DOMAIN

posita res ipsa ponitur ὑσπροδῶς. Quomodo verò venandum sit primum istud, exẽplo docet. Sumit species, & datam causam illis accommodat. Si est specie latior; nondum ad primum peruentũ intelligit. Sin æqualis; iam primum concludit; vt, vitis quidẽ amittit folia, amittit & ficus; sed vtroque amplius est τὸ φυλλορροεῖν. Primi autẽ nota, & quasi forma iudicij est, si omnia ita se habeant, quo pacto solemus inductione ꝓcedere, vbi vtimur hac forma: neq; diuersum exemplũ reperiri potest. Quæ iam omnium affectionũ generalissima & prima causa est; ea conuertetur cum genere omnium specierum; & sic inuẽtum est medium primum; vt in proposita quæstione generalis affectio est, folia fluere; huius generale catholicũ & æquale mediũ, seu ἄπον est, cõgelatio humoris seminali principio apparẽte, & vim ad se trahẽte. Ita ait philosophus etiam in figuris esse. Addit & aliam notã vniuersalis eius, quæ est consectaria priorũ. Nam in speciebus id inconuertibile est, si singulas accipias. Sin oẽs simul, quarũ nota erat, ὅπ τοιαδὶ ἅπαντα, iam conuertitur. His dictis concludit, quod eiusdẽ affectionis possint esse plures causæ, sed non in iisdem speciebus, hoc est, vt supra dictum est; generalis causa generi quidem propria est & cum eo cõuertitur;

Primum ꝙ indagandũ.

at cum ad ſpecies accommodatur, diuerſa fit in diuerſis; veluti, ſentire eſt generalis affectio animalium omnium; ſed cum id variet in ſingulis pro ratione & definitione cuiuſque; efficitur vt eiuſdē paſſionis plures dētur cauſæ ex vnaqualibet ſpecie ſumtę. Interim tamē quęlibet propriè adducta, nihilominus prima eſt in ſua ſpecie. Exemplū philoſophi eſt longæuitas. Hæc congruit quadrupedibus, & volucribus; cumq; ipſa in ratione generis generalem obtineat, eamq; primā cauſam; in ſingulis tamen ſpeciebus, quibus ſigillatim applicatur variat pro natura ſingularum, vt, in alia ſpecie ſiccitas eſt, in alia defectus bilis, &c. Sed hæ cauſæ in aſſignatione generis, ad vnam omnes reducuntur generali cōplexu omnes continentē, & conuertibilē cum genere. Hęc eſt veriſſima philoſophi ſentētia, cui ſtatim ſubiicitur alia quæſtio rem exactius explicans. Poſſet aliquis dubitare, cum medium illud in genere ſit genericū & cum eo reciprocū, in ſpeciebus ſpecificum, & ſic vnius affectionis cauſæ variæ, generalis ſcilicet genericæ, ſpecialis ſpeciales; quodnam in demonſtratione ſit ſumendum; & an non permutari poſſint, ita vt cauſa in genere allegata, transferatur ad ſpeciē, & viciſſim? Negat philoſophus id fieri poſſe; quia manifeſtum ſit viciniſſima

In propriiſſima demōſtratione ſumendum vicinisſimum.

sima vnicuiq; affectioni, cuius causæ sunt sumenda esse. Itaq; quia quod primum est vniuersaliter, id ad vniuersale pertinet, qđ primũ specialiter, ad speciale; euenit vt ad vniuersale sumendum sit mediũ vniuersale; ad singulare medium, singulare quod ei est æquale & ineſt primùm. Ramus autem hìc pungit philosophũ, quod dixerit, vniuersalia esse ἀπόρρεα. Sed quia totum hoc caput malicioſa interpretatione corrupit, non potest illi dicto parcere. Apparuit autem philosophum constanter præcipere, neq; sibi contradixisse. Falsum est crimen quod ad demonstrandum admiserit plura media, quorũ alterum altero vniuersalius. Quomodo enim & quâ ratione inter subiectum, & eius passionẽ interiecerit plura, satis est ostensum, quod nempe illa ipsa passio simul fuerit modo generaliter, modo specialiter considerata, & vnicuiq; suũ idq; proprium & vniuocũ æqualeq; argumentum attributum, neq; vnquã voluerit philosophus demõstrari posse per causam excedentẽ, nisi exempli modo aut ex accidente, aut accõmodatione generis ad speciem, quæ tamen demonstratio est analogica. Quod verò scripsit vniuersale esse ἀπόρρεον; id respectu singularium scripsit. Duo enim sunt principia, alterum ad sensum, alterum ad naturã. Illud singulare est, & in-

Vniuersalia ἀπόρρεα.

& inductione omnium eiusdem generis colligit vniuersale, & neutiquã scientiam gignit, nisi ex accidente. Hoc autẽ catholicũ & scientificum est. Itaq; ait hoc esse ἀπώτερον. Idem dictum accipi potest etiã de his quæ sunt mentis, eo autẽ se habent ordine vt alterum altero vniuersalius. Negat hic philosophus particularẽ causam tam solidè demonstrare ac vniuersalẽ, quæ tamen genere & affectione non est vniuersalior, sed aliquo argumẽto. Exempli gratia: proprietatẽ relatorum Ramus ait esse, quod sint simul natura, vt qui alterũ perfectè norit, norit & reliquum. Hoc est intellectus & catholicon per se: sed quum nondum sciatur per causam; demonstratione scientiã eius patefacit philosophus. Medium autem sumi poterat ex speciali exemplo; veluti:

Pater & filius sunt simul:
Hæc autem relata:
Relata ergo simul.

Sed philosophus negat hãc demonstrationem esse, quia non sit dictũ vniuersale primum. Etsi enim in illo quoque aliquid causæ est, tamen quia particulare est, nec tam causale, ac vniuersale; hoc sumi iubet. Erat autẽ talis hîc ipsa relatorũ definitio, quæ in hoc genere est cõmunissima, & æqualis definito. Itaq; hoc argumentum ad demon-

demonſtrãdum erat petendũ. Nec poteſt peti aliquod vniuerſalius qđ excedit hoc genus: quale eſſet, quia contraria, vel quia vnum vni opponitur. Non enim poteſt ex hoc fieri demonſtratio, cum non ſit cauſa ꝓpria & prima quo ad relata. Sophiſtam egit Ramus, dum vniuerſale putauit αἰτιώτερον ita eſſe, vt ſimul vniuerſalius, & nõ æquale ſeu proprium & primum: quod ipſe philoſophus tanquã ſtultum reiicit. Opponi autẽ vniuerſale τῷ αἰδητῷ apparet ex 24. lib. 1. poſt. vbi quidem ait, ἐκ τῶν καθ' ἕκαστα πλείονων τὸ καθόλου γίνεσθαι δῆλον; at negat ex illis nos ſcire aut demonſtrationẽ habere. Τὸ δὲ καθόλου (inquit) πρῶτον, ὅτι δῆλοι τὸ αἴτιον· ὥστε περὶ τῶν τοιούτων ἡ καθόλου πρωτέρα τῶν αἰσθήσεων καὶ ἡ νοήσεως ὅσων ἕτερον τὸ αἴτιον, &c. Itaq; vno modo τὸ καθόλου erit αἰτιώτερον τῶν καθ' ἕκαστα. Capite verò 20. vbi id dictum extat, proponit περὶ ἐπιστήμης τῆς καθόλου ἀποδείξεως, καὶ τῆς κατὰ μέρος; quarũ illa propria eſt, hæc impropria. Itaq; opponitur τῷ καθ' ὅλου τὸ κατὰ μέρος, quod & ipſum τελεύτᾳ εἰς αἴσθησιν vt in fine addit. Non ergo reſpexit philoſophus ad noëmatũ ſucceſſionẽ; ſed ad cognitionis principia, quorũ plura duobus non habemus, vt ſupra diximus. Legẽti verò totũ illud caput 20. fraudulẽta Rami allegatio apparet euidentius.

Quadrageſimum ſecundum: XLII.

Quod

Quod impossibile est ad totas scientias instituendas, & omnia cognoscenda ἐπιστημονικῶς, id temerè præcipitur:
Demonstratio Aristotelis impossibilis est ad totas scientias constituendas:
Temerè ergo præcipitur.

Assumtum patet, quia vix vnius axiomatis ratio patere potest demonstratione, nempe in quo propria affectio disponitur cum subiecto. At & definitiones & distributiones requiruntur. Imò nec omnium affectionum ea causa inueniri potest.

Resp. Propositio fallit. Non enim temerariũ est quod tota non constituit, cum nec totorũ gratiâ sit inuẽtum. Satis est si τὰ ἑαυτῆ exequitur. Philosophus definitiones perfectas poni dicit, vt ἀναποδείκτως. Subiectũ verò, eiusque distributiones sumit ex natura cuiusque. Et hæc sunt principia indemonstrabilia. Sola affectio propria quia ex se non potest sciri, per causam adipiscitur scientiæ dignitatem. Nec proficit qui dicit non posse inueniri proprietatum causas, nisi euincat definitiones dari non posse. Ipsæ verò proprietates & principia, quibus modis & per quæ instrumenta innotescant, satis expositum est, 1. post. 20. & 2. post. vlt. Quod autem interdum eam videatur solam scientiam nominare, quæ

est ex

est ex demonstratione; fit vocis homonymia, sicut & cum inquit: Sensus est ipsius vniuersalis, vt hominis sed non calliæ hominis, cum tamen paulo antè diceret sentiri singulare, & passim sensus singularium esse prædicetur. In vlt. secundi post. ita loquitur: Τῶν ἀρχῶν ὁπισήμην ἂν εἴη. ἐπεὶ δ' ἐδέν ἀληθέστερον ἐνδέχεται ἔχειν ὁπισήμης ἢ νῶν, νῶς ἄν εἴη τῶν ἀρχῶν· ὁπ. ὧ τῦτων σκοπῦσι, καὶ ὅτι ἀποδείξεως ἀρχὴ, ὐκ ἀπόδειξις, &c. Vult principia vniuersalia sensu & experientia facta intelligi, nõ autem sciri, quia scire sit per principia instrumento demonstrationis conciliatum. Item principia ait esse notiora; at scientiam cum ratiocinatione. Itaq; principia sciri negat. At in 3. primi post. quandam scientiã demonstratiuam facit, quandam indemonstrabilem: & hęc est principiorum, illa eorum quæ sunt ex principiis. Ita & integræ artes vocantur scientiæ 1. post. 23.

Hic aliter accipitur τὸ ἐπίσασθαι


Adhuc ea quæ de demonstratione Aristotelea aduersus sententiam Rami contemplanda iudicauimus. Acerbè certè & indignè tractauit philosophũ ille in causa iusta. Sed assecias virtutes magistri, non vitia imitaturos speramus & non omnia veterum tam præcipitanter damnaturos, memores sententiæ honorificæ Ciceronis qua innuit, illorum iudicia & testimonia

nia valere debere, quia quo ꝑpiores fuerunt ortui, & viuaciores, eo magis quæ sunt vera, videre potuerunt. Veruntamen dandum etiam est aliquid artium progressui & incremento culturæque. Semper enim priora posterioribus sunt rudiora, vt testatur philosophus.

FINIS.


DEO GLORIA.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [548] - 544
PUBLIC DOMAIN



FINIS.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [549] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [550] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [551] - -


PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 828 831

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [552] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [553] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [554] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 141, Stück 1, [555] - -